









INDIANENSIS UNIVERSITATIS SIGILLUM
LUX
ET VERITAS
MDCCCXX



ARCHIVUM
FRANCISCANUM HISTORICUM

PERIODICA PUBLICATIO TRIMESTRIS

CURA

PP. COLLEGII D. BONAVENTURAE

ANNUS XXI = TOMUS XXI


Typographia, Directio et Administratio

AD CLARAS AQUAS prope FLORENTIAM

(QUARACCHI presso FIRENZE)

1928.

DISCUSSIONES



DISQUISITIONES CELANENSES

(Continuatio) (1).

De quibusdam narrationibus in cod. Little contentis.

Cum anno 1910 magna illa bibliotheca ab illustri D. Thoma Phillips, auctione constituta, sub hasta venderetur, rei franciscanae peritissimus ille vir A. G. Little codicem signatum num. *12290* pretio feliciter acquisivit, complura scripta continentem ad S. Franciscum Ordinemque suum spectantia. Codex ab ipso cl. v. A. G. Little summa diligentia descriptus (2), membraneus est; anno circiter 1400 exemplatus fuit, mandante Fr. Laurentio de Reate, S. Theol. Magistro, qui Minister Provinciam S. Antonii regebat circa an. 1405 sive 1412.

MS. partes V complectitur, quarum I (num. 1-14) *Regulam I* et *II* exhibet, II (n. 15-80) *Actus B. Francisci,* IV (n. 213-16) alteram recensionem *Actuum* eorumdem, *Floreto* italico affiniorem, V (n. 217-30) alia miscellanea. — Pars III inscripta: « *Aliqua exempla de vita beati patris nostri Francisci et Sociorum eius* », n. 81-199, praeprimis continet: *Speculum Perf. maius* ed. P. Sabatier (3), aliquibus capitulis omissis; item partim *Speculum Perf. minus,* ed. L. Lemmens (4), ita ut utriusque *Speculi* textus saepe commisceantur; dein item partim *Intentionem Regulae* (n. 83, 118, 151-3); *Legendam veterem* (5), (n. 134-140), aliaque scripta minora. Codex magna est compilatio, eaque in compluribus capitulis maximi momenti. Pro codice utemur siglo **Lt.**

(1) Cf. AFH XX, 433-496.

(2) *Un nouveau manuscrit franciscain* ... ap. OCH III (1914-19), 103; *Description of a Franciscan MS.* ... ap. *Collectanea Franc.* I, Aberdoniae 1914, 9-113; (*British Soc. of Franc. Studies,* V). Cf. AFH XII, 567ss. — Foliorum 65-153 cl. Little photographias humanissime in commodum nostrum fieri fecit, pro qua re plurimas ipsi gratias hisce dicimus.

(3) Paris 1898. Cf. Sabatier de hoc MS. ap. OCH III, 408-11.

(4) Ad Cl. Aquas 1901 ap. DAF II, 23-84.

(5) Ed. Sabatier ap. OCH I, 87-109; Inest quoque codici (n. 162-3) pars *Legendae veteris* a P. L. Lemmens editae, l. c. II, 91-100.

Ex istis *Exemplis* plura nexum quemdam habent cum *Vita II* Celanensis, alia cum eiusdem auctoris *Tractatu de miraculis*. Textus codicis sui ipsius describens partimque edens, Little variantes eiusdem adnotabat et cognationem cum textibus affinibus propalabat, quin decerneret et ediceret hic fontem adesse, illic textum ex eo derivantem. Initialis littera solitis maior in exordio numeri 140 aliquo modo insinuat hic in n. 140-199 extracta sui generis secutura esse, e quibus revera complura etiam in *Compilatione Perusina*, id est in cod. *M 69 (1046)* bibliothecae municipalis Perusii (1) leguntur, unde P. Ferd. Delorme hanc describens, saepissime ad hunc codicem recte legentes amandabat (2).

Hic nobis pressius examinanda sunt ea capita seu numeri codicis Lt, qui cum *Vita II* strictiorem quamdam cognationem habent (3). Qui sunt n. 147: II Cel. 76; n. 153: II Cel. n. 50; n. 154: II Cel. 49; n. 155: II Cel. 214, 215, 217; n. 162: II Cel. 100; n. 167: II Cel. 81; n. 179: II Cel. 106; n. 187: II Cel. 51; n. 189 b: II Cel. 108; n. 191: II Cel. 171; n. 194: II Cel. 39; n. 195: II Cel. 110; n. 197: II Cel. 111.

In praefatione (4) ad descriptionem codicis sui, breviter dicendi rationem horum capitulorum simpliciorem et planiorem stilo concinno et numeroso Celanensis expandens, Little iam innuerat magis quam exposuerat sententiam suam, in istis capitulis detectum esse fontem, e quo Thomas de Celano pro *Vita II* componenda hausisset. Praesertim de Lt n. 187 et II Cel. 51, stilum conferendo ibi dixerat.

Postmodum (5), motus iis quae R. P. Ferd. Delorme circa indebite sic dictam *Legendam antiquam Perusinam* exposuerat, Little licet innueret (6) « de valore et authentia » adhuc dubium subsistere, quaestionem erudite et docte denuo aggressus est, relate ad suprafata capitula sui codicis. Quam quaestionem tunc maiore fiducia solvendam esse censuit in favorem capitulorum sui codicis, eadem fontem quo Celanensis an. 1246-47 usus esset, comprobare peritia scientiaque quibus pollere noscitur, satagens. Hinc facere non possumus, quin perdocti viri argumenta hic ad trutinam vocemus.

---

(1) Codicem descripsit P. Ferd. Delorme, ap. AFH XV, 23-70, 278-332. Citabitur: Delorme. — *Par.* est nobis siglum editionis suae Parisinae 1926. De *Compilatione* discussimus ap. AFH XX, 461ss. Sigla alia ibidem adhibita hic eadem recurrunt. (2) Delorme, 31ss.; v. ibid. 68, 328.

(3) De capitulis in Lt cum *Tractatu de mirac.* cohaerentibus infra in specie dicetur. (4) OCH III, 9-11: *Description of a Franciscan MS.* 14-16.

(5) *Some recently discovered Franciscan Documents and their relations to the Second Life by Celano and the Speculum Perfectionis*, London 1926, *(From the Proceedings of the British Academy)*, iam saepius a nobis laudatum opusculum; v. AFH XX, 462ss. (6) L. c. 4.

Unum ex iis quae proposuerat argumentis (1), quodque summae foret utilitatis in fonte et derivante dignoscendis, iam supra expandimus (2). Quod argumentum petebatur e « *cursu* » sive e compositione numerosa, in qua sententiarum cola numerose desinunt aut cadunt, i. e. iuxta certas normas accentuum in desinentiis disponuntur. « Cursus » quidem regulae medio (quod dicunt) aevo a scriptoribus, quos « officiales » moderne dicere licet, ad amussim servabantur, non vero ab iis qui talis famae non cupidi, privato magis quam publico usui scripta sua destinabant. Neque hoc scribendi numerosum genus omnibus arridebat, neque tanta auctoritate istud apud scriptores alios, quin ideo plebei nuncupandi essent, fruebatur, ut nefas putarent concinnitatem numerosam perturbare, seu ad stilum planiorem cothurnatam illam componendi rationem reducere. Modus quo ipsi textus *Vitae II* a quibusdam tractati fuerunt, demonstrat vim discernendi probandique in criterio a Little proposito, (ut sic scriptum aliquod non numerosum prius et antiquius sit altero numeroso, iuxta « cursus » normas exacto ac redacto), esse longe minorem quam erudito illi viro visum fuit.

E capitulis in Lt et II Cel. quomodocumque inter se congruentibus, Little aliqua selegit, quibus vim probationis reliquis maiorem inesse existimabat. A quibus accurate inspiciendis et inquirendis hic abstinere nobis non licet, pro ea quae est proponentis et arguentis auctoritas.

Dissertationis suae exordium Little e n. 187 sui MS. sumpsit, legentes (3) commonefaciens capituli 48 Sp, quod « indubie extractum est e II Cel. 51 et cuius tres vel quatuor formae exstant » (4). Dein integra edit II Cel. 51 et Lt 187 (5).

In his narratur, quomodo S. Franciscus « in ultimae suae infirmitatis tempore » (iuxta II Cel.) sive « cum esset valde debilis » (iuxta Lt), nocte quadam petrosillum comedere voluerit. Frater coquus, prius eumdem quaerere renuit, quia quotidie omnem succrescentem praecidisset. Postea, instante sancto, in hortum obscurum intempesta nocte exiens, primas quas inveniebat herbas excerpsit, inter quas allatas petrosillus « magnus et pulcher », seu, iuxta II Cel.: « frondosus et tener » a mirantibus Fratribus praeter spem est inventus. Tunc, iuxta Lt, Sanctus dixit: « *Fratres mei, non debetis me facere dicere rem totiens* » atque quater fides S. Francisci laudibus extollitur, propter quam *Dominus ... tam magna et multa operabatur ... que vidimus et cognovimus nos qui fui-*

(1) L. c. 11. (2) AFH XX, 457-61.

(3) Rectius: *audientes*, nam opusculum est oratio seu dissertatio in consessu Academiae Regiae Britannicae in festo S. Francisci an. 1926 habita.

(4) L. c. 7.

(5) Cuius tenorem habes etiam in OCH III, 84, in descriptione huius MS.

mus cum illo parvo tempore, quod longum esset narrare. -- Iuxta II Cel. Sanctus dixit: « *Fratres mei, primo verbo praeceptum implete ... etsi supra vires ipse mandarem, viribus obedientia non careret* »; subditque factum hoc spiritum prophetiae S. Francisci prodere.

'Quamvis, inquit Little, « evidentia externa »([1]) debilis sit, quia Lt scriptum est saeculo XV ineunte, internum criterium [*evidence*] conclusivum est. Non potest dubitari, quin hic adsit narratio originalis, qua Celanensis usus est'.

Neque alia circa hanc rem gravem addit auctor, illico hinc inferens, Celanensem « nullum scrupulum habuisse mutandi verba S. Francisci sibi relata, dummodo eadem sic magis aedificatoria redderet ([2]). Ita hic querelam illam viri aegroti commutavit in parvam homiliam de obedientia ».

Quae homilia sola [rectius vero nuncuparetur admonitio], petrosillo praetermisso, favore immerito, ait, fruebatur, nam servata est in Sp 47, stilo aperte Celanensi, item in *Extractionibus de Leg. antiqua,* n. 8 (ex ipsomet II Cel. ([3])). In Sp 47 monitio illa in forma generali proponitur: *Dicebat pater sanctissimus fratribus suis: Fratres* etc. In Lm c. 34, in fine, eodem modo, absque nexu petrosilli inopine inventi, monitio illa, qua effatum generale S. Patris proponitur, in forma ea quam in Lt 187 habet ([4]): « *Dicebat b. Franciscus ad socios, quando sibi statim non obediebant: Fratres mei! non debetis mihi rem facere* » [adde proculdubio textui mutilo: *dicere totiens*]. Hoc, ait Little, explicatur ex eo, quod Lm hic eumdem ordinem servavit, quem et Lt habet: Lm 34 = Lt 186; Lm 35—38 = Lt 188-90 ([5]). Et subdit: « plurima criteria indicant Lm componi extractis sumptis e quadam versione *Speculi* antiquiore quam *Spec. Sabatier* ([6]).

Haec ultima illatio in se relationes inter II Cel. 51 et Lt 187 non afficit. Quoad has notes, II Cel. hic dimidio breviorem esse quam Lt. Non multa verba plene consonant; qua in re caeterum attendendum est, in eodem facto a duobus narrato, necessario saltem aliquot eadem esse semper. Circa dependentiam litterariam sive formalem alteriusutrius, e modo narrationis in Lt valde prolixae, in II Cel. adstrictae, vix certi quidpiam statui poterit, quoniam tenor narrationis utriusque longe magis dissonat quam consonat. Alter, pro more suo,

---

([1]) L. c. 9: « *external evidence* », intellige, iuxta vim vocis Anglicae: *testimonium, criterium* sive *auctoritas.* ([2]) L. c. 9.

([3]) Cf. AFH XX, 499, n. 8: *Dixit autem fratribus* etc. Haec merae *extractionis* forma in se vix valorem habet. Sed nil est mirandum, quod effatum illud pulchrum S. Francisci extractor servare voluerit.

([4]) In P narratio et dictum desunt. ([5]) Quae res plane quadrat.

([6]) L. c. 9; cf. etiam 18. Quae redactio antiquior hic in Lt n. 186-190 adesset.

concise rem quam narratam audierat, referre potuit; alter, v. gr. Fr. Leo, qui rei probabilissime interfuerat, delectari poterat singula adiuncta narrando et quasi depingendo, quin alter ex altero formaliter penderet. Inferius ipse Little (¹) hac de quaestione generatim considerata, cautior certe exstitit.

Cui assentiri nequimus, dictum Sancti (in Lt) meram querelam viri aegroti aestimanti. Dissensus noster iam aliqualiter fulcitur in Lm 34, ubi etiam dictum (idem quod in Lt) expresse ad obedientiam refertur. Res narrata, seu petrosillus necopinatus, inter alias herbas praeter spem inventus, miraculum non sapit; tamen in Lt 187 repetita emphasi S. Francisci fides extollitur, cui implicite inventio Fratribus inexspectata attribuitur. Fide sua Sanctus firma confidebat, sciebat, immo praesciebat petrosillum inventum iri, unde hoc in contextu effatum S. Francisci considerandum venit, quod plus est quam querela viri aegroti et quasi irritati, eo quod frater coquus non illico obediens in hortum obscurum exierit, plantulam peroptatam quaesiturus. Sic, altera ex parte, inventus petrosillus levissima, si ulla, mutatione a Celanensi 'spiritui prophetiae' Sancti adscribitur. In facto narrato etiam obedientia Fratris, prius renuentis, aliquatenus remunerata est, licet ista perfectissima praedicari minime possit. Neque quispiam dicet, dictum Sancti apud Celanensem ex sese et in illo nexu genuinum non esse.

His visis, Fr. Thomas non illico corripiendus erat, quod verba S. Francisci variasset sive corrupisset. Tempore enim infirmitatis suae ultimae, non *Tres Socii* soli circa Sanctum aderant; aderat enim v. gr. Frater ille coquinarius; neque Socii omnia dicta Sancti notaverant statim ac proferebantur et Fr. Thomas etiam ab aliis Fratribus plura de S. Patre didicit an. 1228-47 (²). Ex ipsa hac differentia verborum S. Francisci, in quibus solis expositio Celanensis explicitior est quam narratio in Lt, argui e contrario potest, ipsum ab aliis haec aliter relata audivisse et scripto mandasse (³). Eo vel minus inferendum est, Celanensem illud S. Patris dictum e proprio penu hausisse, nam conceptus fidei Sancti, melius et facilius cum applicatione ad spiritum propheticum in Sancto (quemadmodum Celanensis rem interpretatur) quadraret. Rem Socii postmodum paululum aliter referebant, in hoc solo effato Sancti concisiores. Singularum rerum singula adiuncta neque Socii ipsi, neque ullus alius, post aliquot annos elapsos, in memoria tenebant, unde et ipsi an. 1245-46 alios quoque Fratres consulebant (⁴), quod et Fr. Thomas certe facere non neglexit.

(¹) L. c. 11, periculosas eiusmodi e stilo illationes denuntians: « *It is rather dangerous to argue that the style of one narrative proves to be earlier or later than the other narrative of the same events* ». Cf. infra, p. 10.

(²) Cf. AFH XX, 454ss. (³) Cf. dicta, l. c. 445ss. (⁴) Ib. 447ss.

Animus nobis non est de utriuslibet effati authentia disputandi, neque alterutrum in dubium vocandi. Effatum Celanensis in connexu suo apprime quadrat atque in se consideratum sincere spiritui S. Patri congruit. Neque tenor neque sensus effati, prout in Lt 187 sonat, dubio ulli aditum praebere potest, nisi huic, quod Celanensis hic neque e textu illo hausit, neque eumdem corrupit monitionis alicuius causa, quae sane cum Evangelico congruit: Matth. 17, 19 et Luc. 17, 5-6, in quibus fides utique fundamentum est, non secus ac in Sancto instante et in Fratre ex obedientia aliquid, suo iudicio impossibile, exsequi aggrediente.

Addimus insuper dictum S. Francisci in Lt contentum etiam alibi, sed in ipso II Cel. 44 occurrere (1). Ibi Sanctus in eremitorio prope Reate « pro cura oculorum » moratus et a medico visitatus, Fratres iussit medico dare « optime manducare ». Guardiano maximam egestatem causanti Sanctus dixit: « *Quid vultis, ut iterum dicam vobis?* », iuxta II Cel. E converso, secundum P n. 61, dixisset sociis (nam uni ex sociis, non guardiano, hoc iniunxisset) (2): « *Modicae fidei* (3), *nolite me facere amplius dicere* ». Hic ergo P, aliis verbis *Socii*, (uti illo in loco in Lt) dictum idem simili occasione prolatum explicitius enuntiant, fidem ex eaque inspiratam obedientiam in causa esse in ipso responso aperte innuentes. Revera in paupercula illa eremo, mensa egena et tenui iam parata, pulsabatur ad ostium, canistrum cibis exquisitis plenum est apportatum. Unde etiam hic in *Vita II* responsum Sancti eodem modo interpretari licet, nam idem reapse sonat, licet minus clare, non vero qua querelam hominis aegroti et morosi, ut in priore narratione Little supposuerat.

Denique aliquantum est mirandum, quod Socii, qui in *Epistola* sua 11 augusti 1246 iure merito scripserant: nos, *qui secum* [S. Francisco], *licet indigni, fuimus diutius conversati* (4), in hac narratione dixerunt: *nos qui fuimus cum illo parvo tempore* (5). Quae restrictio contradictionem quamdam cum *Epistola* illa, indubie veridica, involvere a plerisque saltem putabitur. Enimvero non solum in extremis annis Fr. Leo cum S. Francisco commorabatur, licet tunc cum duobus aliis specialiter ad Sanctum accersitus fuerit (6), et ea

---

(1) Idem repetitur in *Mirac.* n. 36. Idem narratur in P n. 61 (editur, 287) et in Sp 110. In Lt hoc deest.

(2) Hic alter coniciet Celanensem Socios correxisse, alter vero, eodem saltem iure, Socios Celanensem emendasse, qui officialius guardianum posuisset pro sociis. Nam res ista guardiani erat, non 'unius e sociis'.

(3) Matth. 6, 30; 8, 26 etc.

(4) Cf. AFH XX, 447.

(5) Supra, 5-6. In P n. 112 (editur, 315-7: *Par.* 92) legitur etiam, alia occasione (de hoc capite in P, supra iam aliqua notavimus, XX, 484 s.): *nos qui per aliquod tempus usque ad diem mortis eius cum ipso fuimus.* Verba: *per aliquod tempus* deficiunt in Sp 67. In Lm 20 adest hic lacuna. In Lt deest hoc c. 67 Sp; cf. Lt n. 113 et notam ibi suppositam. In aliis MSS. adest; v. variantes notatas a Bon. Kruitwagen, AFH I, 362. (6) Cf. I Cel. 102.

quae de S. Patre an. 1246 ad Ministrum generalem Fr. Crescentium Socii miserunt (1), minime ad ultimum tempus Sancti constringebantur.

Exinde in sectione II suae dissertationis (2) Little II Cel. 214, 215 et 217, l. 18-21 confert cum Lt n. 155, sui MS. textum denuo edens (3), iuxta quem: *quadam die... S. Franciscas exspoliavit se nudum coram sociis suis*. Guardianus ideo Sancto *tunicam et femoralia accommodavit* et S. Pater sociis suis praecepit, ut statim post obitum suum ipsum sic 'exspoliarent'. — In II Cel. 214 et 215 idêm aliter narratur cum aliis novis adiunctis mortis S. Patris.

Little denuo tunc fidenter asserit: « Nullum dubium oriri potest, quin Celanensis ibi textum Lt. n. 155 prae oculis habuerit » (4). — Attamen ipse Little concedit, hic econtra Thomam diffusiorem esse quam Lt, « partim ob stilum suum rhetoricum [?], partim quia addidit locum de *cappellula saccina* S. Francisci (II Cel. 215, l. 5, 11-3), quam rem a testibus oculatis certe didicit (5), partim quia hic etiam alludit ad res alibi ab aliis narratas, scilicet in Sp. 88, 121, 123; P n. 96, 97 et Lt n. 148-9 ». « Insuper, ait, rem 'post tres dies' accidisse, Fr. Thomas aut ex alio fonte scripto (6) hausit, aut ex ore Sociorum rescivit. Forma autem huius loci II Cel. 217: *sicut me nudiustertius nudum vidistis* etc. non a S. Francisco moribundo repetenda est, sed ab ipso Fr. Thoma, qui hoc verborum lusu usus est, ut litteratorum plausus captaret » (7). — Ultimam hanc rem bene dictam esse nemo ambiget, quamquam aliquispiam dubium movebit de causa et fine Thomam hic moventibus.

Tot porro additionibus quas, iuxta ipsum Little, Celanensis asserto suo fonti inseruisset, addo etiam II Cel. 215, l. 7-9: de Sancto laetante quod « *dominae paupertati* » fidem usque in finem tenuerat. — Si vero tot res indubie authenticas Celanensis fonti suo hic addidit, inferre licet eumdem alias quoque res hic a se narratas oretenus didicisse, nam nescio, cur solas res in Lt deficientes ab aliis didicerit, cum de adiunctis obitus S. Francisci alios consulebat. — Insuper consonantia inter II Cel. et Lt hic admodum levis est et stilus rhetoricus Fr. Thomae hic nullas amplificationes invexit. — Lusus ille verborum Celanensi certe debetur, sed ideo res ista tribus diebus ante mortem facta atque tenor effati S. Francisci in dubium vocari nequeunt, uti ipse Little concedit.

(1) Cf. AFH XX, 447 ss. (2) P. 10-11. (3) Adest in OCH III, 70-1.
(4) P. 10. (5) Sic ait ipse Little, 10.
(6) Qua de re dubitare licet. Addimus Thomam in *Legendam chori*, 12, l. 7, iam adiectivum *nudum* invexisse, rem, vocemque novas relate ad I Cel. 110.
(7) L. c. 11.

Exinde auctor sectionem III exorditur, haec monens: « Periculosum est, e stilo duarum narrationum eumdem eventum referentium arguere, alteram altera esse sive priorem sive posteriorem. Etenim stilus criterium subiectivum est » (1). Et prosequitur opinans criterium quoddam obiectivum contineri in « *cursu* » quem nullus scriptor medii aevi semel in aliquam narrationem invectum abolevisset. Qua de re iam disputavimus, ostendentes ex historia textuum ipsius *Vitae II*, criterium istud valore ei a Little tributo carere (2).

Caeterum auctor aliquis in eodem scripto, uno tempore composito, in eodemque capitulo eiusdem vel cursum observat vel non; si « raro » tantum cursus observatus esse apparet, hoc potius casui attribuendum est quam studio. Accedit quod in ipso modo loquendi latino non rari cursus occurrunt; v. gr. voces *beátus* vel *sánctus Franciscus* cursum planum efficiunt. — Examinantes num. 155 in Lt (iuxta cursus species tunc vigentes, recensitas in AFH XX, 458) et solos sententiarum fines attendentes, videmus cursum deesse in l. 4-5, 5, 7, 8 (bis), 12, 21, 23, 27; adsunt duo cursus veloces in l. 10 et 14. — Ad axioma suum de cursu illustrandum Little dein simul edit (3) II Cel. 100 et Lt n. 162, in quibus de episcopo Assisiensi in cellam S. Francisci orantis penetrante et « voluntate Dei per vim foras » propulso narratio tractat. Hic Little adnotavit (4), in Lt 162 tantummodo in fine ultimo adesse cursum planum. Attamen tales plani item adsunt in l. 4, 9 et 14.

Una cum Little censemus Fr. Leonem hic normas cursus observare non intendisse, subdentes hoc etiam congruere cum *Epistola* 11 augusti 1246, in qua Socii eiusmodi munus Fr. Thomae deferebant (5). Altera vero ex parte absentia cursuum, ex alibi a nobis dictis (6), minime probare potest haec capitula ideo tunc conscripta esse, scilicet ante *Vitam II*. Retorsio talis argumenti facilior esset quam verior, nisi retorquens probare posset, Fr. Leonem postea Florilegium anni 1245 utcumque rescribentem, etiam cursus in illud invexisse. Quod eo improbabilius est, quod omnia de novo talem ob ambitionem exarare debuisset — id quod Fr. Leo certo non fecit, — et quod scriptum istud nullo tempore officiale quidquam fuit, e mente ipsius Fr. Leonis, ut putamus, et ex iis quae an. 1246 in *Epistola* saepefata expresserat circa finem cui Anthologia sua Sociorumque inservire deberet.

Tunc Little argumentationem IV proponit, arguens Celanensem non solum dictionem asserti sui fontis immutasse, sed, quod gravius est, ipsum etiam in aliam partem vertisse ideas sive ideale

(1) L. c. 11. (2) V. supra, 5. (3) L. c. 11-2. (4) Ib. 12.
(5) Cf. ibid. 447. (6) Cf. exposita ap. AFH XX, 472ss., 488ss.

(ut aiunt) in documentis a se exscriptis contenta (1). Ut hoc ostenderet, denuo edidit e codice P caput seu num. 68 (2) atque II Cel. 63.

In P n. 68 S. Franciscus praecipit Fratres humiles mensas habere, ita ut pauper quilibet cum iis de pari sedere possit. Tunc narratur Cardinalem Hugolinum dormitorium Fratrum in Portiuncula visitantem in lacrimas prorupisse, misera strata Fratrum videndo. Dein, narratione dirupta, inter alias laudes Portiunculae subditur ibidem Fratres semper in terra comedisse « *quamdiu vixit sanctus Pater* ». — In II Cel. 63 idem Hugolinus tempore Capituli Portiunculam invisens ob Fratrum lectos, « *quos ferarum cubilia crederes* » illacrimatus est. Subditur breve elogium Cardinalis.

Circa ista invicem inter se et cum Sp 20 et 21 comparanda Little haec disserit. Sp fere plene (ait) cum P consonat, sed Sp variationes posteriores ostendit; v. gr. mutavit *capitalia* in *cervicalia* (3) et adiunctum, quod Cardinalis Hugolinus Portiunculam visitavit tempore Capituli e II Cel. « probabiliter » provenit. Hoc vero adiunctum, ait, a narratione, qualis sonat in P, excluditur, « quae concernit vitam in Portiuncula, speciatim absentiam mensarum, tempore ordinario, non Capituli (4). Celanensis praedicare volebat « ascetismum priorum » Fratrum, P et Sp vero « eorumdem paupertatem et aequalitatem cum pauperrimis » (5).

Ad haec dicendum, quod nimis hic (6) tribuitur absentiae mensarum, quia 1º) etiam in P et Sp longe fusius sermo est de cubilibus Fratrum (l. 4-14), quae in II Cel. sola memorantur, et quae, iuxta P et Sp, Hugolinus primum inspexit et de quibus aedificatus est, non de mensarum defectu, qui valde obiter (l. 14-5) recolitur: *mensam nullam ibi vidit, quia fratres comedebant in terra.* Tunc 2º) narratio evidenter abrumpitur et in genere de Portiuncula dicitur ac Fratres ibi, vivo Sancto, in terra comedisse. Totus autem iste locus in Sp hic deest (7); unde P revera cum Sp non plene consonat, et pars ista extrema in solo P exstans non sine iure glossa existimari potest. 3º) in II Cel. una res narratur et mensae tacentur; in P praeter eamdem rem aliae tanguntur, scilicet mensae humiles in genere et earumdem in Portiuncula laudabilis defectus.

(1) P. 12-3. (2) Editum in AFH XV, 291-2; in *Par.* n. 33. Respondet Sp c. 20 (in fine) et 21.

(3) Alius diceret: seu vice versa egit ille.

(4) Hoc firmat allegans Iordani a Iano *Chronicon*, n. 16, iuxta quod in Capitulo generali an. 1221 iuxta Portiunculam habito: « *Fratres ... comedebant ... viginti tribus mensis ordinate et distincte et spatiose compositis* ».

(5) Little, 13.

(6) Item a Delorme, 292, nota 1.

(7) In aliquibus MSS. Sp res ista brevissime subditur; v. Kruitwagen, 353.

Ast solutio totius vituperationis in Celanensem prolatae facillima est. Nam nititur in arbitraria divisione textus. In P enim (f. 107va-108va) nulla initialis maior, nulla divisio occurrit a principio numeri 67 in P (num. 32 in *Par.*) usque ad initium numeri 70 (= *Par.* n. 35) (1). Iamvero prima sententia in P n. 68 omnino ad n. 67 (2) pertinet, quia in hoc narratum est, quomodo S. Franciscus Graecii in festo Nativitatis (3) mensae splendidius solito paratae assidere nolens, habitu peregrini ostium pulsaverit et intromissus, in terra comederit; nihil vero spectat ad Hugolini visitationem in Portiuncula. Hoc ex se iam patet, sed probatur etiam e Sp 20, in quo idem narratur et sententia prima in P 68, in fine narrationis huius Graeciensis subnectitur. Tota ergo obiectio in Celanensem mota, quod ideale asserti sui fontis mutaverit, sic decidit.

Nescio, utrum quispiam Celanensem vituperaturus sit, quod de mensarum defectu in Portiuncula nihil dixerit. Nam rei istius momentum tunc, scilicet an. 1246-47, uti et nunc ab aliis aliter aestimabatur. Tacitum hoc adiunctum, quod a compluribus Fratribus discere poterat, non a solis Sociis, Fr. Thomae, qui scienter et quodammodo necessario plura facta vitae S. Francisci silere debuit (4), crimini verti nequibit. — Quidquid est de hac re exigua, Celanensis « tendentiam » rei narratae neque immutavit, omittendo (ut ita dicamus) primam sententiam in P n. 68 (revera qua ultimam numero 67 subdendam, nam ipse factum illud Graeciense narraverat in II Cel. 61, in fine huius paragraphi sententiam illam tamen non subiungens, quia, putamus, facti illius significatio mentem S. Francisci liquido cuilibet legenti prodiderat.

Quoad res Little hic Celanensi etiam obicit quod contra verum (intellige: contra P n. 68) visitationem Hugolini tempore Capituli factam esse retulerit, quia hoc ob dicta in P excludatur, licet quilibet talem occasionem invisendi Portiunculam e rei natura facile admittat (5).

Ast criterium petitum e *Chronica* Fr. Iordani (6), tempore Capituli in Portiuncula mensas adfuisse, unde ideo iam excluderetur accessum Hugolini tali occasione accidisse, fragile est. Etenim Iordanus

---

(1) Id quod P. Delorme expresse adnotavit, 293, nota 1 et *Par.* p. 21, nota 1.

(2) Editur, 290-1.

(3) Secundum II Cel. 61, ubi idem refertur: « *quodam die Paschae* »; sic etiam *Leg. maior,* VII, 9, e Celanensi. Sp 20 concordat cum P. Qua in re difficile est dictu, uter (P an Cel.) alterum correxerit. Quoniam narratum in P n. 67 « *quodam tempore* » accidisse dicitur et relatum in P n. 66, in quadragesima Graecii evenisse (idem in II Cel. 45, tempore incerto, sed item Graecii), non ausim e nexu logico, in P saepe admodum laxo, inferre in textu primitivo — qui ergo in P mendose mutatus hic esset — fuisse item festum Paschae. Cf. Delorme, 290, nota 3. In *Par.* p. 19, nihil hac de re coniecit.

(4) Cf. II Cel. 2 et 221. (5) Little, 13. (6) Cf. supra, 11, nota 4.

dicit mensas 23 illas anno 1221 sub divo, extra domum paratas fuisse pro turba Fratrum qui « ad tria milia » ([1]) tunc convenerant. Nihil proinde dicit, utrum necne tunc in domo ipsa seu loco Portiunculae mensae positae fuerint. Profecto Fr. Thomas Celanensis ipsemet fato illi Capitulo anni 1221 interfuerat ([2]) et anno circiter 1216 in Portiuncula habitu Ordinis a S. Patre indutus fuerat ([3]). Contradictionem ergo, si in sua narratione haec adfuisset, ipse probe notavisset. Omni in eventu, quemadmodum ipse Little innuit, Cardinalis Hugolinus « *cum multis militibus et monachis et aliis clericis* » iuxta P, « *cum turba militum et clericorum* » iuxta II Cel., probabilius occasione Capituli cuiusdam ([4]) Portiunculam adivit quam die feriali ordinario.

Quibus expensis, nulla superest ratio asserendi Thomam fontem suum assertum commaculasse; e contrario adiunctum illud de accessu Hugolini tempore Capituli indicat Thomam fonte illo usum non esse. Non ideo coniectabimus Thomam visitationi illi interfuisse, sed praeter Socios alii plurimi Fratres ei interfuerunt, praesertim tempore Capituli, a quibus haec narrantibus Fr. Thomas factum illud atque Cardinalis illacrimantis verba didicit.

In brevi suae dissertationis parte quinta Little urget: « Celanensem etiam mutavisse sententiam (seu sensum) documentorum sibi subministratorum » ([5]). Cuius mutationis, (sic dicimus, ut levius rem gravem enuntiemus), « exemplum drasticon » ([6]) occurreret in *Vita II,* 163: *Ministros verbi Dei tales volebat* [S. Franciscus], *qui studiis spiritualibus intendentes, nullis aliis praepedirentur officiis* etc. Nam Thomas hic « *probabiliter* », uti Little inquit ([7]), coram se habuit capita 7-9 *Intentionis Regulae* ([8]), quae opusculum certo genuinum Fr. Leonis est, e cuius cap. 9 locum istum legentibus Little subicit, quia in codice ex homoioteleuto omissus sit:

Et ([9]) *dicebat* [S. Franciscus]: « *Multum aedificantur fratres subditi, cum eorum ministri et praedicatores vacant libenter orationi et inclinant se et humiliant et sunt coadiutores operationum et laborum fratrum aliorum* ».

Neque aliud Little hic subdidit. Hinc fit, ut adverbio illi « *probabiliter* » modeste hic opponamus, asserti basim circa fontem et circa eiusdem mutationem a Celanensi perpetratam, revera pluribus atque ex-

---

([1]) Iordanus, n. 16. ([2]) Iordanus, n. 19. ([3]) *Vita I,* n. 56-7.
([4]) Quodnam fuerit, hic inquirere non vacat. ([5]) Little, 13.
([6]) L. c. « an instance of a drastic alteration ». ([7]) L. c. 14.
([8]) Cf. de ea AFH XX, 485. Eam e cod. S. Isidori *1/73* ed. L. Lemmens, DAF I, 83-99; adest in P n. 100a-c; partim in Lt n. 150 et dispersa in Sp 2, 4, 26, 72, 73.
([9]) Sic in Lt n. 150 sonat locus. De aliis textibus eiusdem cf. 15s.

plicatius firmandam fuisse. Quae animadversio sufficeret, nam saltem haud constat Fr. Thomam opusculum illud Fr. Leonis prae manibus oculisve habuisse, proinde neque textum illum immutavisse.

Nihilo tamen setius ad rem hic obiter illustrandam animadvertimus: inter utrumque locum a Little allegatum, non illa stridet contradictio, quam in eis stridere opinatur eruditus Anglus, dummodo dicta seu praecepta in alterutro loco suis quibusque temporibus locisque agenda esse intelligantur. Concedimus Fr. Leonem in *Intentione*, c. 7-9, explicitius insistere in operibus humilitatis Fratribus quibuscumque peragendis, quin audeamus hic decernere, utrum Fr. Leo hoc egerit ideo, quia Fr. Thomas in *Vita II*, 163, 164 et 187 haec minus explanate edixisset. Caeterum hic etiam recolenda sunt dicta in eadem *Vita II*, 71-75 (circa eleemosynas omnibus quaerendas, praesertim in n. 74), et circa ministros n. 145 et 140, l. 12-16. De his cf. plura, p. 19.

Quod ad homoioteleuton attinet, notandum est hoc obtinere potuisse solummodo, si textus citatus sonuit uti in Lt n. 150. Praecedunt immediate verba: *suarum et aliorum*, ob quae dittographia fit extremis loci citati verbis (immo extremo verbo): *fratrum aliorum*. — Iamvero in P 100b et *Spec. min.* c. 7 finis brevior sonat: *et inclinant se et humiliantur*. Sic dittographia plene evanuit. — Item in *Spec. mai.* c. 73, fine omnino sic variante: *et inclinant se libenter ad humilitatis opera et obsequia vilitatis*, homoioteleuton excluditur (¹). — Sed gravius est quod, uti P. Lemmens iam notavit (²), apud Ubertinum, in *Arbore Vitae Crucifixae Iesu*, l. V, c. 3, eadem omissio seu idem homoioteleuton occurrit (³). — His consideratis, de homoioteleuto illo sincere dubitari potest ac debet, atque nonnihil de ipso loco illo.

Postea sexto in loco Little instat circa omissiones in *Vita II* a Fr. Thoma consulto factas, quamvis fateatur: « Patet, in genere demonstrari non posse Celanensem tale particulare scriptum coram oculis habuisse, si ad idem non (explicite) alludit » (⁴). Nihilominus tunc Little recenset et urget: I°) in II Cel. 163 reperiri unicam allusionem, eamque vagiorem ad *Testamentum* in tota *Vita II;* II°) in II Cel. parte I semel leprosos memorari; in II Cel. parte II nullibi; III°) « non videtur (aït) ullibi explicite recoli quaestio de privilegiis non quaerendis »; IV°) alluditur sed vage, v. gr. in II Cel. 143, 188, ad discussiones inter Sanctum et Ministros. Atqui, inquit,

(¹) V. etiam Kruitwagen, 364.

(²) *Die Schriften des Br. Leo*, 44.

(³) Edit. Venetiis 1485, f. DIIvb. — In scriptis suis polemicis an. 1310 et 1311 Ubertinus hoc caput non exscripsit; cf. ALKG III, 75, 177; neque Angelus Clarenus, *Expositio Regulae*, ed. L. Oliger, Ad Cl. Aquas 1912, 195, id egit.

(⁴) Little, 14. Quae fortasse strictius sonant; nam hoc erui etiam potest ex indiciis quibusdam, quae clara sint ac gravia etc.

habemus aliqua scripta, quae Celanensis « quasi certo » ante oculos habuit *Vitam II* exarans, sed quae respuit. Haec sunt *Intentio Regulae* et *Verba S. Francisci* (1), quae Little tunc qua scripta genuina et separata Fr. Leonis defendit (2). « Probabile est, ait, Fr. Thomam, si unum caput horum scriptorum Fr. Leonis noverat (3), etiam reliqua capita eorumdem cognovisse » (4). Atqui, instat, « Fr. Thomas certo aliqua capitula *Intentionis* cognovit » (5), nam narrationem de novitio qui Psalterium habere cupivit, in *Int.* c. 7, 10-12, diffuse relatam, his paucissimis Celanensis in *Vita II,* 195 compendiavit: *Fratri laico volenti habere psalterium et ab eo licentiam postulanti cinerem pro psalterio obtulit.* Narratum in *Int.* c. 5, de Ministro, qui scrupulis agitabatur ob « tot libros » quos habebat, apud II Cel. 62, l. 5-8, item in summarium perbreve constrictum est (6). Celanensis etiam (idem urget), *Verborum* caput 6 cognovit, licet punctum sive rei mucronem diligenter obscuraret [seu obtunderet] in *Vita II,* 146, nempe: nulla privilegia a Papa esse petenda.

Quibus ita acervatim conserteque dictis, eruditus admodum vir in auctorem *Vitae II* aciem densam coëgit et instruxit, cuius cornu seu agmen novissimum primo impetamus oportet animose, ni receptui canere trepidi malimus. — Primum ergo ictum ferimus, animadvertentes 1°) in *Vita II,* 146 et *Verbis* c. 6 non plane de eadem re agi in utroque, nam II Cel. agit de pace cum clero saeculari servanda, in *Verbis* c. 6 explicite in causa sunt privilegia. Res igitur et quaestio ex altera parte considerantur in alterutro. Inde 2°) nil mirum, quod hic nulla dependentia litteraria inter utrumque deprehenditur. Sed ideo 3°) deest ratio dicendi, Fr. Thomam hoc caput *Verborum* ante oculos habuisse, atque 4°) eo vel magis deficit ratio incusationem supra fatam in Thomam ferendi. 5°) etsi *Verba* opus genuinum Fr. Leonis sine dubio sunt, inde non sequitur istud opus iam 1246 compositum esse. Immo 6°) quia, iuxta Little, Fr. Leo in hoc opusculo seu saltem hoc in capitulo regulas cursus observavit, manifestum fit e contrario hoc opusculum post 11 aug. 1246 compositum fuisse, testante *Epistola* saepefata huius diei.

Little, p. 16, denuo edit II Cel. 146 atque tunc (16-7) cap. 6 *Verborum* e P n. 19 [= *Par.* 115], quia in codice S. Isidori hoc caput deficit; cf. DAF I, 105s. — Hinc cuilibet vacat tenorem utriusque inspicere et distinguere. — Recte Little addidit illud cap. 6 etiam exscriptum fuisse

(1) Ed. Lemmens, DAF I, 100-6.

(2) Little, 15-18. Circa *Verba* minus explicite sententiam profert (15-16). Cf. notata ap. AFH XX, 485-6.

(3) De *Intent.* c. 7-9, hoc iam praesupposuerat (14); cf. supra, 13.

(4) Little, 14. (5) Little, 15. (6) L. c.

ab Ubertino in sua *Responsione* anni 1310 ap. ALKG III, 53 et ab Angelo Clareno in sua *Expositione Regulae*, 129-30. Idem caput invenitur etiam in *Spec. Perf. min.* c. 44 atque in *Spec. mai.* c. 50, quod etiam adest in Lt n. 105 (1). — De variantibus inter hos textus plura alibi dicenda erunt; sufficit modo adnotare, textum apud Clarenum in pluribus locis plura, sed non longa, exhibere, quae loci sensum magis explicant sed minime variant.

Quoad «*cursum*», de quo hic Little (17) ait: «Conspicitur hic Fr. Leo peritus «*dictator*» fuisse et rhythmos cursus adhibere potuisse, si maluit», haec sunt observanda. Revera cursus plerumque observatus est; habes planum in l. 1; in l. 3-4 velocem; l. 5 dispondiacum (est vero textus: I Petr. 1, 9); in l. 15-6 sententia explicit cursu veloci, item in ultimo fine, l. 19. Deest tamen cursus in finibus sententiarum, l. 8, 12, in quibus necessario observandus fuisset. Inde liquet compositionem non perfecte numerosam esse. Si talis foret, ex ipsiusmet Leonis *Epistolae* tenore, certo haec an. 1246 Ministro generali non misisset. Sed e cursu, qualis supra in hoc capitulo apparuit, non securitate tuta hoc inferendum esse videtur, quamquam cursus, quo perfectior est, eo securius hoc excludit, quin tamen absentia cursus hoc altera ex parte probet; cf. supra, 5 et 10.

Plene autem assentimur Little animadvertenti «*compilatorem*» codicis P nexum realem inter II Cel. 146 et *Verba* c. 6 optime perspexisse, quoniam inter *Verba* c. 5 et 6 inseruit et innexuit, aptissimo in loco (2), qua numerum suum 18, illud ipsum caput *Vitae II*, n. 146. Nam n. 19 in P est caput 6 *Verborum* et n. 17 est caput 5 eorumdem. Haec optime adnotans, Little obiter quaerit (3): «Compilator ille egitne hanc «*interpolationem*» ipsum Fr. Leonem secutus?». Cui quaesito ipse Little inferius (4) implicite, sed sat clare sic respondit: «Supra suggessimus incorporationem loci II Cel. 146 fortasse ipsi Fr. Leoni tribuendam esse. Attamen difficile est creditu, ipsum totam molem Extractorum e II Cel. in P inseruisse», quae scil. num. 1-3 partis primae atque integram partem mediam seu secundam e tribus *Compilationis Perusinae* efformant.

Ultimae huic sententiae plena suffragia ferimus, perfecte cum claro viro, plures ob rationes, consentientes (5). Porro priori sententiae subdere licet: Si Fr. Leo hoc caput florilegio suo inseruit, profecto hoc egit post *Vitam II* iam exaratam, id est post an. 1247. Insuper si Fr. Leo tunc denuo Anthologiam suam Sociorumque aliorum trans-

(1) Kruitwagen, 358, nullas notavit variantes.

(2) Utique post *Vitam II* iam exaratam: cf. discussa ap. AFH XX, 474.

(3) Little, 16: *The compiler... (was he at this point following Leo himself?) however recognized the connexion* etc. et in nota 1.

(4) P. 18. (5) Cf. quae discussimus ap. AFH XX, 468ss.

scripsit, hoc in casu *Vitae II* influxum manifesto subiit, unde alibi quoque hoc verisimillime accidisset, id quod plura indicia nobis prodebant [1]. — Praeterea Fr. Leo sic post an. 1247 florilegio suo interserens II Cel. 146 inter num. 17 et 19, insinuavit aperte: 1°) Celanensem ibi non idem narrasse seu exposuisse quod ipse Fr. Leo exposuerat (vel tunc exposuit) in citato num. 19, (id quod et nos supra diximus). Fr. Leo sic insinuavit: 2°) Celanensem hoc capitulo non usum fuisse qua fonte; hoc si iste fecisset, nescio cur Fr. Leo capitulum hoc e suo scripto promanans in novum suum opusculum (seu in antiquius hic rescriptum) admiserit [2], bis superfluum: quoad materiem et quoad formam [3].

Attamen quaestio ista largius hic consideranda et tractanda nobis videtur, ideoque in quaesitum a Little factum paululum revertemur. Fatemur quaesito illi clare et praecise responderi non posse, nisi originale Fr. Leonis scriptum vel aliud eiusdem apographon, plene et certo authenticum in medium proferatur. Quod est diuque iam fuit in votis, hucusque, proh dolor, non completis. Si tunc apparebit Fr. Leonem ipsum hic innexuisse II Cel. 146, supra a nobis dicta circa tempus scripti huius liquido confirmabuntur; sin autem ibi deerit hoc caput II Cel. 146, patebit « interpolatorem » hic et alibi in P, item post annum 1247 utique actitantem, minime Fr. Leonem fuisse, sed alium quempiam. Interim, quin inter prophetas alienigena abeam, opinari licet, non ipsi Fr. Leoni « interpolationem » hanc deberi.

Nam statim post P num. 19, i. e. post. *Verba*, c. 6, in P qua num. 20 insertum est illud capitulum breve ac acerbum, in quo: *dixit Dominus Iesus Christus Fr Leoni* tres querelas adversus Fratres. Idem habes in Sp c. 52 et alibi in pluribus locis scriptisque [4]. Neque P. Delorme. neque P. Sabatier [5] huius capituli textum manu Fr. Leonis scripto traditum esse asserere sunt ausi; et recte quidem. Aliis verbis, iisque paucis: Interpolator ille qui II Cel. 146 in P 18 inseruit, tunc post n. 19 inseruit etiam hoc capitulum, non ab ipso « *Pecorello Iesu Christi* » [6] exaratum, et multo minus an. 1246 missum ad Ministrum generalem. Quod dicentes eiusdem tenorem sive rem negare nolumus.

Circa eadem *Verba*, solis 6 capitulis constantia, Little iusta ratione animadvertit, capitula 1, 2, 4, 5 vix ullum vestigium in II Cel. reli-

(1) V. l. c. 478ss., 487ss.

(2) Little, 16, nota 2, iure adnotavit in Sp contineri utramque ' versionem ' huius capituli, scil. Fr. Leonis in c. 50 et Celanensis in c. 54. Hoc revera stilum et verba quam plurima e II Cel. 146 transsumpsit.

(3) Alia e loco numeri 18 in P inducere non ausim, subnotans solummodo, nonnihil esse mirandum quod II Cel. 146 hoc in loco innexum sit, i. e. ante num. 19 seu *Verba*, c. 6, quia etiam post hunc num. 19 apte insertum fuisset, quin seriem *Verborum* sic dirumperet, quippe quae hoc capitulo 6 expliciunt.

(4) Cf. de eo dicta ap. AFH XX, 487s., 495. (5) Cf. l. c. et Sabatier, OCH II, 345, qui saltem dubius haesit. (6) *Actus*, c. 9, n. 51.

quisse (1). — Celerius autem arguere videtur ob initium capitis 1 in codice S. Isidori: *Item dicebat B. Franciscus* opusculum extractum quoddam esse apparere (2). — Nam 1°) hoc *Item* post rubricam MS.i ratione non caret, cum *Intentio* in MS. praecedat, similis generis opusculum; 2°) in P n. 14 hoc caput 1 exorditur: *Dicebat B. Franciscus*, quin tamen rubrica ulla, uti neque in toto codice P, praecedat (3). — Deinde Little censet c. 3 nonnisi extractum esse e II Cel. 208, l. 5-7; nam Angelus Clarenus qui *Verba* in extenso exscripsit, hoc cap. 3 praetermisit, uti etiam P n. 14-19 (4). — Ad quod dictum, quin rem hic penitus discutiamus, reponendum est: 1°) Si Fr. Leo, uti Little innuit, in P n. 18 inter c. 5 et 6 *Verborum* inseruit II Cel. 146, non est ratio, cur omnino negemus ipsum etiam pauca et optime dicta e II Cel. 208, directe assumpsisse in *Verba*, qua perbreve caput 3 eorumdem. 2°) Quod hoc caput in P omissum fuerit, neminem obstupescet, considerantem in P adesse integrum numerum II Cel. 208, nempe in P n. 38. Fatemur vero, sic non explicari omissionem apud Clarenum, cui pulchrum illud dictum Celanensis (et fortasse etiam Leonis) optime et aptissime convenisset.

Quoad *Intentionem*, Little censuit Celanensem duo facta Fratris novitii et Ministri ex ea hausisse. — Tamen quilibet perspicit compendiola ista duo in II Cel. 195 et 65 penitus distare a narrationibus quales largissimae in *Intentione* expanduntur. Quare hic dependentiam ex ipsa forma litteraria inducere, arbitrio haud carere videtur. Si perpenderis, etiam Celanensem plura ab aliis Fratribus certo didicisse (5), non asseres duo illa facta evenisse in praesentia solorum Sociorum, sed concedes eiusmodi narratiunculas, quae novitium ipsiusque Psalterium atque Ministrum quemdam eiusque libros complures attinebant, facile palam narratas fuisse a Fratribus. Hoc etiam harum relationum apud II Cel. brevitas nobis insinuare videtur. Reputes quoque neutrius nomen ab ullo memoriae proditum fuisse. — Quibus pensitatis, saltem, ut moderatius dicamus, minime constat Celanensem duo opuscula illa Fr. Leonis usurpasse pro *Vita II* sua concinanda.

Ascendimus ideo nunc ad ea quae eruditus auctor in principio argumentationis istius accumulavit et condensavit. Quem regressum facientes perpendimus atque commonefacimus, reapse Celanensem in *Vita II* suam *Vitam I* supplere voluisse (6); quare ratione non iusta a Fr. Thoma expostulatur severe, ut et haec et illa in *Vita II* recolere omnino debuerit, nullo habitu respectu ad *Vitam I*. Non secus ac alii, nos quoque lacunas hiare in utroque opere conquerimur et sincere lugemus, quin tamen circa omnia adversus eum delata actio-

(1) P. 16. (2) P. 15.
(3) Ap. Clarenum, *Expositio*, 126, ob alium nexum logicum incipit: *Quare dicebat B. Franciscus;* itemque ibid., 109: *Et frequenter dicebat.*
(4) Little, 15. (5) Cf. AFH XX, 445s., 450. (6) Cf. l. c. 449.

nem ipsi intendere et iudicio cum ipso experiri velimus. Expostulationes tamen supra a Little positas singulatim inspiciemus.

Incusatus est Fr. Thomas, quod in *Vita II* semel tantum, idque vagius, *Testamentum S. Francisci* allegaverit in num. 163, l. 12-14.

Hoc autem in loco Fr. Thomas revera *Testamento* omnibus, ut puto, Fratribus caeterum noto, quasi vim praecepti tribuit, circa theologos honorandos (1). — Insuper dicta in II Cel. 9, l. 25-28 in nexu cum leprosis: *sic amara pro dulcibus sumit,* exordium Testamenti (2) illico in mentem revocabant. — Addo aliam allusionem, Fratribus quibusque sat perspicuam, in II Cel. 161, 6-8: *Dixit autem aliquando: « Volo omnes Fratres meos laborare et exercitari, et eos qui nesciunt, aliquas artes addiscere ».* Quae quidem verbotenus saltem partim in Testamento leguntur (3): *et omnes alii Fratres firmiter volo quod laborent.... Qui nesciunt discant.* — Caeterum expressis verbis *Testamentum* citaverat in *Vita I,* 17, 3-5; cf. ibid. n. 45, 6-8.

Leprosi reapse memorantur in II Cel. 9, et quidem bis. Sed insuper *hospitale leprosorum,* recolitur expresse in n. 66 et *domicilium leprosorum,* in quo S. Franciscus quiescere volebat, in n. 98; implicite etiam in n. 122 (4). — Cf. de leprosis I Cel. 17, 39, 103.

Quaestio de privilegiis de facto directe non expanditur, sed in II Cel. 146, manu quasi prenditur; de quo num. vide supra, 15.

Ad Ministros, quorum conscientias onerabat Sanctus in II Cel. 143 et in quos sibi contrarios: *in vehementia spiritus* plura edixit in n. 188, longe plus quam vage alluditur, praesertim in hac acri paragrapho. Insuper eorum munera sed blandius exposuerat Sanctus in paragrapho praecedente, n. 187. — Notandum est expresse, caput illud acerbum *Vitae II,* 141 seu num. 188, alibi non reperiri; nam P n. 36 est ipsum hoc caput *Vitae II,* sed partim tantum (l. 3-11). Omittuntur enim l. 11-17, cum dicto S. Francisci amaro valde in ministros provinciales; haec pars item omissa fuit in Sp 41, in quod pars prior sola (l. 3-11), paucissimis mutatis, transsumpta est.

Postquam sic omnes argumentationes a perdocto viro A. G. Little institutas et instructas examinavimus, non dubitamus e praevie discussis inducere, ea quibus ostenderetur, Fr. Thomam pro *Vita II* concinnanda capita plura in MSS. Little et Perusino contenta adhibuisse, quippe quae partes fuissent florilegii a Fr. Leone una cum aliis Sociis ante 11 augusti 1246 collecti, revera assumptum hoc non evicisse, quamvis peritia admodum perspicaci probationes indiciaque proponerentur atque expanderentur. Quandoquidem eruditus A. G. Little ea perite selegit capitula quibus vis probandi maior inesset, reliqua capitula sui MS. supra recensita, singulatim hic discutere haud necesse existimamus.

---

(1) *Opuscula,* 78-9. (2) Ibid. 77. (3) Ibid. 79. (4) Cf. AFH XX, 482s.

De Tractatu Miraculorum S. Francisci.

Tractatus iste tertius fuit, quem de S. Francisco concinnavit Fr. Thomas de Celano, secundus quem compilavit. Etenim primus omnium *Vitam I,* demptis miraculis post obitum Sancti secutis (n. 127-150), e proprio penu suo litterario anno 1228 hauserat, nullo auctore praevio usus, dein annis 1246-47 *Vitam II* compilaverat, florilegium Sociorum, aliorumque Fratrum narrationes et, opinamur, scripta adhibens. Ultimo in loco *Tractatum de mirac.,* qua tertium opus hagiographicum in honorem S. Patris Assisinatis item compilavit, non iam biographiam qualemcumque S. Francisci componens, sed miracula aliquando a Sancto inter vivos degente atque praesertim postmodum gloriose inter beatos caelicolas regnante perpetrata, conscribens.

Pro sua indole *Tractatus* iste modernorum, magis ad facta vitae actae attendentium, aestimationem minorem obtinuit quam duo opera biographica anteriora, unde in controversiis quibus *Vitae* occasionem dederunt, *Tractatus* negligebatur, quamquam momentis et monumentis biographicis minime destituatur atque cum *Vita II* et *I* relationes complures habeat. Etiam apud Sancti biographos in minore quam par est usu et censu habitus est [1].

De tenore Tractatus in genere.

Tractatus de mirac. [2], qui brevitatis ergo *III Cel.* allegari iure potest, divisionis cuiuspiam in sectiones seu *opuscula* sive *opera,* quemadmodum Fr. Thomas has nominabat [3], expers est, cum nonnisi *Miraculorum* variorum series varias comprehendat, in 18 capitula dispertitas, quibus in fine subnectitur brevissimus Epilogus (cap. XIX).

Caput VI: *De domina Iacoba de Septem Soliis* (num. 37-39) inscriptum, revera in codice non qua tale computatur, cum titulus in solo margine additus sit, sed logice capitulum separatum constituit, unde visum est, neque in hoc divisiones, ab eo qui primus III Cel. edidit invectas, perturbare. — Unica praeterea adest postilla marginalis, in exordio num. 4: *Modus apparitionis Seraph.* Quae postilla nihil aliud est, in re et in forma, quam altera pars tituli huius capitis II, in quo tamen insuper nexu logico miracula circa sacra stigmata in dubium vocata et divinitus « roborata » (n. 6-13) subnectuntur.

---

(1) Ap. Fr. Tom. da Celano, *Le due Leggende di S. Francesco, tradotte da* F. Casolini, Quaracchi 1923, plures paragraphi circa S. Franciscum vivum e *Tractatu* selectae, subditae sunt, p. 365-87.

(2) Editus est a Fr. Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII (1899), 113-74; a P. Ed. Alenconiensi, *S. Francisci Vita,* 341-432: tertio ap. AF X, 271-331. — Editionis cuiusque capita et paragraphi eadem sunt. — Pars edita fuerat a P. Sabatier, ap. *Misc. Franc.* VI (1895), 40-3.

(3) Cf. AFH XX, 449.

Exordium nunc fit in capite I miraculis improprie dictis, cum inscribatur: *Quod ortus Religionis suae mirabilis fuit,* id quod modo theologico expanditur: ipse ortus Ordinis mirabilis fuit atque eiusdem « *fecunditas sterilis* [et] *partus multimodae gentis* ». Titulus ergo iste item a parte prima capitis, pro aevi illius more, desumptus esse apparet. — Caput II (n. 2-13) dicatur stigmatibus, ut iam innuimus, quibus S. Franciscus est: *configuratus ... corpori Crucifixi* (n. 2, l. 5), ob s. Crucis amorem (n. 2), pluribus modis ostensum. Crucifixus ipsi locutus est; crux aurea ex eius ore processit (n. 3); in crucis modum Fratribus apparuit; signo Thau epistolas suas Sanctus consignabat et « *cellarum parietes depingebat* »; signum Thau in eius fronte visum est (n. 3). Describuntur stigmata in vivo Sancto atque defuncto (n. 4-5); dein miracula de eis subsequuntur (6-13). — Caput III de dominio Sancti: *super creaturis insensibilibus et primo de igne* inscribitur. — Sed singulorum capitum, iuxta *Miraculorum* diversas species dispositorum, tituli atque tenores cuicumque intuituro ex semetipsis patebunt. — In tribus editionibus 19 capitula *Tractatus* in 198 paragraphos divisa sunt.

Quid circa vitam S. Francisci Tractatus contineat.

In praeallegatis primis capitulis perinde ac in reliquis ea quae S. Franciscum viventem spectant, cum *Miraculis* post obitum gloriosum gloriose secutis confunduntur. Utile erit, ea paucis colligere, quae vitam Sancti attingunt.

In n. 14 narratur denuo (e *Vita II* enim haec narratio ferme verbotenus assumpta est), coctura ferro torrido facta Sancto oculorum sanandorum causa: in n. 15 recolitur item rusticus sitiens, cui aquam e petra produxit Sanctus. Paulo infra (n. 17) de vino in aquam converso recurrit narratio, cui subditur nova relatio (n. 18*) de bovibus in provincia Reatina a lotura pedum manuumque Sancti curatis.

Reliqua brevius hic adnotabimus, asteriscis eas paragraphos insignientes, quae nova referunt, in *Vita I* et *II* non relata. Deinde leguntur in n. 20: praedicatio ad aves habita; recoluntur in n. 21, hirundines; n. 23 avicula; n. 24 piscis, n. 25 falco, n. 26 phasianus, n. 27 cicada, n. 28 apes, n. 29 lepusculus, n. 30 cuniculus, quas bestias Sanctus cicuravit; in n. 31* oves balatibus eum salutant et iuxta n. 32* alaudae post Sancti transitum super tectum Portiunculae rotabant.

In n. 33 stipes naviganti Sancto ministratur; in n. 34* ex Hispania redeunti et valde aegroto avicula peroptima et peroptata affertur; in n. 35 pannus pro tunica porrigitur; n. 36 prandium opiparum pro medico invitato apportatur.

In paragrapho 37-39* Iacoba de Septemsoliis ad iamiam moriturum accurrit, ferculum ferens optatum, sanctique defuncti stigmatum « caelaturas » osculatur, miratur, hortaturque ut miraculum hoc caeteris certatim accursuris, exhibeatur. — In par. 41* Celani, in patria auctoris, (qui hoc non expressit ac hospitis nobilis nomen reticuit),

militi eum invitanti repentinam mortem praedixit, coram Sancto cum eo pransuro secutam.

Dein multo intervallo nihil e vita S. Francisci memoratur, usque ad n. 84*, in quo quaedam, in nave periclitante in lacu Reatino, Sanctum invocat, dicens: « *qui mihi, vivens in carne, familiaritatis beneficium indulsisti* ». — Certo decidi nequit, utrum vivum Sanctum spectaverit dictum Petri de Alifia, haeretici, Romae capti et a Gregorio IX episcopo Tiburtino traditi, qui: *fidem magnam habebat ... in S. Francisco, quoniam, ut aiebat,* [alios] *haereticos audierat contra ipsum nimium oblatrasse.* Quem Sanctus, fractis vinculis et aperto arctissimo carcere, liberavit (n. 93*). — Beatrice *in partibus Romanis* ex abortu laborante aegerrime, *contigit nutu divino aliquantulum reperiri de chorda, qua fuerat sanctus quandoque praecinctus,* qua super eam posita, Beatrix sanata est (n. 96*). — Freni habenae, quibus S. Franciscus usus fuerat, in partibus Aretii mulierem sanaverunt (n. 108). — Mulier Narniensis caeca sanata est, signo crucis a Sancto super oculos eius facto (n. 121).

Bevanii a religiosa femina hospitatus, nepti eius caecae, oculos sputo deliniens, Sanctus lumina restituit (n. 124*). — Camerini mulier dextri oculi lumine privata, hoc recepit attactu panni: *quem B. Franciscus tetigerat* (n. 136). — Assisanus quidam caecus, olim vivo Sancto *familiaris,* ad sepulchri ipsius tactum illuminatus est (n. 138). — Per « castellum Sancti Gemini » transiens mulierem a daemonio vexatam liberavit (n. 155) atque alteram in « Civitate de Castello » (n. 156). — « In castro Chorae », Ostiensis dioecesis, quidam qui cruris usum ex apostemate perdiderat, ita « querelando » precabatur: « *Adiuva me, sancte Francisce, recolens meum servitium et devotionem tibi impensam! Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos et sanctas manus tuas osculatus fui* ». Cui Sanctus apparens, apostema tetigit *cum baculo parvulo, qui figuram Thau in se habebat* ... [et] *usque hodie signum Thau super locum remansit* (n. 159). — Ibidem statim subdit Sanctum signo Thau epistolas suas signavisse; quod iam dixerat in n. 3, ubi addiderat: Sanctus hoc signo etiam *cellarum parietes ubilibet depingebat.*

Cum aliquando « per episcopatum Reatinum » pertransiret, puerum octennem monstruose turgidum contactu suo curavit (n. 174*). — Tres paragraphi sequentes 175-7 et 195 e *Vita I,* n. 65-67 assumptae sunt. — Apud Ortam puer quidam misere conglomeratus, Sancti benedictione suscepta: *in instanti deglomerari coepit* (n. 178*); accola eiusdem urbis strumam magnam gerens: *signatus a S. Francisco, ... de subito plenarie liberatus fuit* (n. 179*).

Non pauca igitur *Miracula* etiam vitam S. Francisci per varias regiones itinerantis aliquantulum illustrant. Ex n. 159 v. gr. induci potest, ipsum aliquando regionem prope Coram [1], peragrasse,

[1] Modernis « Cori » alias « Core » in montibus Lentinis, non longe a Velitris (Velletri), antiquis « Cora ».

fortassis iam stigmatibus insignitum et impeditum, quia asino veheretur. Similia de aliis oppidis praefatis essent quoque dicenda.

De Miraculis S. Francisci post transitum, et quaenam ex eis Fr. Thomas collegerit.

Maxima autem longe pars *Miraculorum* evenit post Sancti transitum (3 oct. 1226) atque post canonizationem, quae 16 iulii 1228 celebrata erat [1]. Fr. Thomas, qui sollemnitati isti praesens interfuerat [2], et Cardinalem Octavianum de Ubaldinis: *miracula Sancti coram omnibus voce altissima* legentem audierat, haec: *miracula quae coram domino papa Gregorio, ut dictum est, perlecta sunt et populo nuntiata, breviter et veraciter* [3] conscripsit in *Vita I*, n. 127-150; quae *Miracula* illius operis pars IV computari possent. Vix, adverbio *breviter* non obstante, brevius quam perlecta fuerant, sed diffusius, neque textum orationis Cardinalis exscripsit, quoniam Octavianus brevitati studere debebat ob alia frequentissimae et diuturnae celebritatis adiuncta [4].

Postquam enim Octavianus *Miracula* legerat, Cardinalis Rainerius Capocius, O. Cist.: *ea sacris loquelis, lacrimis perfusus, edisserit.* Sed iam in initio sollemnitatis ipse Papa Gregorius IX humillimum Franciscum statim caelitibus accensendum 'nobilissimo sermone collaudaverat', qui post lectionem et orationem duorum Cardinalium canonizationis formulam edixit et pronuntiavit. Exinde decantatur *Te Deum,* ac Gregorius novelli Sancti: *tumbam ... felicibus labiis osculatur ... celebratque mysteria sacra* [5].

Tanta in sollemnitate Cardinalis Octavianus vix vel nullo modo, ut secundam orationem e tribus, omnia Miracula perlegebat, ea prolixitate, qua in *Vita I* n. 127-150 descripta sunt. Sed Fr. Thomas in eis exarandis usus est proculdubio actis illis, quae canonizationis praeparandae causa collecta erant [6]. Cum enim, mense iulio 1228 ineunte, Perusii ubi Curia Romana tunc residebat, de ea coram Papa, Cardinalibus aliisque praelatis haberetur tractatus [7]: *Miracula legunt et plurimum venerantur* [8]. Ob idipsum obtinendum certo Fratres Minores Assisii 'miracula nova, quae ad Sancti tumbam assidue fiebant' [9] scriptis commendaverant, quae Fr. Thomae indubie pervia erant, plus minus, ut censemus, exacta et exarata ad instrumentorum publicorum ritum modumque. Haec tunc praelatis,

---

(1) *Vita I,* 126. (2) *Vita I,* n. 121-6, e quibus hoc manifestum fit.
(3) *Vita I,* 127. (4) Descripta ib. 125-6.
(5) Quae omnia fuse narrantur in I Cel. 125 et 126.
(6) *Vita I,* 123. Cf. etiam AFH XV, 324 e P; v. ib. XX, 492. Acta ipsa deperierunt. (7) *Vita I,* 123; *Vita II,* 220, l. 9ss.
(8) *Vita I,* 123, 18. (9) *Vita I,* 121, 1.

quibus canonizationis negotium commissum erat, et quibus Summus ipse Pontifex praesidebat, submissa fuerunt. Quae notamina Assisana sive acta processus Fr. Thomas non simpliciter exscripsit, sed transformavit, ad *cursus* regulas eadem redigens.

Quando paucos post annos idem Fr. Thomas *Legendam chori* eadem dictione numerosa exaravit, plura *Miracula* e *Vita I* compendiando assumpsit (n. 14-16), sed etiam aliquot nova tunc addidit brevissimo stilo. Utebatur tunc elencho *Miraculorum* praefato, qui, interim auctus et in dies augendus, non poterat non exstare apud Fratres prope basilicam S. Francisci. Haec tunc construebatur, supra novum Sancti sepulcrum gloriosum, in quod 25 maii 1230 translatus et in quo reconditus absconditusque fuerat (¹). Qui elenchus interim (i. e. inde ab anno 1228) ergo auctus fuit, et in dies magis augendus erat.

In *Legenda chori* brevitati necessario studebat Fr. Thomas, qui eiusdem generis miracula in hac paucis constrinxit, plures fuisse eos saepe dicens, qui tali morbo curati, tali e periculo liberati fuerunt (²). Ita clare innuit, se plura scire, tunc non sibi referenda.

Postquam n. 15, l. 9-14 paucis 4 nova miracula, in *Vita I* non relata, de mortuis resuscitatis retulit, subdidit: *Alios vero septem, qui iam ad exitum propinquabant, ab ipsa fauce mortis eduxit.* Haec ergo 7 miracula tunc probe noverat, nam 5 memoraverat in *Vita I,* 139-140, interim VIIum accesserat, de quo nihil praecisi addit. Quando *Tractatum de mirac.* exaravit, universim 21 tali miraculo salvatos esse narrare potuit, licet duos adductos in *Vita I,* 140, n. III et V, hic (³) praetermittat.

Quae ratio augendi *Miracula* in *Legenda chori* (et postmodum in III Cel.) nos docet, Fr. Thomam studium saltem aliquod habuisse et egisse, ut nova *Miracula* de S. Francisco prodeuntia sibi quoque notaret. Hinc neque ipsum a se alienum putasse existimamus, ut nova gesta S. Patris, sibi eatenus incognita, vel memoriae suae commendaret, vel, id quod probabilius est et pro *Miraculis* peregit, in chartam coniceret seu in libellum suum conferret.

Cum circiter 25 annis postea Fr. Thomas se accingeret *Tractatui de mirac.* exarando sive compilando, certe denuo ad Elenchum illum Assisanum recursum habuit, sed insuper etiam ad notas quas ipse collegerat, ad ea quae ab aliis Fratribus primitus audiverat et quae a saecularibus narrantibus acceperat, praesertim ab iis qui miraculo quodam sanati, adiuti, liberati fuerant, sive isti directe sive indirecte ea in Sancti gloriam et laudem narraverant.

(¹) *Leg. chori,* n. 13 et ibi p. 126, nota 7.

(²) *Leg. chori,* 14, l. 4-8; 15, l. 3, 6-8; 16, l. 7.

(³) III Cel. 49-69. — In cap. XIV, inter surdos, omisit etiam I Cel. 150, V.

In *Tractatu* aliquot miracula commemorantur, e quibus studium illud Fr. Thomae patefit. Dictum fuit [1], sollemne illud testimonium de stigmatibus potissime in Sancto iam defuncto sed etiam vivo (n. 5), testem ocularem prodere:

Vidimus ista qui ista dicimus, manibus contrectavimus quod manibus exaramus, ... tactisque sacrosanctis etc. *Plures nobiscum Fratres, dum viveret sanctus, id aspexerunt, in morte vero ultra quam quinquaginta cum innumeris saecularibus venerati sunt* [2].

Attamen sententiae isti plura officiunt. Enimvero in *Vita I* [3], ultimum biennium S. Francisci aggressurus, sat patenter Fr. Thomas innuerat, se ea ab aliis habuisse [4]. Forma primae personae numeri pluralis, quae totum locum supra positum consequenter afficit, magis suggerit, Celanensem hic aliorum auctorum sive testium oculatorum personam induisse, ut in similibus locis aliis [5]. Quod eo maiore iure hic agere poterat, quo frequentius sacrorum stigmatum 'miraculi novitatem' [6] 'omnibus saeculis inauditam' [7] a Fratribus et a saecularibus, dum postea Assisii degebat, summa cum admiratione narratam audivit. Proinde hac forma dicendi horum universorum testium personam legitime induebat Fr. Thomas, eorumdem universorum unanimi suffragio talia promens [8]. Ita testimonium collectivum Fr. Thomae, ultra quam quinquagies et insuper innumere multiplicandum, totidem testium oculatorum firmitate consistit. Neque conicias oportet, eum hic alium auctorem exscribere.

Paulo infra de matrona quadam Romana agens, modo praecisiore Fr. Thomas haec scripsit: *Vidi maritatam hanc virtutibus plenam, vidi, fateor, sub saeculari veste animum Christo Domino consecratum.* Non tamen huius matronae nomen fecit. Rem autem ab eadem semet didicisse modo illo liquido et primae personae numeri singularis forma enuntiat (n. 8-9).

De qua re non est mirandum, cum Fr. Thomas Assisio Celanum pergens, Celano Assisium revertens, certe Romam pertransibat; ex Urbe in Via Valeria per Tibur [9] usque ad lacum Fucinum, iuxta quem Ce-

---

(1) Scil. a P. Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 89. Contradixit P. Ed. Alençon. l. c. XVII.

(2) Numeri multo minoris *Elenchus Assisanus testium oculatorum S. Francisci stigmatum*, quem edidimus ap. AFH XIX, 131-2, hinc minime inter fontes *Tractatus* computari potest, licet probabilius an. 1237 collectus sit: l. c. 935-6.

(3) Num. 88, l. 10.

(4) Aliunde non certo scimus Thomam tunc Assisii commoratum esse: cf. AF X, p. III. (5) Cf. II Cel. 58, 94, 98, 182: sed et ibid. 127.

(6) III Cel. 5, l. 5-6. Cf. *Vita I*, 112-4. (7) Cf. II Cel. 11, 1.

(8) Res plane dirimi posse nondum videtur.

(9) Cuius mentionem facit in III Cel. 93, 99 et II Cel. 86.

lanum in colle residet, pertingebat. — Si vero aliam directionem tenere malebat, facile Assisio Fulgineum ibat, inde in Via Flaminia Spoletum et Interamnas prosecuturus, unde in iam propinquam vallem Reatinam veniebat, in qua certe plures dies versabatur in variis locis Fratrum, S. Francisco valde caris, ibique S. Francisci plura gesta et signa narrantes Fratres saecularesque auscultabat. Reate profectus in Via Salaria Introducum ([1]) gradiebatur, hinc in Via Sabina incedens, Amiternum ambulabat ([2]) sive usque ad trivium prope quod an. 1253-55 fundatum est oppidum Aquila nuncupatum ([3]). Sic iam in finibus patrii Aprutii degebat ac alia via pluribus castellis tunc munita ([4]) per saltum Montis Sirentis ([5]) in Marsiam commeabat, mox in patrium oppidum Celanum perveniens. Nos autem laribus patriis auctorem commendantes, Romam regrediamur oportet.

Res Romanas Celanensis commemoravit in n. 42, in quo de puerulo septenni notarii Romani e fenestra cadente et dure direque colliso, sed S. Francisci invocatione vitae reddito, sermo fit ([6]). — Sermo de rebus Romanis protrahitur modo perapto ad alliciendum legentium animos et cognitionem intimam rei narratae prodente, licet haec non expresse enuntietur, in n. 181. Ibi enim cum adiunctis minutissimis narratur, quomodo:

Praxedis, religiosarum famosissima in Urbe ([7]) *ac orbe Romana, quae a tenella infantia sua, ... carcere arcto se per XV iam fere annos abdiderat, apud S. Franciscum familiaritatis gratiam commeruit specialem. Nam quod nulli feminae alteri fecit, ad obedientiam eam suscepit* ([8]), *pia devotione concedens ei religionis habitum, tunicam videlicet atque chordam.* Quae aliquando: *solarium suae cellulae* ascendens, crudeliter corruit, crus pedemque confregit atque humerum luxavit. Cellulam suam

---

([1]) Memoratur in III Cel. 185.

([2]) Cuius meminit in III Cel. 158, 184-5. ([3]) Cf. infra, 51.

([4]) Haec nunc modernis nominibus vocantur « Ocre » (Ocra), « Rocca di Cimbia », « Rocca di Mezza », (quae duo castella planitiei in medio saltu imperabant), tunc « Ovindoli », eo tempore Obinulum dictum, quod iam prope et supra Celanum sistitur. Obinulum magni erat momenti in pugnis a Friderico II adversus Comites Celanenses actis anno 1221-1223: cf. Riccardus de S. Germano, *Chronica* [coaeva], ap. Muratori, RISS VII, 1001; MGH SS XIX, 341 s.; ed. Gaudenzi, Napoli 1888, 103 s., 107 s., 111.

([5]) Etiam miraculum in his montibus factum commemoratur in III Cel. n. 16. Cf. infra, 28 s. ([6]) Cf. infra, 47-9.

([7]) Liv. Oliger, *S. Francesco a Roma e nella Provincia Romana*, ap. *L'Italia Francescana nel Settimo Centenario della morte di S. Francesco*, S. Maria degli Angeli 1927, 65-112, p. 78, occasione Praxedis recte duas *reclusas* tales recolit memoratas in *Miraculis S. Dominici*, narratis a Sorore Caecilia Romana, ed. In. Taurisano, *Fontes selecti Vitae S. Dominici*, ap. *Analecta O. Praed.* XV, Romae 1921-22, II, 28-9; in edit. separata, ibid. [1922], 51-2.

([8]) Quod aliis Fratribus expresse vetuit Regula I. c. 12, ap. *Opuscula*, 41. Cf. infra, 28, nota 7.

curationis causa relinquere renuentem S. Franciscus, in visione sibi apparens, sanitati integrae restituit. 'Monacho cuidam accurrenti' omnia per ordinem enarravit grata Praxedis.

Res Romana tractatur etiam in toto capite VI, in quo (iam paucis ([1]) haec recoluimus) de domina, immo 'de fratre' Iacoba de Septemsoliis, quemadmodum ipse dixit S. Franciscus ([2]). Hoc in nexu Romano intelligenda sunt ea quae in fine huius narrationis drammaticae Celanensis ([3]) subiungit: «*Iohannes Frigia Pennates*», dominae Iacobae filius, acta in Portiuncula, die 3 octobris 1226 et narrata in n. 37-39: «*libere... iurat, dubiis omnibus confitetur*».
Hisce profecto verbis Fr. Thomas Iohannem de Frangepanis (cuius nomini classicam quamdam speciem indidit) auctorem rerum a se hic narratarum dicit, testemque adhuc inter vivos degentem et vegetum compellat, paratum relata iure iurando confirmare. Enimvero Iohannes una cum Iacoba matre sua et celebri militum scutiferorumque comitiva ([4]) primis diebus mensis octobris anni 1226 Roma Assisium equitaverat ad Sanctum iamiam moribundum. Ab ipso Iohanne Fraiapanis Fr. Thomas, qui plura alibi non tradita ([5]) hic praebet, Romae, ut putamus, haec perceperat. — Modo vero et nos cum Celanensi (n. 39, 21): *ad alia transeamus,* videlicet ad alia Romana et ad Aprutina, mox huc redituri.

Aliud testis et actoris testimonium Celanensis nobis protulit in n. 54, semetipsum qua testem auricularem adducens. Miraculum hoc tangit conventum Provinciae Romanae, Corneti ([6]) tunc iam fundatum, iamque constructam ecclesiam, pro qua campana fundebatur. Feliciter peracta fusione, omnibusque ideo convivantibus:

Puerulus ([7]) *quidam octennis, Bartholomaeus nomine, cuius pater et patruus fusioni insudarant, exenium quoddam apportavit. Subito ventus irruens, concussa domo, ipsum domus ostium, quod magnae molis erat, in puerulum turbine tanto proiecit, ut crederetur quassatus. Fusioni confusio succedit; S. Franciscum advocant. Levatur funestum pondus desuper puerum, et ecce, laetus apparuit, nullius signum afferens laesionis. Successit confusioni refusio gaudiorum. Testatus est ipse*

([1]) Cf. p. 20, 21 et infra, 49s. ([2]) III Cel. 37, 16-7.
([3]) N. 39, 17-20. Integrum locum habes infra, 49.
([4]) Num. 37, 11-2; 38, 11-2. ([5]) Num. 38, 8-16 et n. 39.
([6]) Non longe a Roma et parum a mari Tyrrheno distans oppidum, inter Centumcellas (Civitavecchia) et Viterbium; modernis *Corneto,* sed inde ab anno 1922 *Tarquinia* nominatum. Conventus erat Provinciae Romanae: AF IV, 515, ubi Pisanus hoc miraculum paucis retulit, *valvas ecclesiae* scribens pro: *porta domus,* i. e. conventus, uti etiam *Leg. maior, mirac.* III, 3, recte habet.
([7]) *Cursivis* litteris ipsiusmet Thomae verba referimus, sed contracta valde.

mihi, nullum vitae sensum remansisse in eo, donec sub pondere iacuit. Cum 14 esset annorum, factus est Frater Minor, homo litteratus et facundus praedicator.

De Roma sermo quoque recurrit in n. 49, in quo de Rodulfo, nobili cive Romano[1].

Huius famulus custos in summitate turris[2] Romae profunde dormiens: *alto praecipitio fulguratus, in tectum palatii corruit et de ipso palatio super terram,* quin evigilaret custos ille non vigil sed dormiens atque sopitus. Qui insuper sospes et incolumis, ita praeceps ruendo in solum usque deciderat, dum somniabat se: *inter brachia B. Francisci dulcissime dormire.* Miraculum adscribitur hospitalitati Rodulfi, quippe qui: *receperat ... illa nocte Fratres Minores duos ob reverentiam B. Francisci, qui etiam ... ad casum praedicti famuli cucurrerunt;* subdere licet: et Fr. Thomae haec retulerunt.

Nemo asseret, Fr Thomam Celanensem id quod de 'quodam milite[3]) apud Celanum[4]' S. Franciscum 'ad prandium invitante' retulit, e scripto quodam hausisse, non Celani narratum audivise (n. 41). Minime vero opinari audemus, Sancti socium: *qui sacerdos erat,* militisque confessionem audivit, ipsummet Fr. Thomam tunc fuisse[5]. — Animadvertas oportet, hanc rem in caput VII *Tractatus,* extra immo contra contextum huius capitis, insertam fuisse, quod fortassis innuere videtur, Celanensem eam postmodum didicisse. Poterat vero etiam studio rem omisisse in *Vita II,* parte II, rubrica I (n. 27-54), in qua (n. 42) tamen recoluerat 'Fratrem spiritualem' *de custodia Marsicana.*

Non longe Celano distat, versus orientem, Galianum[6]: *castrum populosum et nobile.* In huius montibus *mulier quaedam Maria nomine, quae... S. Francisco omni se subiecerat famulatu*[7], siti de-

---

(1) Cf. etiam p. 37.

(2) Cf. de talibus nobilium Romanorum turribus notata ap. AF X. 97, nota 3.

(3) Cum *miles* dicatur, non *comes*, excludimus hic agi de comite Marsorum seu Celani: Cf. Anic. Chiappini, *L'Abruzzo Francescano nel sec. XIII,* Roma 1926, 10. [Cf. infra, 51, nota 5].

(4) De altero Celano in Capitanata, cf. infra, 31.

(5) Iuxta *Leg. maiorem,* XI, 4, hoc accidit: «*post reversionem ipsius* [Sancti] *de ultra mare*», quod finem anni 1220 vel annum 1221 ineuntem insinuaret. Ibidem S. Franciscus fuerat «*tempore hiemali*»; II Cel. 86. — Qua de re alias plura erunt dicenda.

(6) Nunc «Gagliano Alterno» prope «Castelvecchio Subequo».

(7) A. Chiappini, l. c. 50, non dubitat, ex his verbis inducere Mariam hanc Tertiariam fuisse. Si illatio vera est, hoc patentius inferendum esset de Praxede Romana (n. 181), de qua v. 26. Certo autem Celanensis hoc non expresse dixit: cf. infra, 46.

ficiebat. Ei Sanctus apparuit et ipsa radicem filicis ex humo arida evellens, fontem eduxit, qui varios quoque morbos sanabat. « *Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus et in honore S. Francisci ibidem oratorium est constructum* », ait Fr. Thomas (n 16). Non improbabiliter ex his argueret quispiam, Fr. Thomam fontem illum perspicuum perspexisse (1). — Sibimet relata Fr. Thomam referre etiam arbitramur in accurata sanationis narratione (n. 158), quae inchoata « apud Scopletum in Amiterno (subaudi: pago, supra Aquilam), consummata est 'in loco propinquo' S. Francisco dedicato (2); item relatum (n. 184) circa iumentum cuidam viro « de Amiterno » furto sublatum et recuperatum Scopleti.

Vix dubitari quit, quin Thomas ab ipso Fr. Iacobo de Iseo (3) sanationem suae rupturae, quam 25 maii 1230 Assisii consecutus erat, acceperit, cum Fr. Iacobus a Thoma inducatur tamquam: *de seipso testimonium dicens* (n. 109) et Fr. Thomas an. 1230 probabilius Assisii moratus sit (4).

Demum Fr. Thomas pro *Tractatu* compilando e proprio suo penu litterario hausit et extraxit 62 paragraphos *Tractatus*, quarum 53 e sua *Vita I* assumpsit, licet saepe eis verba dictionesque aliquot e *Legenda S. Francisci*, auctore Fr. Iuliano Spirensi, admisceret; reliquas 9 paragraphos e sua *Vita II* repetivit (5).

De tenore geographico Tractatus.

De Roma et de Corneto iam diximus.

Complures aliae partes provinciae Romanae tanguntur: Viterbio vicina Tuscanella (6) (n. 175), Orta (178-9), Sabinensis dioecesis (184); ad orientem Urbis: Tibur (93, 99): in eiusdem plaga meridionali: Maritima (152), 'Cisterna in Maritima' (152), Neptunum (53), Velitrae (111), Cora (159), Zancatum prope Anagniam (117), Ceperanum (7) (156); Pilleum (8) (103), Ciccanum (121), Pophis (50, 119) et Castrum Volscorum (120) in Campania, scilicet Romana, sita esse notantur (9).

---

(1) Quem fontem adhuc scaturientem de novo detexit P. Anic. Chiappini, *L'Abruzzo*, 23. Ruinae oratorii, quod Episcopus 4 dec. 1286 Clarissis Galiani dedit, ibidem fatiscunt; l. c. et 48. (2) Cf. infra, 51 s.

(3) Cf. infra, 36, nota. 6. — Nihil inferre audemus e locutione « *usque hodie* » in n. 159, quoad Fr. Thomam qua testem oculatum. Cf. locum supra, 22.

(4) Cf. infra, 41. (5) Plura de his infra proponentur.

(6) Moderno nomine *Toscanella*, sed recens *Tuscania* vocata: antiquis Tuscana. (7) Conventus erat Provinciae Terrae Laboris O. F. M.: AF IV. 529.

(8) Conventus huius oppidi erat Provinciae Romanae O. F. M. et Custodiae Campaniae; AF IV. 249, 345, 517.

(9) De Campania Maiore, n. 101, v. infra, 32.

Vallis Reatinae, quae etiam provinciae Romanae O. F. M. erat, in specie memorantur loca: Reate et circumcirca sita eremitoria (14, 17-8, 35-6, 83-4, 174) atque lacus Reatinus (23-4, 84); Graecium (19, 23, 29).

Quivis sponte opinatur, Umbriae oppida frequentius Romanis et ipsa Urbe commemorari. Qnae opinio magis praeconcepta quam praemeditata factis quam plurimis confirmabitur. Omnibus aliis Assisium longissime praecellit, quia sanationis gratia saepissime ad Sancti sepulcrum obtenta esse statuitur (109, 130, 134, 138, 140-1, 150, 153, 160, 162-3, 165-7); eo pie peregrinandi vota emiserunt duo e Sicilia (47, 115), item mulier Capuana (172) et alius quidam Romae (49); cuidam Senis apparuit B. Maria Virgo: *praecipiens ei, ut B. Francisco se voveret et ipsius limina visitaret* (188); Fr. Minor Picenus eo pergere vult (196); quidam in Massa S. Petri e carcere liberatus vincula sua Assisium portat (89); civis Assisanus olim S. Francisco familiaris fuerat (138); fons S. Francisci Assisii construenda erat lapide maximo Constantinopoli advecto (58). Portiunculae mentio crebra fit expresse (5, 27, 32, 37-9) ([1]).

Occurrunt praeterea Bevanium (20, 124), Alvianum (21), Nuceria (43), Narnium (79, 80, 121, 129, 151, 161, 173, 176), Hispellum (113, 134), Eugubium (137, 165, 167, 177), Fulgineum (150, 162), Nursia (153), Tudertum (67, 76) castellum S. Gemini (155), Mons Niger (166), Perusinus episcopatus (141) et lacus (30), Castrum Plebis (125), Civitas Castelli (92, 156, 180).

Ex Umbria in Picenum abire lubet, cuius recoluntur oppida: Fanum (70, 147, 164), Ancona (52, 82, 85), Tolentinum (104), Camerinum (136), S. Severinum (58, 146) Mons Ulmi (186); Frater quidam anonymus, Picenus fuit (196).

Aliam in partem gressum vertentes, in Etruriam ingredimur: memoria fit complurium oppidorum, quae sunt: Aretium (69, 91, 106, 108, 127, 132-3), Senae (26, 31, 188), Castrum S. Geminiani (61, 94), Podium Bonitii (74, 135, 170), Volaterrae (168-9), Pisae (87, 105, 110), Massa S. Petri alias Trabaria (89, 129), in qua est Burgum S. Sepulchri (129) et a qua parum distat Alvernia mons (4; etiam probabilius n. 15, 25 et 108).

Mirandum venit, quod totius Italiae a Monte Alverna versus septentrionem sitae, seu Italiae Superioris, sola Parma commemoratur, ob hirundinem garrulam cui scholaris ibidem dixit: *Haec hirundo una de illis fuit, quae, ut legitur, S. Franciscum... praedicare non permisit,* quaeque nomine Sancti iussa, in scholaris manus advolavit. — Scholaris iste (22) non indoctus hic allegavit *Vitam I,* n. 59, (seu

([1]) Cf. etiam p. 36.

minus probabiliter *Legendam* Fr. Iuliani Spirensis n. 38). — Praeterea narratur ([1]) Miraculum factum *in comitatu Parmensi;* pueruli 'pes transversus', ferens: *calcaneum ante, et posterius digitos,* recto in situ locatus est, invocato S. Francisco (n. 157).

E contrario magna *Miraculorum* copia accidit in Italia Inferiore et in Sicilia. — Praeter aliquot oppida, condita in parte meridiana Romanae regionis alias iam nominata ([2]), huc spectant etiam loca quaedam patriae Provinciae Pennensis Fr. Thomae: Celanum (41), Ortona (30), Scopletum in Amiterno (158 et 184 ([3])), Interdoclum (185), Galianum (16).

In Provinciam Terrae Laboris alias Campaniam Felicem ([4]) inde descendimus, in pluries nominatum Episcopatum Soranum (72-3, 114, 143, 148), in quo sunt Arpinum (72-3, 143), Vicus Albus (72, 131, 171, 187); deinde devenimus Caietam (59, 75), Suessam (45), Capuam (44, 172), Neapolim (116).

Inde cum auctore nostro in alteram partem transmigramus in 'Montem Marani prope Beneventum' ([5]) (40); in Capitanata alterum Celanum nobis occurrit (51), ulterius in Apulia Barulum (81), Mons Garganus (122), castrum Praescriptii dioeceseos Sipontinae (60), Petramala (192), Potentia (6), castrum Pomaricum (46), Venusium (126). Inde Rete dioeceseos Cusentinae (65) descendimus ([6]), ut in Siciliam transfretemus.

Forte in Apuliae finibus quaerendum est castrum Galete sive Galere ([7]), cuius nobilis domina e fistula horrida et foetida laborans, in ecclesia Fratrum vidit: *libellum S. Francisci Vitam et Miracula continentem* ([8]). De cuius tenore edocta *librum super morbidum locum expandit,* Sanctum oravit et liberata est (193).

In Sicilia quarumdam civitatum nomina tacentur (107, 115, 149), sed recoluntur Platia (62-3, 144), Nicosia (145), Lentinum (57), Mons Traphanus iuxta Drepanum (66), Ragusia (47).

Paucissima sunt *Miracula* quae extra Italiam, immo, ut vidimus, extra Italiam Mediam, Inferiorem atque Siciliam, S. Francisci

---

([1]) Fr. Iacobus de Iseo sanatus est Assisii; n. 109. Cf. de eo infra, 33.

([2]) P. 29. ([3]) Cf. 51.

([4]) Haec « *Campania maior* » probabilius intenditur in n. 101. Cf. etiam, 32.

([5]) Accuratius: prope Avellinum. ([6]) Cf. infra, 36s.

([7]) Fatemur nexum cum n. 192, in quo *regni Apuliae* mentio infertur, admodum debilem esse. Sed eiusmodi vel similis nominis oppidum in tabulis non invenimus. Notantur in eis: *Galeata* in Tuscia: *Galliate* duo in provinciis Novariensi et Cumensi, *Gallarate* in prov. Mediolanensi; plura loca *Galera* in Italia Media et Inferiore. Excluditur vero *Caieta* vel *Gaieta* (59, 75).

([8]) Proculdubio *Vitam I* Celanensis, ast saltem ipsius *Legendam chori;* nam in Iuliani *Legenda* Miracula desunt.

intercessione perpetrata in III Cel. narrantur. — « Peregrinus quidam de ultramarinis partibus » in Italiam navigabat (n. 82). — *Comitissa quaedam in Sclavonia* in parturiendo angustiis contrita et S. Francisci suffragiis liberata: *ecclesiam quamdam pulcherrimam construi fecit ... et Fratribus assignavit* (95). Nomen vero quodlibet siletur. — S. Franciscus ipse, cum in Syriam navigare vellet, in ora Sclavoniae tempestate iactatus est (33). — « In Romania » Graecum quemdam e carcere eripuit (88); anonymum « in Romaniae partibus » ulceratum sanavit (194). « Apud Thebas in Romania » seu Graecia caeca in ecclesia Fratrum illuminata, domum *reversa est propria luce duce.* — Miraculum accidit in Piceno: *cum lapis maximus de Constantinopoli ductus pro fonte S. Francisci apud Assisium construendo,* quemdam oppnimeret (58).

Rarissima sunt *Miracula* aliis in regnis exteris facta. « *Quemdam mortuum in Alamannia suscitavit* », quam notitiam Fr. Thomas (48) expresse assumpsit e bulla Gregorii IX: *Mirificans,* data 16 maii 1230 (1). Idem iam in *Leg. chori,* n. 25, paucioribus retulerat, sed non in *Vita I,* iam anno 1228 composita.

In Francia: *in civitate Cenomanensi* (2), famulae cuiusdam festum Sancti profanantis manus irriguerunt doloribus, sed in ecclesia Fratrum poenitens sanatur (100). — Fortasse in Francia, nam hoc statim in n. 101 subiungitur, videlicet: *in Campania Maiore simile quiddam evenit,* si revera Campania Maior est Francogallica alias etiam Francisci dicta, non, quod probabilius est, Campania Capuana (3).

Plura in Hispaniae finibus contigerunt *Miracula.* Cum: *de Hispania regrediens S. Franciscus* gravissime aegrotans et hospitio pulsus, socio Fr. Bernardo diceret, se libenter: *de una avicula comesturum* fore, si haberet, ecce. illico eques accurrit avem peroptatam Sancto apportans (34). Neque locus neque regio, in quibus hoc acciderit, pluribus innuuntur. — Fuse narratur (11-13) de quodam: *in Hispania, in regno Castellae,* ex errore letaliter gladiato sed a Sancto stigmata sua plagis singulis superponente sanato (4). — Reli-

(1) BF I, 64-5. (2) Vulgo *Le Mans.* (3) De hac cf. supra, 31, nota 4.

(4) S. Bonav in *Leg. maiore, Mirac.* I. 5, idem in gravioribus correctum, [ni forte aliud est?], plura tamen e III Cel. 11, 13 verbotenus assumens, aliter narrat et accidisse: *in Cathalaunia ... apud Ilerdam* [Lérida]. Censemus ipsi documenta alia et explicitiora ad manus interim pervenisse. Cf. etiam AF III, 191-3, ubi etiam alia de hoc viro: *Iohanne de Castris,* hic nuncupato. L. c. 193, 30-4, hoc miraculum paucissimis perstringitur, quia auctor *Chronic. 24 Gen.,* qui codicem *Tractatus* penes se habebat (cf. infra, 39), hic dubius haesisse videtur inter III Cel. et *Leg. maiorem,* l. c., quam allegat: « *ut scribitur diffusius in Legenda* ». Cf. etiam At. López, *La Provincia de España de los Frailes Menores,* Santiago 1915, 251-3.

qua 4 *Miracula* in Hispania perpetrata acciderunt: in villa Oleti (1) (102), nulla indicata regione; secundum: *in Hispania apud Sanctum Facundum* (2) (189); tertium: *apud Villesilos* (3) (190); quartum denique: *iuxta Palentiam* (4) (191). Notamus incolas Villae Silos (n. 190), ubi conventus Ordinis non erat, cum vineae vermium peste laederentur, sortitionem fecisse inter S. Dominicum (5) et S. Franciscum, uter patronum vinearum eligeretur. Sors missa cecidit super S. Franciscum, qui statim pestilentiam illam fugavit.

Alia *Miracula,* sive in Hispania, sive in aliis regionibus regnisve facta, in *Tractatu* non leguntur.

Elenchus noster praemissus oppidorum regionumque *Miraculis* S. Francisci illustratorum imperfectior esset, ni statueremus explicite, Celanensem plurimorum aliorum *Miraculorum* mentionem iniecisse, nomina nulla eorumdem inferendo, nn. 10, 19, 36, 77, 78, 82, 83, 86, 90, 123, 128, 130, 140, 142, 154, 160, 163, 195-6. In his paragraphis plures Assisii ad Sancti tumulum sanati esse dicuntur, quin comperiamus unde fuerint sive unde eo advenerint.

De Fratribus Minoribus in Tractatu memoratis.

Fratres Minores, quorum memoriam Celanensis ingerit, plurimi computari nequeunt: Fr. Monaldus (3), S. Antonius (3, 116), Pacificus (3), Rufinus (4), Bernardus (34), Iacobus Reatinus (83), Bartholomaeus Cornetanus (54), Bonaventura quidam (86); « Iacobus de Iseo, vir in Ordine nostro satis celeber et famosus », Assisii in translatione S. Francisci ruptura monstruosa sanatus est (109) (6). — Fr. Roberto,

(1) Est *Oletum,* vulgo *Olite,* in Provincia Aragoniae: AF IV, 537; seu legendum est: *in Valle Oleti,* hispanice *Valladolid,* in Provincia Castellae; ib. 537. Lopez, l. c. 252. (2) Hispanis *Sahagún* in eadem Provincia Castellae.

(3) Probabilius *Villasilos* in eodem districtu; Lopez, 253.

(4) Hispanis *Palencia* in eadem regione; AF IV, 536.

(5) Hic solummodo S. Dominicus recolitur.

(6) Iuxta Salimbene, 315 (ed. Parm. 143), Frater iste Iacobus an. 1248 erat Minister Provinciae Romanae. Alibi, 67-8 (Parm. 29-30) inter alia *Miraculum* supradictum de eo recolit, addens: « *Multa etiam alia Miracula fecit eadem die Deus per servum et amicum suum Franciscum digna relatu, pro quibus ad Legendam suam poteris habere recursum* ». In *Leg. chori,* 13, nil tale legitur, neque in II Cel. 220a [nisi hoc fuerit in parte ibi deficiente], neque in III Cel. 109. Idem, sed modo generico, dicitur in *Leg. mai.* XV, 8. Ibid. *Mirac.* VIII, 2, refertur sanatio Fr. Iacobi dicto die facta; dein plures alii *ab infirmitate consimili* sanati breviter dicuntur, sed minime eadem die, scilicet sanati in III Cel. 110-15, additis duobus nominibus novis. Hinc liquet, Fr. Salimbene hoc in loco suo non accurate dixisse. Fr. *Iacobus de Iseo,* qui in documentis Bononiensibus an. 1267-87 occurrit, forte idem cum praefato erat; v. AF IX, 797b. Cf. de eo relationem quamdam e *Libro exemplorum Fratrum Min.* (in MS. Vatic. Ottob. lat. 522) ed. ap. AF I, 416; a Golubovich, *Biblioteca,* I, 233; a L. Oliger, ap. *Antonianum,* II, 215.

caeco et ad mortem aegro apparuit Sanctus: *cum tribus Fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet S. Antonio, Fr. Augustino et Fr. Iacobo* [1] *de Assisio,* qui duo Sanctum alacriter secuti erant post mortem, eique lumina ac sanitatem pristinam restituit. Hoc accidit Neapoli: *cum Fratres forenses, ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent,* quorum obedientiam S. Pater in visione summis extulit laudibus. Haec paragraphus historiam missionum inter infideles certo attingit (116). — *Filius cuiusdam nobilis viri a nativitate caecus, meritis B. Francisci* [2] *lumen accepit optatum,* indeque Illuminatus est dictus. Deinde: *cum in aetate esset,* Frater Minor est factus, sed, cum Thomas hoc referebat, iam obierat (123).

Plures memorantur Fratres Minores anonymi (5, 10: *quidam Ordine Minor, officio praedicator;* 12, 35, 36, 46, 59, 60, 66, 84: *quidam frater de Esculo;* 96, 105, 116, 124, 127, 159, 172, 196). — Inter hos anonymos computandus est etiam, saltem formaliter: *Vicarius* Sancti (31, 39), licet *Tractatum* tunc temporis legentes facili coniectura nomen Fr. Heliae in his locis assequerentur. Insuper in n. 155, e *Vita I,* 69, assumpto, praesentia et nomen Fr. Heliae tacita et suppressa fuerunt. In n. 4, factum, licet brevissime in utraque *Vita* relatum [3], de Fr. Helia stigma lateris cernente, plane praetermissum est.

In primo loco, Sancto *de Senis ad vallem Spoletanam* redeunti ac oves benigne salutanti hae *magnis balatibus salutationis plausum* rependerunt. Unde non sine iure iter istud connecti potest cum tali itinere, quod mense aprili 1226 peregit [4]. In secundo loco *Vicarius* Iacobam de Septemsoliis *clanculo seorsum* ducit, *lacrimisque madidae* exanime 'amici corpus inter brachia proiecit'. Is ergo manifestissime Fr. Helias fuit, cuius nomen tacetur perinde ac in *Vita II,* 156 et 216, ob rationes obvias et alibi expositas [5]. — Quo in nexu notare iuvat Fr. Heliam Cortonae 22 aprilis 1253 extremum vitae spiritum, defectionis suae paenitentem, edidisse. [6] Sed silentii ratio ideo non defecit, ob vitae a Fr. Helia

(1) Cf. *Vita II,* 217a, 218 et *Vita I,* 110.

(2) Hoc iam innuit, eum probe distinguendum esse a Fr. Illuminato de Arce, Reatino agnominato, (de quo *Leg. mai.* IX, 9 et XIII, 4; ibid. *Mir.* VII, 6 exscribitur III Cel. 123). Alius Fr. Illuminatus de Theate, qui an. 1238 Fr. Heliae *dictator et scriptor* fuerat, an. 1274 episcopus Assiensis factus, obiit paulum ante 10 martii 1282. Cf. Sabatier, *Specul. Perf.* 306, qui in nota utrumque confundit: E. Lempp, *Frère Elie,* 172s.; Eubel, *Hierarchia,* I², 113; Salimbene, 39 (Parm. 11s.). Prior ille nominatur etiam in *Epistola* Sociorum, 11 aug. 1246: cf. AFH XX, 447. Relatio de eo e *Libro Exemplorum* cit. edita est a Golubovich, l. c. I, 36-7; a L. Oliger, l. c. 250s.

(3) I Cel. 95, 10; II Cel. 138, 3-4 et 9-13; hic nomen Heliae non fecit.

(4) *Vita I,* 105; v. II Cel. 93, 137, 170; III Cel. 26.

(5) AFH XX, 436, 437. — Cf. etiam de Iacoba, 20, 21, 27, 49s.

(6) Cf. Documentum ap. E. Lempp, *Fr. Elie de Cortona,* Paris 1901, 179ss.

inde ab an. 1239 actae rationem. Quare ex his locis momentum chronologicum, circa tempus quo *Tractatus* exaratus sit, educere haud licet. — Cf. etiam de cap. I *Tractatus*, supra 21, et infra, 44ss.

Quid de cultu S. Francisci Tractatus contineat.

S. Franciscus in singulis paragraphis et capitulis *Tractatus de miraculis* suis commemoratur, sed modis perquam diversis. Utile erit aliqua hic colligere. Saepissime in visionibus apparuit iis qui aegroti, afflicti, vulnerati, carcerati ipsius apud Deum suffragia invocabant suppliciter, sibi devotos sanans, liberans, exhortans, aliisve modis auxilium suum promittens atque statim afferens (10, 13, 16, 46: *uno socio comitatus;* 49 (non aperte), 50: *alba indutus tunica et fune succinctus;* 51, 52: *albis indutus,* 58 (non palam), 82 (in mari periclitantibus), 83 et 84 (non manifeste, uti nec in sequenti 85); 88, 91, 92, 93, 94, 105: bis *cum duobus fratribus cereos coram eo portantibus;* 106: hic mulierem iussit antiphonam: *Salve Regina misericordiae* [1] recitare; 112, 114 (hic bis apparuit: Iohanni hernia afflicto et huius amico Roberto); 116: cum S. Antonio et Fratribus Augustino et Iacobo [2], 117, 127, hic: *duo fratres rubea veste* induti apparent, hortantes mutam, ut se S. Francisco voveret; 152: *mulier vidit B. Franciscum super solium sedere pulcherrimum* [3]; 154 (apparuit matronae nobili filii sanitatem promittens); 158: apparet ipse iterumque solus atque tertio: *cum Virgine gloriosa et sanctorum Apostolorum nobilissimo comitatu,* matremque cum puero transtulit [4]; 159: apparuit cum uno Fratre; 173, 181, 182, 196, 197 (non aperte). In n. 188 non ipse Sanctus apparet, sed *Virgo Christi Mater,* praecipiens aegroto, ut S. Francisco se voveret; eadem B. Virgo muto cuidam imponit ecclesiam S. Francisci Venusii adire (126). Sic quoque in n. 97, Sancto invocato a coniuge saepius abortum passa, *mulier quaedam* apparuit abortivae *formosum puerulum* afferens; nautis: *lumen in mari magnum apparuit* (85).

Bis Sanctus nuncupatur *signifer Christi* (149, 173), cuius festum annuum se celebraturos esse plures vovebant (66, 98, 107, 120); quidam, absque voto, festum celebrare explicite renuentes [5], variis calamitatibus perculsi sunt (100-3, 107). Ex his Hispanus quidam *procaciter* dixerat: « *Si de qualibet arte unus sanctus exsisteret,* [cuius festum colendum foret], *dierum numerum numerus sanctorum exce-*

(1) Est eadem quae hodiedum adhuc recitatur, inserta voce *Mater;* Chevalier, *Repert. hymnol.* 18147-5; *Vita II,* 198 et nota 1 supposita.

(2) Cf. supra, 34. (3) Cf. II Cel. 123. (4) Cf. infra, 51.

(5) Circa festum Sancti a Gregorio IX praescriptum cf. BF I, 42-4, 49; *Vita I,* 126 (et adnotationes ap. AF X, 101).

deret ». Albertus Aretinus, carceratus: *in vigilia S. Francisci* nihil comedit victumque suum cuidam egeno erogavit (91). Alius promisit, se in festo Sancti nihil esse comesturum (122). Eiusdem festi sollemnitas etiam alibi obiter recolitur (47, 120). Podii Bonitii Ubertina suique parentes voto se adstrinxerunt, annis singulis Sancti *vigiliam ieiunare et in die sollemnitatis ipsius aliquot pascere pauperes* (74). — Recolitur (111) versus Evangelii, quod tunc iam in festo S. Francisci cantabatur, scilicet Matth. 11, 25.

Nomen S. Francisci (¹) a muliere Tiburtina puerulo suo, tandem post sex filias a se partas edito, grata impositum est (99). Matthaeus de Tolentino filiae suae Franciscae nomen hoc abstulit, eam Matthaeam nuncupando; sed aegrotanti nomen pristinum restituit (104). Cuidam praegnanti Pisanae Sanctus apparuit, monens suum nomen infanti fore imponendum (²) (105).

Aliqui votum emittebant ad ecclesiam S. Francisci Assisium peregrinandi (³) (47, 115, 172), quo revera plurimi a Sancto adiuti, alii ipsi pergebant, alii aegroti a parentibus allati sive advecti sunt (⁴). Eo quidam e carcere liberatus vincula sua detulit (89). Filii sui paralytici et muti ceream imaginem eo portat mater (140); cerea imago etiam alibi memoratur (88, 165). Pater pro filii sui sanitate obtinenda ibi 'carnem cilicio macerat' (163).

Candelam 'longitudinis mensuratae' filii sui singulis annis ecclesiae S. Francisci apud S. Severinum offerendam vovit pater (146). Ecclesias alias S. Francisci spectant quoque sequentia. Suessae quidam vovit: « *Cingam altare tuum filo argenteo, novaque sindone illud operiam et candelis totam tuam ecclesiam circumcingam* (45) ». Simile votum, quod apud Rete, Cusentinae dioeceseos, emissum est (65), vix ad Assisium referendum est (⁵). Contigit Rete:

Duos pueros in scholis morantes rixari, ita ut alter gravissimo vulnere in stomacho laederetur. Parentes Sancto ideo: *voverunt, quod si puerum ... a fauce mortis eriperet, eum ad suam ecclesiam mitterent et ipsam candela in circuitu cingerent*. Puer sic *mirifice liberatus*

(¹) Cf. de eo tunc temporis collecta a nobis ap. AFH XIX, 501 ss.

(²) Cf. plura de hoc infra, 52. — In n. 67 puer Tudertinus S. Francisci nomen balbutiendo sic detruncabat: *Ciccu, Ciccu*, quin res explanate e *Vita I*, 139, repetatur. (³) Cf. supra, 30.

(⁴) Cf. 30. Omnia Miracula e *Vita I*, 127-150 in *Tractatum* transsumpta et Assisii perfecta in aedicula S. Georgii contigerunt, caetera in ecclesia S. Francisci, licet Celanensis haec duo loca et tempora in *Tractatu* non clare discriminaverit: cf. praesertim n. 110, 141, 166. Qua de re plura erunt adhuc dicenda.

(⁵) Dubitatio ideo subest, quia Rete nullus invenitur conventus fuisse, unde vovens quemlibet conventum, v. gr. Cusentiae (AF IV, 532), intendere potuit.

est, quod iudicatum fuit a medicis de Salerno non minus miraculum, quam si esset a mortuis suscitatus (1).

Ob custodis e turris crepidine praeceps ruentis et decidentis Romae miraculum, coniux nobilis Rodulfi (2): *pulchrum sacerdotale vestimentum Fratribus in castro suo* (3) *morantibus extra Urbem transmittit.* — Pater pro filio Sanctum oraturus currit in ecclesiam ipsius: *cingulo suspenso ad guttur,* in Castro S. Geminiani (61); in episcopatu Sorano mulier vovit: *ire ad quamdam ecclesiam B. Francisci* (114). Complures aliae ecclesiae S. Francisci, i. e. conventuum Ordinis sui, in *Miraculis* nominantur: Capuae (44), Suessae (45), alia quaedam. tacito loci nomine (101), Vellitris (111), Venusii (126), Aretii: *prope civitatem* (132), Podii Bonitii (135, 170), Fani (147). — Praescriptii ecclesia adhuc construebatur (60), quemadmodum Vici Albi (72), Ortonae (81), Pisis (105); alia sine loci nomine (59); Lentini: *iam in proximo consecranda* erat, ideoque lapis de monte eo advehebatur altari superponendus (57).

Potentiae in Apulia, ubi: *erat imago B. Francisci depicta, gloriosa stigmata repraesentans,* canonici de eis dubitantis sinistra vulnere percussa est, quanquam *chirothecatus erat* (6). Quod miraculum primum omnium ponitur: *iuramentis firmatum fuit et episcopi loci maxime roboratum* (7). Id est, de eo publicum instrumentum scriptum fuit a tabellario (4). — Romae in imagine Sancti stigmata a pictore omissa, subito in ea apparent: *velut in aliis imaginibus poni solent* (8). — Cum: *Frater quidam Ordine Minor* circa sacras plagas 'dubitationis scrupulo titillaretur', Sanctus ei apparuit, iubens eum pedes suos lutulentos lavare, in quibus tunc stigmata Frater conspiciebat (10).

Non est nimis obstupescendum, quod quidam perversi homines: *blasphema voce* in sanctitatem Francisci invehebant (43, 91, 102, 129), quod alii de eadem dubitabant (77, 89); nam consensus et plausus unanimes aliorum in praevie dictis omnibus inclaruit. — Nauta quidam sociis suis irridens dixit: « *Sanctorum omnium invocastis auxilium et, ut videtis, nullus est qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est sanctus, ut cum suo capucio in mari se mergat* » (81).

In dioecesi Sorana, Rogata quaedam audivit: *quemdam puerum Romano sermone canentem miracula, quae Deus per B. Franciscum fecerat iis diebus* (148). Sincere dolemus, quod huiusmodi carmina vulgaris Itali idiomatis, qua devotionis popularis testimonia,

(1) Medici studii Salernitani tunc maxima fama gaudebant.

(2) Cf. supra, 28. (3) Quodnam fuerit, non comperimus.

(4) Cf. infra, 55-7.

nulla nobis tradita fuerunt. — De *Legenda S. Francisci* Parmae allegata (22) et de altera quae fistulam sanavit (193), vide dicta p. 30 s. et 31.

Diversa *Miraculorum* genera in *Tractatu* collectorum, quaenam fuerint, ipsi capitulorum tituli partim sciscitaturos edocebunt et *Tractatum* evoluturi facile percipient, unde de his in specie agere hic supersedemus, animadvertentes solummodo complura in eis contineri quae mores illius aevi apte illustrent.

Quis auctor Tractatus fuerit et quaenam occasio scribendi.

Mandatum Capituli generalis anni 1244 universis Fratribus praeceperat, ut « *signa et prodigia* » S. Francisci colligerent, sed Fr. Thomas Celanensis, qui praeprimis Sociorum S. Patris anthologia usus aliorumque Fratrum notamina adhibens, *Vitam II* anno 1246-47 exaravit, gestis, dictis, virtutumque exercitiis Sancti hanc dedicavit (1). In Prologo enim ait: « *Miracula quaedam interseruntur, prout se ponendi opportunitas offert* » (2), his in ea tantum intendens *Miracula,* quae a S. Francisco, dum inter vivos degebat, perpetrata erant (3).

Ita *Vita II,* priori *Vitae I* eiusdem auctoris comparata seu relata, iam imperfecta et manca apparebat atque communi caeterum existimatione aequalium opus haud integrum habebatur, quoniam *Miracula* Sancti non ex professo in eo tractabantur. Haec, post transitum secuta, in *Vita I,* n. 127-150, fuse et explicite recensita fuerant. Defectum eiusmodi gravem *Vitae II* supplere sategit Fr. Iohannes Parmensis (4), qui in locum Crescentii, depositi in Lugdunensi Capitulo, mense iulii 1247 suffectus, Minister generalis Ordini praefuit usque ad Capitulum Romae habitum die 2 februarii 1257.

Hic (5) *Generalis praecepit, multiplicatis litteris, Fr. Thomae de Celano* (6), *ut* Vitam B. Francisci, *quae* Antiqua Legenda (7) *dicitur, perficeret, quia solum de eius conversatione et verbis in primo tractatu, de mandato Fr. Crescentii Generalis predicti compilato, omissis miraculis, fecerat mentionem. Et sic secundum tractatum qui de eiusdem*

(1) Cf. AFH XX, 445-50. (2) Prol. n. 2, l. 8-9.

(3) In fine tantum 4 apparitiones mox post Sancti transitum ostensa subdidit; n. 217a-220.

(4) Cf. *Chron. 15 General.* ap. AF III, 697-99; Peregrinus a Bononia, ib. 287 et ap. Little, *Eccleston,* 144; Salimbene, *Cronica,* ed. Parmens. 95-8, 125-41; ed. Holder-Egger, 223-5, 295-313. Iuxta Salimbene, 137, 178, 309 (ed. Parm. 62, 137), Capitulum factum esset mense augusti 1247. Iuxta eumdem, civis suus Iohannes anno 1257 diutius « *penitus nolebat esse minister* » (309); secundum Peregrinum, qui an. 1257 inter Ministros et Generalem mediator fuit, Alexandro IV mandante, Iohannes officio renuntiavit.

(5) *Chronica 24 Gen.* ap. AF III, 276. (6) L. c.

(7) Cf. de hoc titulo, AFH XX, 467.

sancti Patris agit miraculis, compilavit, quem cum Epistola, *quae incipit:* Religiosa vestra (1) sollicitudo *misit eidem Generali.*

Complures fortasse mirabuntur, quod locum auctoris, immo compilatoris saeculi XIV, circa annum 1369-1374 opus suum absolventis, hic auctoribus saeculi XIII praefiximus, praetulimusque. Gravissima tamen ratio nos movit. Etenim auctor iste, probabilius Fr. Arnaldus de Sarnano, Aquitanicus, haec solus memoriae prodidit, hausta non e traditione aliqua, sed e quodam MS. *Tractatus de miraculis,* eoque integriore quam unicus qui hodiedum superest codex *Tractatus* (2). Ex suo enim MS. ipse paragraphos 58 — id est plus quam tertiam partem — *Tractatus* exscripsit (3), suis *Chronicis* pro more haec extracta interserens, postquam ibi alia quoque *Miracula* eiusdem S. Patris narravit, in Hispania perpetrata (4), quae unde hauserit non indicat, quemadmodum hic in textu suo neque *Tractatum* expresse allegat.

Illis e paragraphis duo inducere possumus, Fr. Arnaldum hic fideli calamo fontis sui locos exemplasse, unde ex his quoque praesumptio oritur grata, eum alibi quoque eamdem rationem tenuisse. Insuper etiam liquet ipsum egregium codicem *Tractatus* penes se habuisse, in fere omnibus, paucioribus quam frequentioribus variantibus exceptis, codici nostro M conformem.

In codice Fr. Arnaldi *Tractatum* praecedebat *Epistola* Fr. Thomae ad Fr. Iohannem Parmensem (1247-58) directa, quae alibi non comparuit nobisque ignota remansit, incipiens verbis quae allegavimus, et exprimens Fr. Thomam: *multiplicatis litteris* tandem coactum iusso huius Ministri generalis obtemporasse, *Tractatum* componendo. Quae apprime quadrant cum iis quae in parvi sui Epilogi fine (5), verbis implicatioribus subdidit Fr. Thomas: se non *vitio vanitatis* motum seu calescentem hoc opus composuisse, *sed* (ait) *rogantium Fratrum extorsit hoc importunitas et nostrorum perfici iussit auctoritas praelatorum.* Elucet proinde Fr. Arnaldum non vicissim ex hoc loco dicta superius hausisse; liquet etiam codicem M, pro more suo (6), *Epistolam* illam, Prologum quemdam *Tractatus* constituentem, omisisse. Sed liquet insuper *Epistolam* illam immediate *Tractatum* praecessisse et ad solum *Tractatum* pertinuisse. Hinc etiam per-

(1) L. c. *nostra;* sed cum Glassberger, AF II, 73, hunc locum exscribente, ob nexum logicum legimus: *vestra.*

(2) Paucis notatus est hic codex M, ap. AFH XX, 434.

(3) L. c. 199-207. — De his agendum erit infra. Apud AF X, 293ss. longe saepius et utilius quam in duabus editionibus prioribus citatae fuerunt.

(4) L. c. 191-99. (5) III Cel. 198, 13-4.

(6) Cf. Prol. 1 et 2, 9-16 omissa in M, una cum Epilogo (221-4); cf. AFH XX, 435, 437. Quia *Epilogus* in fine *Tractatus* (198) brevior erat, eum M transscripsit, sed non integrum; cf. AF X, 330 et infra.

spicuum fit, Fr. Thomam tunc Iohanni Parmensi nequaquam misisse *Vitam II,* denuo utcumque rescriptam seu eiusdem alteram recensionem [1], sed solum *Tractatum de mirac.*

Fr. Arnaldus *Vitam II* nuncupat *Antiquam Legendam,* recte quidem et relate proculdubio ad *Legendam maiorem* a S. Bonaventura compilatam an. 1260-63. — Quod autem *Tractatum de mirac.* nuncupavit *Tractatum secundum* atque *Vitam II* consequenter *Tractatum primum,* ideo fecit, quia MS. *Vitae I* ipsi ad manus non erat, eiusque ideo cognitionem praecisam non habuit. Indirecte plura ex eadem noverat e Fr. Bernardi de Bessa, eiusdem Provinciae Aquitaniae, *Libro de Laudibus B. Francisci* [2], qui usus fuerat *Vita I, Vita II* et *Tractatu de mir.* [3]. Fr. Arnaldus *libellum* Fr. Bernardi saepius expresse laudat et exscribit, p. 5, 7, 262, 344-5, 349, 361, 377. Solam *Vitam II,* sed rarissime, citavit: *sicut dicit Fr. Thomas de Celano in Antiqua Legenda S. Francisci* (8), scilicet de Fr. Iohanne Simplici, n. 190. Alibi (224) scribens: *ut dicit Fr. Thomas de Celano,* exscripsit II Cel. 208. — In omnibus autem his locis Fr. Arnaldus scribebat: *Fr. Thomas de Ceperano.*

De occasione *Vitae II* loquens (262), eodem modo et sensu, quibus supra scribit: « *Et post Fr. Thomas de Celano de mandato eiusdem Ministri* [Crescentii] *et generalis Capituli primum Tractatum Legendae B. Francisci, de vita scilicet et verbis et intentione eius ... compilavit, quae dicitur* Legenda antiqua. *Quae dicto Generali et capitulo dirigitur cum prologo qui incipit:* Placuit sanctae universitati vestrae [4] *etc.* ». — Antea enim dixerat Socios e mandato Capituli generalis multa Crescentio misisse: *per modum Legendae* [5] redacta; infra vero statim subdidit Bernardum de Bessa *Vitam II* ad « *compendiosiorem formam* » reduxisse. Quod tamquam valde summatim dictum transeat, sed in se parum est accuratum.

Diserte et plane urgendus est valor internus testimonii Fr. Arnaldi, utpote quod non simpliciter dictum compilatoris saeculi XIV sit, sed ex ipso tenore *Epistolae dedicatoriae* olim *Tractatui* praefixae haustum fuerit, e qua Fr. Arnaldus et occasionem et auctorem *Tractatus* didicit, itemque ipsum eumdem fuisse cum eo qui antea *Vitam II* scripserat. De hac illatione nemo mirabitur, dummodo meminerit, *Epistolam praefatoriam Vitae II,* quam et nos adhuc ha-

(1) Hanc a quibusdam expostulatam, nullo vero modo probatam, e variorum etiam codicum *Vitae II* tenore respuimus; AFH XX, 433-45.

(2) Edit. ap. AF III, 666-92.

(3) Cf. infra, 43.

(4) AF III, 262. Priora tria verba ad litteram quadrant; Prolog. 1, 5. Adiectivum *vestrae* l. c. non legitur, neque contextui congruit sed sensui tantummodo.

(5) Intendit *Epistolam* 11 augusti 1246 et *Legendam trium Sociorum* vulgatam, tenorem Epistolae erronee explicans; cf. AFH XX, 447: *quae per modum Legendae non scribimus.*

bemus, similia continere et edicere ([1]). His vero recte declaratis et pensitatis, non iam opus est in criteriis internis *Tractatus* ipsius atque cum *Vita I* et *II* comparati diutius immorari ([2]), ut ex his quoque Fr. Thomas Celanensis auctor *Tractatus* eliciatur et comprobetur.

Auctores saeculi XIII circa *Tractatum* parum expliciti fuerunt, immo ipsum non memoraverunt. — Fr. Iordanus a Iano, qui an. 1221 cum Fr. Thoma in Germaniam profectus erat, de *Tractatu* siluit, contentus de socio suo haec pauca an. 1262 dictare sive adnotare ([3]): « *Thoma(s) de Zelano, qui Legendam sancti Francisci et primam et secundam postea* [i. e. post an. 1221] *conscripsit* ». Fortassis an. 1262 *Tractatus* in Germania vix vel nondum innotuerat; Iordanus saltem ipsum legisse non videtur. Si vero tunc in Germania, rectius dicendum esset: in Provincia Saxoniae, cuius erat Fr. Iordanus, nondum percrebruerat, apographo eo allato, neque per Fratres scribas inde plura exemplaria deducta erant, vix postea in illis regionibus descriptus fuit. Nam eodem tunc tempore (1260-63) S. Bonaventura *Legendam maiorem* compilabat, in quam maximam partem *Tractatus* assumpsit; dein anno 1266 emanavit decretum illud Capituli generalis in Legendas antiquiores ([4]).

In loco allegato Fr. Iordanus tantummodo per transennam Thomae Celanensis in elencho Fratrum an. 1221 in Germaniam profectorum meminit; unde totum opus litterarium sive biographium ipsius hic vix recolere voluit nec potuit. Deinde Iordanus officia quaedam Fr. Thomae in Germania commemorat ([5]). Anno 1230 exeunte, Fr. Iordanus a Ministro generali, ad quem missus fuerat, probabilius Roma « in Theutoniam rediens, venit ad Fr. Thomam de Celano, qui gavisus dedit ei de reliquiis B. Francisci » ([6]). Quod vix non Assisii contigit. Sed Iordani, cum haec referret et quomodo cum reliquiis Isenaci pio dolo Fratribus illuserit, nihil intererat, aliquid de scriptis Fr. Thomae addere.

Fr. Thomas de Eccleston (1258-59) semel tantummodo ac obiter solam *Vitam I*, 94-95, Fr. Thomae memoravit ([7]) — Fr. Salimbene Parmensis, an. 1283 vel 1284, de Fr Crescentio Aesino agens haec adnotavit ([8]):

([1]) II Cel. Prolog. 1 et praesertim 2, l. 1-4 et 14-16. Auctoris nomen hic deest et probabilius etiam in illa Epistola defuit; vel si forte adfuit *Fr. Thomas*, deerat appositio *de Celano*. Nam Fr. Arnaldus ubique eum vocavit *de Ceperano*, uti diximus. ([2]) Aliqua tamen infra proponemus.

([3]) *Chronica*, n. 19. Quem locum Glassberger, AF II, 21, sic immutavit: « *Thoma de Zelchio vel Celano, qui Antiquam Legendam S. Francisci postea conscripsit* ». ([4]) Quod ed. Little, AFH VII, 678; v. ib. XX, 51.

([5]) *Chronica*, n. 30, 31, 33. ([6]) L. c. 59. Glassberger, AF II, 53, addit: « de capillis et vestimentis S. Francisci ».

([7]) De stigmatizatione loquens; ap. AF I. 245; ed. Little, 93. Locum habes etiam ap. AF X, 247, in nota 3. ([8]) Ed. Parm. 60; ed. Holder-Egger, 176.

«Hic precepit Fratri Thome de Cellano, qui primam legendam beati Francisci fecerat, ut iterum scriberet alium librum, eo quod multa inveniebantur de beato Francisco, que scripta non erant. Et scripsit pulcherrimum librum tam de miraculis quam de vita, quem appellavit *Memoriale beati Francisci in desiderio anime.* Sed processu temporis a fratre Bonaventura generali ministro ex his omnibus compilatus est unus optime ordinatus. Et adhuc multa repperiuntur, que scripta non sunt. Dominus enim cotidie in diversis partibus mundi per servum suum Franciscum magna miracula operari non desinit».

His Salimbene, post *Vitam I,* manifesto allegavit *Vitam II* eamque solam, cuius inscriptionem enuntiat, sed non ad unguem exactam, quippe quae sonat (¹): *Incipit Memoriale in desiderio animae* (²) *de gestis et verbis sanctissimi patris nostri Francisci.* Quodsi titulum accurate exscripsisset, Salimbene expungere forte debuisset dictionem suam de tenore *Vitae II,* cui solum, iuxta Celanensem: *Miracula quaedam interseruntur, prout se ponendi opportunitas offert* (³). Tenor ergo *Vitae II* a Fr. Salimbene modo inadaequato expanditur, neque *Tractatum* hic respicit, quia tunc saltem ordine inverso scripsisset: *tam de vita quam de miraculis,* sicque scribens aliquali specie veri obfucasset opinionem, quae tenet in secunda asserta recensione *Vitae II* et Vitam et Miracula S. Patris insimul comprehensa fuisse. De quo opinamento Salimbene ne cogitavit quidem, quia hic agit de *Vita II,* quam et qualem, Crescentio iubente, Fr. Thomas composuit. Inaccurationem perquam exiguam hic Parmensi impingere licet, (quamquam non libet), alia vero in hypothesi error gravis valde ipsi esset opprobrandus, cui abluendo non inservirent ea quae postea subdidit circa *multa... quae scripta non sunt,* ac circa *magna miracula* quae *cotidie* adhuc fiunt.

Stupendum est reapse, quod Salimbene Parmensis, qui pluries civis sui Iohannis Parmensis mentionem ingessit (⁴), de huius mandatis repetitis ad Fr. Thomam Celanensem missis, ut *Tractatum* exararet, nullibi verbum fecerit. Res tamen ita se habet; laudem hanc Salimbene conticuit. De Crescentio «*de Marchia Anconitana, qui vetulus erat*», ut Salimbene immediate ante locum supra positum dixit, pauca habebat quae referret, unde praeterea bis tantum (⁵) in transitu eiusdem nudum nomen notavit; de Iohanne autem Parmensi habebat quam plurima, unde facile laudis huius oblitus est. — Caeterum supponere licet, Fr. Salimbene plura de his dixisse in libro quodam similitudinis inter Christum et Franciscum, quem obiter sic commemorat (⁶): *In quibus autem fuerit similis, quia alibi scripsi, ideo hic taceo.* Eamdemque forsan

(¹) Cf. *Vita II,* 3. (²) Ex Is. 26, 8. (³) Prol. 2, 8-9.
(⁴) *Cronica,* 221-5, 291-313, 316-23, 550-3; (Parm. 93-7, 121-41, 144-50, 317-9), etc. (⁵) P. 307, 550; (Parm. 136, 317). (⁶) P. 195; (95).

ob rationem etiam ea praetermisit quae a Fr. Bernardo de Quintavalle Senis audierat: *michi* (ait) *et aliis iuvenibus de beato Francisco multa magnalia referebat* (1).

Fr. Bernardus de Bessa post annum 1280 in exordio sui *Libri de laudibus B. Francisci* (2) Legendas priores S. Patris recensens, primam: *vitam* (ait) *scripsit in Italia exquisitae vir eloquentiae Fr. Thomas, iubente domino Gregorio Papa IX.* Neque de *Vita II* neque de *Tractatu de mirac.* Bernardus hoc in elencho locutus est, quamvis utrumque opus cognosceret et adhiberet.

Quoad *Vitam II* satis est v. gr. caput IV et V Bernardi inspicere (3); e *Tractatu* vero hausit complura, (quae in *Leg. maiore* non leguntur sed tantum in III Cel.), v. gr. p. 675, 5-10 = III Cel. 34; 678, 8-10 = III Cel. 179; 687, 24-35 = III Cel. 37-8; cap. IX, 7 = III Cel. 153; c. IX, 8 = III Cel. 168 etc. (4).

Caeterum P. Franc. Van Ortroy, cum primus *Tractatum* ederet (5), authentiam operis istius abunde probavit e variis quae adduximus ac nove explicavimus testimoniis externis (6) atque e pluribus criteriis internis, ex ipso *Tractatu* cum *Vita I* et *II* composito et comparato haustis (7).

Cum *Tractatum de mirac.* post Iohannis Parmensis iteratas iussiones tandem absolvisset et cum praefata *Epistola,* hucusque non reperta, ad Generalem transmitteret, in brevi Epilogo (n. 198) Fr. Thomas operis sui tenorem paucis adumbravit, ex ipso tenore, scilicet e *Miraculis,* haec inferens et concludens:

« *Cum igitur Christi Domini pietas,* ea quae *de sancto suo et patre nostro* scripta sunt (8) *et vulgata,* sequentibus signis *vera esse* confirmet (9), *et absurdum merito videatur* humano *subiacere* iudicio (10), *quod divino miraculo approbatur, rogo ... ego ... universos, quatenus ea dignanter suscipiant. ... Quae licet minus digne sint dicta, in se tamen dignissima omni sunt veneratione colenda* ».

Deinde formulam rhetoricam sibi caeterisque aequalibus solitam nec recusandam, qua humilis sui animi testimonium subiungit, quin diligentiae adhibitae immemor sit, in fine pio animo laboris retribu-

(1) P. 39; (11). Quae non accurate occasione Fr. Iacobi de Iseo dixit, v. supra, 33, nota, 6. (2) AF III, 666; cf. 682-3.

(3) Et adnotationes suppositas, quibus adde v. gr. ad p. 675, 16-21: II Cel. 71 etc. (4) De his quoque plura infra erunt dicenda.

(5) *An. Boll.* XVIII (1899), 113-74. (6) L. c. 81-5, 93-8.

(7) L. c. 85-93. Dubia aliqua levia movit Goetz, *Die Quellen,* 235-7, orta praesertim, quia locum Fr. Salimbene (cf. p. 42) non recte applicuit *Tractatui,* neque valorem internum testimonii Fr. Arnaldi (cf. 38s.) recognovit.

(8) Ioh. 20, 30. (9) Cf. Marc. 16, 20. (10) Cf. I Cor. 4, 3.

tionem a Christo exspectans, a suis vero Fratribus « gratiam et amorem » poscens:

Non enim despiciant imperitiam referentis [1], *sed fidem, sed studium considerent, sed laborem. Non possumus quotidie nova cudere, non rotundis quadrata mutare, non omnium temporum et voluntatum varietatibus tam multiplicibus, quod in uno accepimus, applicare* [2]. *Minime ad haec scribenda nos vitio vanitatis ingessimus, nec in tanta diversitate dictorum propriae voluntatis instinctu immersimus, sed rogantium Fratrum extorsit hoc importunitas et nostrorum perfici iussit auctoritas praelatorum* [3]. *Retributionem* etc. [4].

Quibus verbis aliquantulum obvolutis et velatis, auctor studiosam suimet industriam modeste propalat, innuens se in hoc opere non universa nova Fratribus exhibere, complura enim e suis *Vitis I* et *II* in hoc opus assumpsit [5], laboriosam quoque confectionem et elucubrationem operis tropo perspicuo significat, sive aliorum relationes qualescumque sive scripta ad rhetoricae artis sui aevi normas non exacta intenderit. Gravius forte videri potest id quod de aliis Fratribus circa plura aliter sentientibus insinuat. Componendi quoque lassitudo, ni dicam scribendi taedium, viri e multa opera iam fessi et aetatis verisimiliter iam provectae ex his dictis forsitan subauditur.

Quo tempore Tractatus de mirac. compositus sit.

E supra dictis patet *Tractatum* post *Vitam II* (1246-47), postque repetita iussa Fr. Iohannis Parmensis (1247-57) compositum esse, id est circa annum 1250, adeoque verisimilius post hunc annum quam ante ipsum.

Quae cum ita se habeant, parum nobis subsidii chronologici afferunt aliquae res e quibusdam paragraphis *Tractatus* eruendae.

In n. 188 legimus: *Transmundus Anibaldi, Romanorum consul, tempore quo apud Senas Tusciae civitatem potestatis officio fungebatur* etc. Atqui hoc officium tenuerat an. 1234 [6].

In cap. I Ordinem fecundissimum S. Patris celebrans et 'clarificatum': *dum multos iam* (inquit) *ex iis quos genuit, martyrii palmam noverimus assecutos et pro totius sanctitatis confessione perfecta plures sanctorum catalogo veneremur adscriptos.*

---

(1) Cf. similia in *Vita II*, 221 et 223; Prol. 1 et 2: *Vita I*, 118.

(2) Similia in *Vita II*, 1, l. 18ss. — Cf. etiam AFH XX, 445, nota 6.

(3) Cf. l. c. 1, 14-5.

(4) Cf. *Vita I*, 118, 151; *Leg. chori*, 1; *Vita II*, 221-4.

(5) Omnia typis minoribus expressa habes ap. AF X, 273, 278ss. Res postea pluribus expandetur.

(6) Iuxta *Annales Senenses*, ap. Muratori, RISS XV (1729), 25; ap. MGH SS XIX, 229.

Primi martyres e Minorum coetu, Fr. Berardus. sociique quatuor in Marrochio pro fide 16 ianuarii 1220 occisi sunt (1). Celanensis ipse alium Fratrem anonymum a Saracenis gladio necatum esse dixerat in *Vita II*, 208 (2). Fr. Daniel et 7 socii Ceptae [Ceuta] in Mauritania 10 oct. 1227 interempti sunt (3). Fr. Iohannes Perusinus cum Petro socio a Mauris Valentiae martyrium susceperunt an. 1231 (4). Qui numerus haud exiguus martyrum dictum Celanensis iam satis explicat et illustrat; sed his extra annos MCC et tricenos non deducimur.

Locus sequens de Fratribus iam Sanctorum catalogo accensitis minus perspicuus est. — Praeter ipsum S. Franciscum, iam 16 iulii 1228 inter beatos caelites relatum (5), hoc nobis certo de S. Antonio Lusitano, Patavino communiter dicto constat, quem Gregorius IX Spoleti 30 maii 1232 (6) canonizaverat. Hic obierat 13 iunii 1231. — Traditur etiam memoriam Fr. Rogerii celebratam esse Tuderti, hoc concedente Gregorio IX (7), sed concessio ista non plene iis respondet, quae Celanensis hic innuit, vix voces sensu stricto et proprio usurpans.

Sub Crescentio Ministro (1244-47) compositus est *Dialogus de vitis SS. Fratrum* (8), in quo narrantur miracula copiosa plurium « Sanctorum Fratrum » Minorum. — Corneti in Apulia Daunia, alias Capitanata, Fr. Benvenutus Eugubinus tot miraculis coruscabat: *ut inter alios sanctos eius non invocari suffragia sit indignum*, quemadmodum dixit Gregorius IX in bulla: *Mirabilis Deus*, 21 martii 1236 (9), qua plures episcopos iussit circa eadem inquirere et authenticata Romam transmittere. Quod episcopi mense maii fecerunt, sed a Papa res nunquam decisa nec ipse formaliter canonizatus est (10).

---

(1) Cf. AF III, 579-96; AF IV, 322-3. Anno 1321 pro eorum canonizatione Iacobus II. rex Aragoniae. apud Iohannem XXII instabat; H. Finke, *Acta Aragonensia*, I, Berlin 1908, 754; hinc Golubovich, *Biblioteca d. T. S.* II, 282. — Demum an. 1481 canonizati sunt.

(2) Fr. Electus, interfectus est probabilius vivo adhuc S. Francisco; Pisanus locum martyrii ignorabat: AF IV, 366: alii Tunisii, alii eum in Vicaria Aquilonari occubuisse tradunt: AF III, 224; *Catalogus SS. Fratrum* ed. L. Lemmens, Romae 1903, 40, 45; AFH IV, 556. Golubovich, l. c. I, 19; II, 284.

(3) AF III, 613-6; IV, 276s.; AFH II, 99.

(4) AF III, 186-7; IV, 324; AFH II, 101; Lopez, *La Provincia de España*, 86-94, licet hic isti ante an. 1225 necati esse dicantur; cf. AFH XVII, 574s.

(5) Cf. supra, 23. (6) BF I, 79-81.

(7) *Catal. SS. Fratrum*, 9, et inde Pisanus, AF IV, 235; AFH II, 103.

(8) Ed. Lemmens, Romae 1902; ed. Ferd. Delorme, (qua opus Fr. Thomae de Papia). Ad Cl. Aquas 1923.

(9) Sic in *Dialogo*, 28-9; respect. 77-9; in BF I, 189-90 est 25 martii.

(10) Cf. *Dialog.* 29-51; resp. 79-132. *Catalogus*, 21, de eo ait: *est in illo episcopatu canonizatus;* AF IV, 295, 531. Cf. AFH II, 103. — Tandem Innocentius XII (1692-1700) ipsius cultum confirmavit.

Neque exitum feliciorem (sive formalem) habuit processus de miraculis Fr. Ambrosii Massanensis, Urbevetere tumulati, qui Gregorio IX die 8 iunii 1240 mandante (1), institutus est a die 22 sept. 1240 usque ad 15 febr. 1241 (2). Sed propter formae a iure praescriptae defectum, processu isto in Curia non approbato, Innocentius IV, 2 decembris 1250 « pleniorem indagationem » faciendam esse praescripsit. Quae adhuc pendebat, cum 24 martii 1252 idem Pontifex iudicibus iam nominatis, sed bellis aliisque impeditis, alios substitui posse concessit (3). Indagationis exitum ignoramus; sed Alexander IV, 11 iunii 1257 mandavit, ut B. Ambrosii corpus in loco decentiore reconderetur (4). Quod factum recognitio sanctitatis seu largius canonizatio indirecta dici quidem potest; sed ultra tempus, quo *Tractatus* compositus est, nos certo deducit, nam Iohannes Parmensis 2 februarii 1257 Ministerio absolutus fuerat (5). — Hi duo: Benvenutus et Ambrosius in *Dialogo* speciali modo commemorantur, caeteri *sancti Fratres* brevius in eo (capitibus IV et V) pertractantur (6); neque alias dicta de cultu Fr. Rogerii, Tuderti a Gregorio IX concesso, in *Dialogo* leguntur (7).

Fr. Simon de Collazone an. 1221 cum Caesario, Iordano aliisque in Germaniam abierat, sed an. 1223 cum Caesario in Umbriam reversus est; « *qui nunc dicitur sanctus in Spoleto* », de eo dixit anno 1262 Fr. Iordanus (8). Is statim ac obierat Spoleti 24 aprilis 1250, plurimis miraculis micabat, quae Innocentius IV examinari praecepit bullis datis 24 aprilis et 10 iulii 1252 (9). Ast neque huius processus (10) in finem usque canonicum adductus est.

Locum praelaudatum scribens, Fr. Thomas forsitan portendebat et sperabat fore, ut processus dictorum « Sanctorum Fratrum » exitum felicem canonizationis ritu per Summum Pontificem mox peragendo obtinerent. Quoniam Celanensis hoc in loco tantummodo de Ordine « *in filiis* » 'multiplicato et clarificato' locutus est, neque de secundo neque de tertio Ordine ullibi sive levissimam mentionem seu allusionem in toto hoc *Tractatu* egit (11), summoveamus oportet opinionem, Thomam hic etiam ad S. Elisabeth Thuringiae lantgraviam et ad S. Claram respexisse.

S. Elisabeth quae obierat Marburgi 19 nov. 1231, iam 27 maii 1235 a Gregorio IX coetui Sanctarum adscripta erat (12). — Ad S. Claram hic

(1) Sic BF I, 280-1; cf. *Dialog.* 55; resp. 141.
(2) Cuius summarium ed. L. Fumi, ap. *Misc. Franc.* I, 77-81, 129-36.
(3) BF I, 561, 599: cf. Lemmens, *Dial.* p. XVII.
(4) BF II, 223. (5) Cf. 38.
(6) P. 73-120; resp. 189-209. (7) L. c. 79-81; resp. 206-14.
(8) *Chronica*, n. 19 et 31. (9) BF I, 60-7, 616.
(10) Cuius summarium ed. Faloci ap. *Misc. Franc.* XII (1910), 97-132: v. ibid. XV, 160.
(11) Ne de Praxede Romana quidem dicens, n. 181. Cf. p. 26 et 28, nota 7.
(12) Sufficit allegare collecta a P. Anast. V. d. Wyngaert, ap. AFH XIV. 16-8; ubi etiam testimonia circa ipsam qua Tertiariam.

Celanensem attendisse opinatus est, sed non absque dubio, W. Goetz (1). S. Clara Assisii ad Superos evolavit 11 augusti 1253; processum institui mandavit Innocentius IV die 18 oct. 1253, eam inter Sanctos retulit Alexander IV, cuius bulla canonizationis emanavit 26 sept. et 19 oct. 1253 (2). — Quoniam Celanensis in *Vita I*, 18-20, summis praeconiis Claram monialesque suas an. 1228 extulerat, earumque, de exsequiis S. Patris agens (n. 116-7) atque in *Vita II*, 13 et 204-7, meminerat, vix intelligitur qua de ratione hic explanate de *prima* S. Patris *plantula*, si iam defuncta Sanctisque accensita fuisset, omnem memoriam praetermiserit, si utique de aliis quam de Fratribus Ordinis Minorum hic dicere intendebat. Sed limitatus et circumscriptus sententiae Fr. Thomae sensus in dubium vix vocari potest, unde momentum chronologicum sententiae huius ad S. Claram usque, iam 'clarificatam in caelis' non pertingit, neque locus sensu stricto sumendus est.

Momentum aliud chronologicum continetur in n. 42, in quo de notarii Romani pueruIo septenni e palatii fenestra corruente et quassatione dira colliso.

Acciderat hoc, quia solus relictus fuerat a matre: *ad ecclesiam S. Marci, causa praedicationis* pergente, *quae ad sonitum corruentis* domum recursat, filiumque a medicis mortuum iudicatum altis clamoribus plangit. *Fr. Rao de Ordine Minorum, in omni Roma notissimus praedicator, illuc se ad praedicandum conferens, propinquavit ad puerum*, patremque desolatum ad fidem hortatur in Sanctum Dei Franciscum. Eo fidem suam obtestante: *prostravit se frater ille cum socio in oratione, ac omnes ad orandum commonuit. Quo facto, coepit puer... oscitare, levare brachia et sese erigere, ambulavit* etc.

Ecclesiam S. Marci probabilissime, immo certe, eam arbitramur antiquam aedem, olim dictam « iuxta Pallacinas » seu in « Via Lata », quae titulus cardinalitius erat et circa an. 1477 in palatio vulgariter Veneto seu Venetiarum nunc dicto inclusa est, subtus conventum Fratrum Minorum de Aracaeli in Capitolio (3). Conventus iste Fratribus Minoribus ab Innocentio IV assignatus est bulla 16 iunii 1250 (4).

Valde probabile existimamus Fratrem Rao ex hoc conventu « *illuc* », i. e. in ecclesiam vicinam S. Marci praedicandi causa venisse seu descendisse, unde spatio temporis post dictum diem 16 iunii 1250 hoc miraculum affigendum esset; licet negari nequit, Fratrem etiam ex uno antiquiorum conventuum, antea iam Romae exsistentium (5), ad S. Marcum acciri potuisse; unde ante fatum diem res evenisset.

Nomen valde insolitum *Fratris Rao* (6), qua tunc in Urbe celeberrimi concionatoris, omnium, quotquot *Tractatum* lectitabant, oculos fe-

(1) *Die Quellen zur Gesch. des hl. Franz*, 238.
(2) Z. Lazzeri, ap. AFH XIII, 403ss.; 501ss.; ib. XI, 276-9. BF II, 81-7.
(3) Cf. M. Armellini, *Le chiese di Roma*², Roma 1891, 459-62; Ch. Huelsen, *Le chiese di Roma nel medio evo*, Firenze 1927, 308-9.
(4) BF I, 521-2, 531 et 545; L. Oliger, *S. Francesco a Roma*, l. c. 101.
(5) De his. v. Oliger, l. c. 86ss. et ap. AFH XVIII, 293-5.
(6) In *Leg. mai., Mirac.* II, 4: *Raho*.

riebat. Conicimus ipsum e patrio nomine, aliquantum (pro more) mutato et mutilato a Romanis nuncupatum esse. Etenim *Raol, Raul, Raoul, Ralph,* totidem sunt formae idiomatis Francogallici (1) et Anglici (2) nominis: *Radolfus, Radulfus, Rodulfus, Rudolfus* (3). Adde in ore Romano et generatim Italo apocopen sive subcisionem ultimae litterae formae iam contractae, sicque *Rao* facillime intelligitur. Quod extraneus Romae famam maximi oratoris etiam apud vulgus tunc temporis assecutus est, nullam movebit mirationem, si memineris S. Antonii Lusitani vulgo Patavini agnominati, et plurium Fratrum Anglicorum tunc Romae alibique in Italia qua lectores degentium (4).

Plures Fratres Minores Angli dicti nominis apud Fr. Thomam de Eccleston occurrunt (5), inter quos: *Radulfus de Remis, Anglicus,* qui cum Fr. Haymone de Faversham nuntius ad Graecos an. 1232 Nicaeam missus est (6). — Maiorem nostram attentionem hic efflagitat: *Fr. Radulfus de Rosa,* rectius: *de Rofa* (7). Hic Parisiis Ordinem ingressus, an. 1229 in Angliam venit: « *qui* (8) *ob eximiam gratiam praedicationis regis Angliae familiarissimus effectus, fine suo probavit,* quam exitiale sit, *magnificari maiorum favoribus et in curiis principum continue commorari* ».

Haec Eccleston de eo scripsit circa an. 1258-59, innuens ipsum Ordinem deseruisse; e quo fine lamentabili, qui ante dictos annos acciderat, non inducetur eum aliquando non optimae frugis fuisse. Neque miraculum ipsi tribuitur, sed praecipue fidei notarii et toti turbae oranti cum Rao ad preces exhortante. Magnae certae aestimationis fuit apud Robertum Grosseteste, tunc episcopum Lincolniensem (1235-53) et Fratrum Minorum Oxonii fautoris (9).

In litteris ad Fr. Heliam, Ministrum generalem, anno 1237 vel 1238 missis, Robertus scripsit (10): *Fratri Ernulpho, domini Papae poenitentiario* (11), *fratri quoque Radulpho de Rofa, si eum in curia stare*

---

(1) Tunc in Anglia admodum vulgati.

(2) Cf. *Dictionary of National Biography,* XVI², London 1909, 653-91.

(3) In *Tract.* 49, occurrit: « *Romae civis ... nobilis Rodulfus* ». Cf. p. 28.

(4) Cf. Oliger, l. c. 100. Salimbene, 296 (Parm. 126): Stephanus Anglicus, lector Romanus: ibid. 104 (405): Samson Anglicus lector Parmae; cf. Pelster, ap. AFH XV, 18. Idem, de Thoma Eboracensi, l. c. 15; Eph. Longpré, ib. XX, 880s.; Little, ib. 812-3, 839-41.

(5) *De adventu Fratr. Minorum in Angliam,* ap. AF I, 217-56; cf. 446b: ed. A. G. Little, Paris 1909, 216.

(6) Eccleston, AF I, 229s., 241, 245, 246; Little, 35, 90s., 95; Golubovich, *Biblioteca d. Terra Santa,* I, 162; AFH XII, 418ss. (7) Vulgo: Rochester.

(8) Eccleston, AF I, 231; v. ibid. 268, l. 34-5; Little, 38.

(9) Eccleston, ap. AF I, 238; Little, 60; v. Little, ap. AFH XIX, 806ss.

(10) Roberti Grosseteste *Epistolae,* London 1861, 118, n. 31; Fr. S. Stevenson, *Robert Grosseteste,* London 1899, 187s. Locum habes etiam ap. E. Lempp, *Fr. Elie de Cortone,* Paris 1901, 107.

(11) De hoc cf. BF I, 150-3, 177-9; Eccleston, AF I, 234, 242s.; Little, 49, 83, 85; Oliger, ap. *Studi Franc.* XI, 506. Non constat Radulfum poenitentiarium fuisse; Oliger, ib. 505.

contigerit, detis in mandatis, ut negotiis Roberti ibi expediendis diligenter intendant.

Quoniam nobis ex aliis documentis non constat, quantum temporis iste Fr. Radulfus, famosus orator sacer, Romae moratus sit, ultra annos dictos 1237 vel 1238, fas non est, illationi nostrae supra inductae de hoc *Miraculo* post 16 iulii 1250 facto et proinde de *Tractatu* postea conscripto, fidentius insistere, quamvis talis inductio, circa tempus *Tractatus,* ex aliis iam antea expositis probabilior esse apparuerit.

Non multum enim ab isto tempore declinandum erit, testante alia re Romana, in n. 37-39, maxima, ut iam vidimus (1), perspicuitate verbis depicta, nempe de Iacoba de Septemsoliis (2) Assisium properante: *cum filiis* (3) *et scutiferis,* de iis quae ad Portiunculam detulerit ibique egerit. Narrationis suae admodum vividae auctorem ac testem Fr. Thomas expressis hisce verbis appellat:

Iohannes Frigia Pennates, tunc puer (4), *postea Romanorum proconsul* (5), *et sacri palatii comes, quod illo tempore cum matre suis oculis vidit et manibus attrectavit* (6), *libere hoc ipsum iurat, dubiis omnibus confitetur.*

Testem Fr. Thomas Celanensis hic oculatum compellat, testemque adhuc vivum, qui *hoc iurat* et *confitetur* (7). Iamvero Iohannes uxorem duxerat nobilem quamdam Saracenam nomine, e qua genuit Petrum

(1) Cf. 20, 21, 27.

(2) De hac nobili domina stirpis Normanorum dictae, et uxore Gratiani de Frangepanis (Fraiapanis, Frecapanis, Frigia Pen(n)atibus etc.) e ramo huius familiae de Septemsoliis agnominato, cf. Oliger, AFH III, 183, 583-5; B. Kleinschmidt, ib. IX, 443-4; Sabatier, *Specul.* 273-7: Ed. d'Alençon, *Jacqueline de Settesoli,* Paris 1899 [ex *Etud. Franc.* II, 5-18, 225-42]; IIa edit. ibid. 1926, 14ss.; Oliger, *S. Francesco a Roma,* 79-82.

(3) Sic III Cel. 38, 11 (cf. 37, 12). Iuxta *Specul. Perf. minus,* c. 11 et *maius,* c. 112, atque *Leg. Perusinam,* c. 7 (*Par.* c. 101) econtra: « *cum filio suo et aliis multis* ».

(4) Vox premenda non est, nam in n. 140 Celanensis quemdam *iuvenem* dixit, quem in *Vita I,* 149, *puerum* dixerat. Item in n. 147 alium *virum* dixit, in I Cel. 146, *iuvenem* dictum. Cf. P. Fedele, ap. *Archivio della soc. Romana,* XXVIII (1905), 213; D'Alençon², 25, 33.

(5) Titulus nobilium Romanorum erat: cf. F. Gregorovius, *Storia della città di Roma nel medio evo,* II, Roma 1900, 492ss.: in elenchis collectis a L. Halphen, *Etudes sur l'administration de Rome au moyen-âge (751-1252),* Paris 1907, 147ss. nomen Iohannis non comparet. Neque stabiliri quit, quando munus comitis S. Palatii tenuerit.

(6) Cf. Iob 13, 1; Gen. 27, 12; I Ioh. 1, 1.

(7) Quia iuxta Celanensen (duo) filii Iacobae tunc Assisii adfuerant, eo manifestior fit appellatio ad alterum adhuc superstitem, nam alter Gratianus (vel Iacobus) nuncupatus, obierat certo ante 28 april. 1230, iuxta documentum quod ed. P. Fedele, l. c. 215-7. Ratio seria supponendi eumdem iam ante octobrem 1226 obiisse, deficit; Fedele, l. c. 213 et D'Alençon², 17, 33.

filium ac Philippam filiam. Anno vero 1253 exeunte, Iohannes iam supremam diem obierat atque item Petrus et Philippa, ambo adhuc impuberes, iam defuncti erant. Saracena ergo, anno 1253 exeunte, vidua erat, filiisque orbata. In testamento suo Iohannes uxori suae quorumdam bonorum suorum usumfructum reservans, statuerat, ut filio filiaque decedentibus absque heredibus, pauperes sui heredes essent. Haec omnia explicita dicuntur in bulla Innocentii IV, data apud Lateranum 9 ianuarii 1254 (1). Ex hac bulla quae emanavit adversus Saracenam (2), bona viri sui contra voluntatem ultimam ipsius detinentem (3), liquet Iohannem de Frangepanis ante 9 ianuarii 1254 obiisse, et quidem non parvo tempore antea, quia interim filius filiaque eius etiam obierant. Qui casus et obitus vario admodum modo contingere solent; at inducere licebit Iohannem saltem anno 1253 ineunte e vivis decessisse, si hoc non iam anno 1252 evenerat. Insuper exsecutores testamenti Iohannis defuncti non illico post mortem filii filiaeque eiusdem, rem ad Summum Pontificem detulerunt, sed postquam Saracena vidua bona a se sine iure detenta pluries libere tradere renuerat. Obitus autem Iohannis Celanensem haec, ut arbitramur, Assisii scribentem vix diu latere potuit (4).

Visis igitur repetitis instantiis Iohannis Parmensis, mense iulio 1247 in Ministrum electi, consideratoque bullae praefatae tenore, iure merito inferre possumus *Tractatum de miraculis* a Fr. Thoma Celanensi compositum esse inter annos 1250 et 1253, nisi quis dicere maluerit, post mensem iulii 1250 (5) et ante finem anni 1252 seu initium anni 1253, compositionem operis factam esse.

---

(1) Edita ap. Berger, *Les Registres d'Innocent IV,* III, 352, n. 7180 (Paris 1897); hinc ap. Ed. D'Alençon[2], 50, in nota 3.

(2) Exsecutores testamenti constituti erant Iohannes Cardinalis de Ursinis et Fr. Thomas, O. P., prior S. Sabinae; D'Alençon[2], 50.

(3) Saracena bullam cit. exsequi renuens. in excommunicationem incurrit. Die 12 iunii 1264 compositionem iniit cum Iohanne Cardinali, sed tantum 10 iunii 1266 bona omnia restituit. Interim nupserat Iohanni Poli (de Polo), comiti Albae etc., qui et ipse ante 12 iunii 1264 obierat: Ed. d'Alençon, 51-3. Partem bonorum, scil. castrum Marini, an. 1266 emit Cardinalis Matthaeus Rubeus Ursinus; l. c. 52.

(4) Quod statim subiungit: *Redeat iam peregrina* [Iacoba] *in patriam, praerogativa gratiae consolata, et nos post sancti mortem ad alia transeamus,* sat clare alludit ad n. 38, l. 7s., 16, neque aliud est quam forma dicendi et ad alia transeundi. Si vox *patriam* hic non Romam significat, sed tropus est, alludere auctor voluit ad Iacobam iam defunctam, cuius filii testimonium expresse allegavit. Mors Iacobae communi sententia anno 1239 affigitur, quin de ea constet. Saltem in annum 1274, neque in 1258, iam non referri potest; cf. Kleinschmidt, l. c. 443s., ubi tamen legas: *Nicolaus IV* pro *Honorius IV;* cf. E. Langlois, *Les Registres de Nicolas IV,* II, Paris 1905, p. 968s., n. 7151; D'Alençon, 62.

(5) Cf. p. 47s.

Aliam notam chronologicam, sed non satis certam, erui posse e n. 158 arbitramur. Hic S. Franciscus: *apud Scopletum in Amiterno* (1), mulieri, quae filium monstruose deformem pepererat, apparuit, dicens ei: « *Porta puerum ad locum propinquum meo nomini dedicatum et ipsum aqua illius putei balneabis* ». Mulieri ire recusanti iterum tertioque tunc apparens, eam *cum puero ante ianuam dicti loci* (2) *transtulit in momento.* Nobilissima earum mulierum, quae *de eadem provincia causa devotionis ... advenere,* puerum *balneavit,* qui sanus est effectus.

Scopletum vix non est vicus hodiernus *Scoppito* (3), situs in montibus inter viam Sabinam et viam Picentem, sive inter antiquum Amiternum et Forulos, modernis *Civitatomassa.* Amiternum, oppidum nunc destructum vel ad vicum parvum *S. Vittorino,* 480 incolarum, reductum est. Incolae Amiterni et Furconii cum aliis advenis novam civitatem Aquilam fundarunt (4) annis 1253-55, quae ante mensem iulii 1256 iam constituta erat, sed an. 1259 a Manfredo deleta, tunc de novo aedificata est. — P. Anic. Chiappini (5) censuit conventum in loco novi oppidi iam exstitisse antequam municipium constitueretur, ideoque Celanensis eiusdem nomen non expressisset, quia iste conventus proximus Sclopeto fuisset.

Sententiam suam fulciebat in bulla, a se primum detecta (6), Alexandri IV, directa guardiano et Fratribus de Aquila, data « *Laterani idibus aprilis pontificatus nostri an. II* », id est, ait, 13 aprilis 1255 (7). Sed haec bulla revera emanavit 13 april. 1256, cui alia bulla successit 6 augusti item 1256 (8). Nihilominus opinioni docti Patris, conventum in situ novi oppidi Aquilae, antea dicto *Acquile, Aquilli, Accula* (9), iam prius exstitisse, assentire licet, quia revera alii conventus multo longinquiores fuerunt. *Mulieres de eadem provincia* eo advenientes, potius conventum solitarium seu eremitorium reapse innuere videntur. E praefatis etiam apte (ut P. Chiappini censuit) explicatur, cur Celanensis (quod valde dolemus) nomen conventus non fecerit, quamquam de conventu patriae suae Provinciae ageretur. Facta supra exposita

---

(1) In *Leg. mai.*, *Mirac.* X, 5, simpliciter: « Apud *Spoletum* », quod ergo aperte mendum est. Cf. notam 3.

(2) Utique, sed absque nomine.

(3) Cf. etiam III Cel. 184; supra, 29.

(4) Ant. De Stefano, *Le origini di Aquila*, ap. *Bullettino della reg. deput. Abruzzese di storia patria,* Ser. III, an. XIV, 1923, (prodiit 1927), 7-26. Iam saltem ante 6 maii 1253 circa « *constructionem civitatis Aquilae faciendam* », incolae Amiterni et Furconii tractaverant; l. c. 11, iuxta documentum editum ap. Muratori, *Antiq. Ital.* VI (1742), 516. Quae oppida non statim deleta fuerunt.

(5) *L'Abruzzo francescano nel secolo XIII,* Roma 1926, 26 (Extr. ex *Rassegna di storia e d'arte d'Abruzzo e Molise,* II).

(6) Eius regestum ed. ap. *Studi Franc.* X (1924), 79.

(7) Alexander IV electus Neapoli, 12 dec. 1254, ibidem resedit usque ad 1 iunii 1255; Romae primam bullam dedit 21 nov. 1255: cf. BF II, 88; Potthast, n. 15596 ss, 16081 ss. (8) BF II, 153. (9) De Stefano, l. c. 12.

optime cum iis quadrant, quae de tempore, quo *Tractatus* compositus sit, scilicet an. 1250-53 (vel 1250-52), aliunde induximus. Miraculum istud etiam ante plures annos accidisse poterat, sed vix a Celanensi in *Tractatu* narratum est, post Aquilam revera fundatam et constitutam, quamquam Celanensis Aprutinus haec scripserit Assisii in Umbria, non in patria Aprutina, in qua anno 1253 ineunte et mense maio eiusdem anni de oppido Aquilano fundando actitabatur.

In n. 105 narratur miraculum P i s i s factum, quod fortassis quispiam primo obtutu in annum 1261 referendum esse opinabitur, propter Sermonem, in quo de primario lapide huius ecclesiae S. Francisci tunc ponendo. Unde istiusmodi coniecturae statim procatalepsi quadam occurrimus.

Pisana quaedam: *nesciens se esse praegnantem, cum f u n d a r e t u r in ea civitate e c c l e s i a S. Francisci, tota die laboribus insudavit ibidem.* Cui nocte Sanctus apparuit, dicens ei: « *Paries filium; gaudebis de ipso, si m e u m sibi dederis n o m e n* ». Puerulo in lucem edito, socrus *derisit nobile nomen* (1), *quasi rusticum foret.* Propediem infantulus *elanguit usque ad mortem.* S. Franciscus rursus matri apparens, dictum suum iteravit; sanatus est puer et in baptismate Franciscus est vocatus.

Friderici de Vicecomitibus, tunc archiepiscopi Pisani (1254-77), exstat: « *Sermo quem fecit apud Sanctum Franciscum in vulgari, anno IIII° consecrationis sue* » (2). Hoc evenit an. 1261, nam licet Fridericus an. 1254. 6 augusti, ad sedem Pisanam nominatus esset, tantummodo an. 1257, consecratus fuit. Cuius Sermonis contextus apte inspectus obiectionem quamlibet elidit. Postquam enim dixit ecclesias sanctorum spatiosas esse debere, ut pias confluentes turbas caperent, prosequitur: *Si enim sunt breves, sicut ista, male libenter ibi morantur* ... [ob] *stricturam, et ideo nos sapienter cogitavimus, quod ista ecclesia a u g m e n t e t u r et v e n i m u s p o n e r e p r i m a r i u m l a p i d e m, cum non capiat homines ... immo fuerunt semper et estis modo, ut videtis, in maxima pressura.*

Ex his dictis elucet, ecclesiam illam S. Francisci an. 1261 iam exstitisse, sed omnino, 'augmentandam' fuisse, cuius fabricae lapis primarius eo die ab archiepiscopo positus est an. 1261. Non solum fundamenta huius structurae novae tunc iam posita erant, sed prior ecclesia adhuc exstabat, cultuique adhuc inserviebat. Si verba Friderici de ecclesia 'brevi' et 'augmentanda' stricte sumenda sunt, ampliatio partis iam exsistentis tunc sollemni modo inaugurata est. Id quod, uti e plurium ecclesiarum historia architectonica compertum est (3), non sine construc-

(1) Cf. *Vita I*, 120, 12-6 et, si lubet, AFH XIX, 481ss.

(2) Eum partim edidimus ap. AFH I, 653s. Ibi (652) de notis chronologicis hic adductis; cf. ibid. XI, 276-9.

(3) H. Thode, *Franz von Assisi und die Anfänge der ... Renaissance in Italien*², Berlin 1904, 330ss.; *S. François d'Assise et les origines* etc. *traduit par* G. Lefèvre, Paris [1909], t. II, p. 26ss. A. Rubbiani, *La chiesa di S. Francesco in Bologna*, Bologna 1886, 18ss.

tione per brevius diutiusve spatium intermissa, tunc fiebat. Mulier ergo illa Pisana, mater parvuli Francisci, laborem suum strenuum navaverat in prima ecclesia S. Francisci Pisis fundanda, quin documenta (1) certi quidpiam circa tempus fixum, anno 1261 certe prius, inducere nos sinant. En eventuum processus:

Gregorius IX, 19 februarii 1229, concessionem ecclesiae S. Trinitatis Fratribus Minoribus Pisanis factam confirmavit (2). Hanc enim ecclesiam eis, a semetipso concessam, iam quater confirmaverat, Gaufredus Cardinalis Legatus litteris suis 5, 12 et 26 augusti atque 25 septembris 1228 (3). Cum autem quidam presbyter eam (adhuc) an. 1244 detineret, Innocentius IV, decessoris sui bullam expresse renovans, 17 iunii 1244, archiepiscopo Pisano mandavit, ut Fratribus eam restitui faceret (4), quam iussionem repetivit 24 sept. 1244, tertio 9 aug. 1247 atque quarto 19 eiusdem mensis (5). Tandem 11 dec. 1247 Minores in 'possessionem corporalem' huius ecclesiae immissi sunt (6). Presbytero ergo illo resistente et archiepiscopo huic favente, Fratres coacti fuerunt aliam S. Francisci ecclesiam 'brevem' sibi interim prope alteram construere; in qua fundanda res in n. 105 relata acciderat. Ecclesia autem illa S. Trinitatis in primo ambitu seu claustro conventus postmodum inclusa, circa an. 1666 destructa est (7).

Miraculum istud Pisanum sive apparitio ista S. Francisci iam ideo 1261 affigi nequit, quia narratur in *Tractatu* sub Iohanne Parmensi (1247-57) composito. — Insuper inanis fieret hypothesis, hanc rem secundae cuidam recensioni *Tractatus* postea additam et insertam esse. Nam haec res non solum in codice M legitur, sed etiam in codice quo Fr. Arnaldus de Sarnano circa an. 1370 utebatur, aderat (8), id est eo ipso in codice, e quo integriore scimus *Tractatum* ad Fr. Iohannem Parmensem missum fuisse (9). S. Bonaventura illo tempore (1260-63) iam suam *Leg. maiorem* componebat, unde supposita illa secunda recensio *Tractatus* et superflue et contra omnem verisimilitudinem aliquando exstitisse coniceretur. Caeterum res ista Pisana in *Leg. maiore* non narratur. — Denique contemptum '*nominis Francisci quasi rustici*' intelligentia nostra capit annis circiter 1228-30, minime vero anno 1550, immo 1261.

---

(1) Cf. edita a B. Bughetti ap. AFH X, 456-8. G. Marchi, O. M. Conv., *La cappella del Capitolo di S. Bonaventura in Pisa*, Firenze 1906, 11, conicit ecclesiam fundatam esse circa 1250. Documenta nos docent solummodo de conventu ampliato an. 1238, 1239, 1241, 1247 et 1257; l. c. 9-10.

(2) BF I, 48. (3) Bughetti, l. c. (4) BF I, 343-4.

(5) Ib. 350-1, 484-6; cf. etiam 246, 415; BF II, 183.

(6) A. F. Matthaejus, O. M. Conv., *Historia ecclesiae Pisanae*, II, Lucae 1772, append. 102; S. Barsotti, *Pro Memoria sul B. Giov. della Pace*, Pisa 1901, 84.

(7) Bughetti, l. c. — Celebris illa tabula S. Franciscum eiusque aliquot miracula exhibens pro hac ecclesia Pisana depicta, post *Tractatum* confecta est; cf. B. Bughetti, ap. AFH XIX, 652-64. — Notes etiam 1263 Capitulum generale Pisis celebratum esse; cf. AFH II, 318.

(8) AF III, 203-4. (9) Cf. supra, 39.

Memoratur etiam *ecclesia B. Francisci prope civitatem* Aretii constructa (132). Ad quod animadvertimus, Fratres Minores primam domum prope Aretium habuisse (sed vix iam an. 1211) in loco vulgari nomine *Maccagnolo* dicto, duo circa milliaria ab oppido distante. Ex hoc loco an. 1232 in alium, dictum Podium Solis, prope moenia migrarunt, sed nonnisi an. 1290 intra saepta moenium se contulerunt [1].

Ex eo quod Praxedis, Romana reclusa, corruit postquam: *carcere arcto se per XL iam fere annos abdiderat* (181), nihil ad rem nostram inferri potest. Non enim apparet, quonam anno hanc vitam reclusae inceperit, neque Celanensis innuit Praxedem eam vivendi rationem inchoasse, suadente S. Francisco, neque insinuat miraculum istud recens accidisse [2]. — Eo vel minorem aditum illationi cuicumque chronologicae parat praebetve Rogata, quae: *cum per XXIII annos fluxum sanguinis passa foret* (148), puerum *Miracula* S. Francisci vulgari carmine canentem audivit [3].

(Continuabitur).

P. MICHAEL BIHL, O. F. M.

(1) Cf. U. Pasqui, ap. *Misc. Franc.* III (1888), 73-4; M. Salmi, ib. XXI (1920), 101-114; BF I, 88. (2) Cf. supra, 26. (3) Supra, 31.



DOCUMENTA

DE MIRACULO S. FRANCISCI
POTENTIAE PERPETRATO AN. 1274

Miraculum de quo instrumentum publicum a tabellione exaratum est decurrente martio anni 1279, regnante Carolo I ([1]), rege Neapolis et Siciliae (1265-1285), acciderat Potentiae in Apulia Peucetia, mense aprili anni 1274. Duo homines pauperes fundamenta novae ecclesiae S. Francisci conventus Fratrum Minorum fodientes, terra iam eiecta desuper irruente, lateribusque fossae, quae « erat fere altitudinis cannae unius et dimidiae », cedentibus et corruentibus, humo contecti atque obruti sunt. Duas vero post horas sani et illaesi effossi sunt. — Instrumentum confectum est nomine iudicis regii ([2]) a notario publico civitatis Potentiae.

Instrumentum ([3]) miraculi S. Francisci.

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo nono, regnante domino nostro Karolo, Dei gratia invictissimo ([4]) *rege Ierusalem [et] Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue principe, Achaye, Andigavie, Provincie, Forcharcher* ([5]) *et Tornodorii comite, regnorum eius Ierusalem anno tercio, Sicilie vero quintodecimo, feliciter, amen: mense marcii septime indiccionis, apud Potenciam. Nos Bernardus de Comestabulo, regius iudex Potencie, Iacobus Curubus* ([6]), *puplicus civitatis*

([1]) Cam. Minieri Riccio, *Saggio di codice diplomatico ... dell' archivio di stato di Napoli*, I, Napoli 1879, 63ss.

([2]) Iudices dicebantur magistratus oppidorum et terrarum dominii regii; L. Cadier, *Essai sur l'administration du royaume de Sicile sous Charles I et Charles II d'Anjou*, Paris 1891, 21. — Anni indictionum etc. quadrant: cf. Minieri Riccio, *Il regno di Carlo I dal 7 gen. al 23 dic. 1279*, Firenze 1878, 6ss. (edit. separatim ex *Arch. stor. ital.*); P. Durrieu, *Les archives angevines de Naples*, II: *Registres du roi Charles I*, Paris 1887, 78ss., 118ss.

([3]) Titulus rubricatus est in C(odice).

([4]) C *invictissime*.

([5]) Lege: *Forchalcherii*, i. e. « Forcalquier ».

([6]) Vel: *Cuiubus*.

eiusdem notarius, presenti scripto cunctis audientibus et videntibus declaramus infallibili testimonio veritatis mirabile prodigium, quod diebus nostris Dominus per beatum Franciscum, confexorem suum, in terra nostra Potencie dignatus est operari. Cuius ordinem, ut [ab] infrascriptis testibus tam sacerdotibus quam clericis et aliis probis viris audivimus, qui propriis oculis conspexerunt, et ad eius confirmacio-[157rb]-*nem per sacrosancta evangelia fuerunt iurare parati, tamen eorum testimonio indubitanter credidimus, cum fuerint de fidelioribus et melioribus dicte civitatis nostre Potencie, taliter recensemus.*

Dum enim religiosi viri fratres Minores Potentini conventus, olim anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mense aprelis secunde indiccionis construerunt (1) *ecclesiam suam beati Francisci, venerabilis patris eorum, contigit ut dum foderetur fossum murorum ecclesie supradicte, ita quod erat fere altitudinis canne unius et dimidie, intraverunt illuc ad fodendum* (2) *duo pauperes homines, quos conduxerant predicti fratres ad servicium prelibatum. Qui illuc intrantes et ibi per bonam horam fodentes, tota illa terra que erat in superficie illius fossi una cum lateribus memorati fossi cecidit subito et cohoperuit duos homines antedictos, ita quod tota illa cohopertura perducta erat ad equalitatem superficiei relique terre. Et stantes ibi suffossi per spacium duarum horarum et plus, magna pars hominum civitatis predicte et pariter mulierum undique concurrentes ad istud, quasi spectaculum contuendum, totum* [157va] *illum* (3) *locum, ubi predicti homines suffossi erant, ita pedibus calcaverunt quod nullo modo locus ille, ubi suffossi erant, aliquatenus discerni poterat, ita ad soliditatem similem relique terre reductus erat. Qui quidem populus animo furibundo contra predictos fratres verba increpatoria et contumeliosa multipliciter proferendo dicebat: « Nonne sufficiebat eis tanta domorum construccio quantam habent et tenent in terra ista? Certe totus mundus non videtur posse eos aliquatenus saciare. Certe iam apparet voluntas Dei et sancti Francisci quod hic nullatenus ista ecclesia fabricetur. Certe nolumus aliquatenus substinere, ut hic* (4) *ecclesia fabricetur, ut ibi homines de cetero moriantur, sicut isti modo mortui sunt ». Et ita nullus predictorum astancium de eorum vita aliquatenus suspicari* (5), *ita erant et tanto spacio profundati sub terra. Unde ad hec etiam illi homines animati venerunt, ut totam aliam construccionem, quam in dicta ecclesia fratres fieri fecerunt* (6), *diruendo totaliter dissiparent, sicud plurimi eorum postea fratribus confessi sunt. Que quidem verba increpatoria et contumeliosa fratres audiendo et substinendo, tanto erant ru-*[157vb]-*bore et vituperio affecti, quod nec aliquod excusacionis verbum poterant respondere; set tantum oculos levantes ad Christum* (7) *et ad pium patrem eorum beatum Franciscum, ipsum piis precibus exorabant, ut Dominus dignaretur* (8) *eos a tanto obprobrio sublevare.*

(1) Sic C pro *construxerunt*. (2) Sic C et saepius infra.
(3) In principio huius ultimae paginae codicis, usu valde attritae, aliquot vocabula certo erui nequeunt. (4) Sic C. (5) Adde: *poterat* vel *audebat*.
(6) Intellige: *fecerant*. (7) Cf. Ps. 122, 1. (8) C *diquinaretur*.

Postmodum vero unus fodiencium, nomine Dominicus, qui erat multum familiaris [1] *fratribus supradictis, primo accepto ligone, cepit fodere et fodendo ibi per bonum spacium et iam pervento ad corpus unius predictorum suffossorum, percussit cum ligone capud eius, auferendo sibi in ictu cappellum suum, quod tenebat in capite, absque capitis lesione; cuius capite discohoperto, statim ad ipsum oculos sublevando, dixit sibi: « Pro deo! noli me occidere! ». Et extrahentes ipsum de fosso cum magno conamine, statim elevavit se super pedes suos et petens bibere, adeo, divina gratia faciente, confortatus est, ac si nichil omnino mali substinuisset.*

Secundum vero postmodum extrahentes invenerunt eum adhuc magis profundatum, et extrahentes ipsum, quasi seminecem, statim divina gratia con[fortatus est] . . . .

Codex e quo Miraculum edidimus, qualibet numeratione carens, est cuiusdam viri religiosi doctissimi, qui eum nobis mutuum ad tempus dedit. — Est membraneus; altus 25, latus 18, 05 centim. Membrana crassiora sunt, quia codex usui cotidiano destinatus erat, Missale enim est. Binis columnis, characteribus gothicis (quos dicunt) nigris rubrisque scriptus fuit. Litterae initiales alternatim rubrae et caeruleae sunt; harum paucae maiores sunt lineis rubris et caeruleis compositae, sed rudiore manu adumbratae, pulchri expertes. Codex exemplatus esse videtur saeculo XIV, ni forte iam sit saeculi sequioris.

Codex mutilus est in fine, uti iam diximus. Insuper mancus est in initio, operculis enim quibuscumque perdiu iam caret, incipiens: *Ps. Qui regis Israel,* scilicet altera parte introitus Missae dominicae II Adventus. Missae de tempore pertingunt tantummodo usque ad Feriam III post Pentecosten inclusive (f. 1-47). In huius fine fere columna vacat, vacabatque integrum folium sequens (ultimum huius sexterni), in quo alius scriba saec. XV exemplavit carmen latinum heroicum de excidio urbis Potentiae, anno, uti videtur 1270 vel 1268 [2], facto.

Sequuntur Proprium Sanctorum totius anni (48ra-92vb), Commune Sanctorum (92vb-111va), Missae pro diversis adiunctis (111va-32vb), tunc aliae Missae pro festis variorum Sanctorum (133ra-41vb), dein: « *Ordo Minorum Fratrum ad visitandum et communicandum infirmum* » et dein sepulturae [3] (142ra-50ra). Subsequuntur aliquot benedictiones (150ra-1va), alia de sepulturis et Missae pro defunctis (151va-7ra). In fine subnexum est exemplum mutilum instrumenti de Miraculo supra editum.

Quemadmodum e praedictis patet, Kalendarium huius Missalis iam diu ab eo avulsum fuit. Notamus proinde aliqua de quibusdam festis Ordinis Minorum, e quibus apparet Missale hoc pro aliquo conventu

(1) C *familiare.* (2) Cf. Ughelli, *Italia sacra,* VII (1721), 139.

(3) Simillimus ordini edito a L. Bracaloni ap. AFH XVI, 76-83. Sed in Litaniis (cf. l. c. 77) habes: *S. Benedicte: ora; S. Francisce: ora; S. Antoni: ora;* (haec duo nomina rubricata sunt); *omnes ss. monachi et heremite.*

franciscano scriptum esse. Adest die suo Missa: «*In S. Antonii confexoris ordinis minorum*»(1). Habetur hic formularium Missae integrum cum introitu, oratione, epistola, graduali, evangelio, offertorio, secreta, communione atque postcommunione. Additur Rubrica, infra octavam et in die octava eamdem Missam esse dicendam (69rb-70ra). — In die S. Clarae solae tres orationes notatae sunt (79rb-va), uti etiam pro festo S. Elisabeth (90ra-b). — In festo S. Ludovici episcopi adest Missae formularium integrum (81ra-vb). — De S. Ludovico rege nihil.

Fol. 85rb-va: «*In festo stigmatum beati Francisci*» notatur introitus: «*Nos autem gloriari oportet - liberati sumus.* Ps. *Deus misereatur nostri...*» [Ps. 66, 2]. Sequuntur tres orationes et versiculus alleluiaticus(2), cum Rubrica: «*omnia alia dicuntur sicut in natali eius*» (85rb-va).

Fol. 87ra-vb: «*In Natali Sancti Francisci*». — Introytus. *Gaudeamus omnes in*(3) *- filium Dei.* Ps. *Exultate iusti...* [Ps. 32, 1]. — Oratio. *Deus qui ecclesiam.* — Epistola. *Mihi autem absit gloriari - vestro, fratres. Amen.* [Gal. 6, 14-18]. — Graduale. Respons. *Os iusti - iudicium.* [Ps. 36, 30]. Vers. *Lex Dei eius - gressus eius. Alleluia.* Vers. *O Patriarcha pauperum, Francisce, tuis - Iacob benedixisti. Alleluia*(4). Vers. *Hic Franciscus pauper et modicus - honoratur.* — Evangelium. *Confiteor tibi pater - onus meum leve.* [Matth. 11, 25-30]. — Offertorium. *Veritas mea - cornu eius.* [Ps. 88, 25]. — Secreta. *Munera tibi, Domine.* — Communio. *Fidelis servus - mensuram.* [Luc. 12, 42]. — Postcommunio. *Ecclesiam tuam, quesumus, Domine.* — Tunc sequitur Rubrica: «*Infra*(5) *octavam et ipsa die* [*octave*] *fit idem officium quod in die, excepto quod infra octavam cantatur introytus* Os iusti. *De festivitatibus que infra octavam venerint, nichil tunc agitur, sed post octavam celebrantur*». — De Sequentia nihil in codice.

Inter missas varias, quae post Commune Sanctorum positae sunt, habetur altera (111vb-112rb): «*Missa in honore Sancti Francisci*». — Introytus. *Os iusti meditabitur - corde ipsius.* [Ps. 36, 30]. Ps. *Noli emulari - iniquitatem.* [Ps. 36, 1]. — Oratio; ut supra. — Epistola, ut supra. — Graduale. *Os iusti - honoratur;* omnia haec et reliqua, etiam hic integre scripta, eadem sunt quae supra pro die 4 octobris adnotantur (6). — De Sequentia hic item siletur.

---

(1) Titulus festi et singularum partium Missae, hic ut ubique, rubre scriptus est.

(2) Omnia consonant cum notatis a P. Eliseo Bruning, O. F. M., *De vroegere Mis-Formulieren op de feesten van S. Franciscus*, ap. *Collectanea Franciscana Neerlandica*, 's-Hertogenbosch 1927, 111s. [cf. AFH XX, 599ss.]; cf. Idem, *Missa S. Francisci in Liturgia Ambrosiana*, ap. AFH XX, 41-8.

(3) Ut in moderno *Missali Romano-Seraphico* die IV octobris, et v. gr. ap. El. Bruning, *Officium ac Missa de Festo S. P. N. Francisci, quibus accedunt cantus selecti*, Parisiis, Tornaci, Romae, 1926, 71.

(4) Uti in Formulario notato ab El. Bruning, *Formulieren*, 90-1, quocum etiam cetera quadrant. (5) Eadem rubrica ap. Bruning, *Formulieren*, 91.

(6) Quoad totum Graduale, Evangelium et Communionem hoc formularium differt a schemate antiquissimo, quod descripsit Bruning, *Formulieren*, 90.

In eadem serie Missarum legitur etiam (133ra-b) haec Rubrica: « *In Conceptione beate Marie virginis fit officium, sicut in die Nativitatis eiusdem preter orationes* ». Quae tres orationes ibi solae positae sunt. In corpore vero Proprii Sanctorum (51rb) nihil de festo Conceptionis reperitur.

Missale ergo hoc pro conventu quodam Ordinis Fratrum Minorum patenter exaratum est, et quidem certe pro conventu Potentino, uti instrumentum de Miraculo S. Francisco in fine eiusdem subiectum ostendit, necnon et carmen (f. 48), licet hoc Ordinem non tangat. Hoc vero aperte declarat adnotatio a Fratre Minore Potentino, saeculo XVII, ut remur, in margine superiore f. 46v scripta, in idiomate vernaculo illius regionis Apuliae: « *quisto libro ej de lo convento de santo Francisco de Pote*[*n*]*cza* ».

Circa initia conventus Potentiae, oppidi antiquae Lucaniae, inter Salernum et Tarentum siti, parum edocti sumus. Erat Provinciae Terrae Laboris, Custodiae Principatus; Barth. Pisanus circa an. 1385 hunc conventum recensere praetermisit (1), quamquam *Provinciale Ordinis* (2), 40 circiter annos ante eum, conventum recoluerat. Iuxta Petrum Rodulphium (3) fundatus fuit an. 1266, id quod cum instrumento supra edito probe concordat.

Prodigium quod an. 1274 ibi accidit, ecclesiam Fratrum fundandam concernit. E dictis vulgi Potentini, ob infortunium duorum virorum humo obrutorum, excitati et adirati, inducere possumus, tunc iam domum Fratrum, eamque amplam, constructam fuisse. Quia instrumentum mutilum est, adiuncta salvationis illorum hominum subfossorum nos latent; suspicari licet, hos rationem miraculi, in quo forsitan S. Franciscus directe intervenit apparitione aliove modo (4), postmodum pluribus enarasse. Sed si suppositio ista vera non esset, iam ex eo quod post duas horas e congerie humi, a multa turba pedibus conculcatae, incolumes extracti fuerunt homines illi, fundamenta ecclesia S. Francisco dedicandae fodientes, salus horum Sancti intercessioni et interventui merito attribuebatur. Quod tum a Fratribus, tum a iudice, a notario atque a testibus, item documenti quoque tenore aperte edicitur. Quia exemplum instrumenti mutilatum est, nomina testium rem affirmantium, quique prodigio ante quinquennium ipsi interfuerant, non comperimus, neque nomina novimus duorum virorum, contra communem exspectationem Potentinorum atque contra eiusmodi infortunii exitialis decursum, e fovea érutorum.

(1) AF IV, 529. (2) Ed. C. Eubel, Ad. Cl. Aquas 1892, 49.

(3) *Historiarum Seraph. Religionis libri III*, Venetiis 1586, f. 276r. Cui Waddingus, ad an. 1266, n. 19 (IV², 267), nihil addere potuit.

(4) Cf. similia *Miracula* narrata ap. III Cel. 41, 51, 53-4, 57-60, 181.

Prodigium Potentiae acciderat anno 1274, sed nonnisi post quinque annos fere integros revolutos, instrumentum de eo a tabellione conscriptum fuit. Hoc proculdubio Fratres Minores fieri expostulaverunt. Quos motos fuisse iure merito arbitramur definitione quadam Capituli generalis Patavii an. 1276 celebrati [1], statuente ut Epistola Ministri generalis ad idem Capitulum directa diligenter exsequeretur [2], ut scilicet: « *inquirant de operibus beati Francisci et aliorum sanctorum Fratrum quaecumque memoria digna, prout in suis Provinciis contigeri[n]t, eidem Generali sub certis verbis et testimoniis rescribenda* ».

Ipse Minister generalis, Fr. Hieronymus Asculanus, eidem Capitulo, cui ob legationem ad Graecos sibi a Papa demandatam impeditus interesse nequivit [3], tale miraculum aliis litteris suis, Assisii factum, nuntiavit [4], idemque prodigium eodem die 5 maii 1276 toti Ordini patefecit [5]. — Praefatum statutum Capituli generalis Patavinum ansam etiam dedit alicuius instrumenti publici, Interamnis scripto die 18 aprilis 1278 [6], de puero a muro corruente colliso et a S. Francisco adhuc vivo ad vitam revocato. Accedit nunc instrumentum Potentiae exaratum, mense martio an. 1279.

Quo in nexu recolendum venit miraculum alterum quod iam ante annum 1253 in eadem civitate Potentia acciderat. Hoc enim in *Tractatu de mirac. S. Francisci* narraverat Fr. Thomas Celanensis, n. 6 et 7, id est qua primum e creberrimis miraculis ibi descriptis. Rogerius, ecclesiae maioris Potentiae canonicus, longa infirmitate quassatus: « *die quadam ecclesiam pro sanitate oraturus intravit, in qua erat imago beati Francisci depicta, gloriosa stigmata repraesentans* ». Coram hac imagine prostrati cor dubitatio de sacris plagis irrepit; mox « *sonum audiens quasi cum spiculum prosilit de ballista* », chirothecam immunem extrahens: « *in medio manus plagam quasi sagittae ictum* » conspexit magnisque doloribus persensit. Per duos dies rugit dolore; tunc sacra stigmata vera fuisse protestatur et S. Francisco invocato: « *nullum remanet vestigium percussurae* », factusque est Rogerius « *Fratrum Ordini perpetua familiaritate subiectus. Huius rei tam solemne miraculum iuramentis*

---

(1) De quo capitulo cf. Bihl, AFH II, 3-16.

(2) Ed. A. G. Little, AFH VII, 681; cf. etiam AF II, 89, unde hoc ed. Fr. Ehrle, ALKG VI, 47. (3) Bihl, l. c. 6ss.

(4) Ed. Ath. López, AF I, 85-6. Inde ed. L. Lemmens, *Testimonia minora saec. XIII de S. Francisco Assisiensi*, Ad Cl. Aquas 1926, 89s.

(5) Epistola edita est ap. AF III. 358 in nota; hinc ap. Lemmens, l. c. 90-1.

(6) Ed. L. Lemmens. AFH I, 254-5, ubi et de controversiis circa hoc: ed. L. Oliger, AFH XII, 388; ed. L. Lemmens, *Testimonia*, 51s. — Aliud testimonium scriptum 31 oct. 1277 habes ap. AFH I, 39 et IV, 505s.; ap. Lemmens, l. c. 42-3.

firmatum fuit et episcopi loci maxime roboratum ». Narrationem suam Fr. Thomas adnominatione concludit de « *Dei ... potentia, quae in Potentia* » mirificum hoc operata est. — Ex his inferendum esse putamus, etiam de hoc antiquiore prodigio tunc Potentiae instrumentum publicum redactum fuisse, quod nos latet et iuxta quod Celanensis narrationem suam admodum vividam concinnavit (1). — Quod Celanensis dixit, imaginem illam S. Francisci stigmatizati in quadam « ecclesia » fuisse, potius innuit tunc revera Potentiae conventum Fratrum Minorum nondum exstitisse, quorum « Ordini » Rogerius canonicus familiaris esse diversis modis poterat, scilicet Fratribus conventus cuiusdam vicini (2).

Mox postea e III Cel. 6-7, hoc Miraculum S. Bonaventura in *Leg. maiorem, Mirac.* I, 6, paucioribus sed plerumque ad verbum assumpsit (3). Alterum autem prodigium anni 1274 ignotum non remansit, nam Barthol. Pisanus, licet in Provinciarum conventuumque elencho locum Fratrum Potentiae praetermisisset, in ultima Conformitate de Miraculis S. Francisci agens, tenorem instrumenti nostri accurate retulit (4), addens circa duos fodientes: « unus teutonicus et alius gallicus » erat. Quod probabilius continebatur, cum horum nominibus, in parte deperdita instrumenti Potentini.

P. Michael Bihl, O. F. M.

(1) Cf. supra, 37.

(2) Quos recenset Barth. Pisanus, AF IV, 529. Cf. etiam supra, 31.

(3) Hinc id habuit Waddingus, an. 1228. n. 16 (II², 182), aliique, inter quos Dom. Bacci, O. F. M., *S. Francesco d'Assisi attraverso le Leggende Pugliesi*, Brindisi 1925, 234-6.

(4) AF V, 493, l. 31-8. Nihil de hoc ap. Bacci, l. c.



VITAE DUAE
B. GALEOTI ROBERTI DE MALATESTIS
TERTII ORDINIS S. FRANCISCI († 1432)
A FR. MARIANO FLORENTINO CONSCRIPTAE

In huius Commentarii volumine VIII P. Constantinus Bartolucci, O. F. M., de B. Roberto de Malatestis antiquissimam edidit Legendam a Fr. Nicolao Ariminensi, O. F. M., immediate post mortem sancti viri exaratam (1). Quod ipse editor tunc sperabat, se videlicet alia vel de vita vel de cultu eiusdem Beati inedita aut sparsa in unum collecta editurum, sed temporis adiunctis primum et postea morte praepeditus (2) ad finem perducere non potuit, ego suis inquisitionibus nonnulla addens absolvere nisus sum, atque duobus articulis, ut spero, me expediam.

In hoc ergo priore Legendae primae duas Vitas addo a Fr. Mariano Florentino, O. F. M., scriptas, alteram in suo *Fasciculo Chronicarum* ante finem saec. XV, alteram in suo *Tractatu Tertii Ordinis* post initium subsequentis saeculi.

Historia chronologica Ordinis, quam *Fasciculum Chronicarum* ipse inscripsit, in 5 libros distincta et a Waddingo in suos *Annales* maiorem partem sed non absolute immissa, nunc, ut omnibus constat, deperdita est (3). Ante tamen eius dispersionem (c. 1810) nonnulla inde extracta fuerunt, praesertim de vitis Sanctorum Ordinis Fratrum, quorum Causae apud S. Rituum Congregationem tunc agebantur. Hae minimae, sed non minimi pretii, ut mihi videtur, partes illius *Fasciculi Chronicarum* deperditae non sunt: latent quidem in Archivis vel sparsae vagantur in *Actis* Causarum aut ineditis aut non facile praesto ad manus. Cur istae saltem publici iuris non fiunt?

Haec mecum cogitabam cum inter scripta Card. Iosephi Garampi († 1792), in Bibliotheca Municipali (Gambalunghiana) Arimini asservata, Vitam B. Galeoti Roberti inveni ab ipso Garampi ex Mariani *Fasciculo Chron.* exscriptam anno 1747. Sed postquam eam contuli tum cum antiquissima *Legenda*, ex qua eam derivatam esse facile

(1) AFH VIII, 532-57. (2) Obiit Faventiae 10 iulii 1925.
(3) Cf. AFH IV, 559ss.; *Studi Francescani*, VIII, 1922, p. 372ss.

praevidebam, tum cum Waddingi derivatione ab eodem *Fasciculo*, mox feliciter perspectum habui neque Marianum a prima *Legenda* immediate dependere, neque Waddingum e Mariano vitam totam absumpsisse: nova ergo in nova ignotaque compilatione Marianum proferre.

Duo haec credo ab historiae nostrae studiosis facile et indiscusse concedi: *a)* Marianum in compilando *Chron. Fasciculo* fontes, quos habuit, secutum esse et quoad ordinem et quoad substantiam, vel integre exscribendo vel plus minusve contrahendo; *b)* Marianum Florentinum circa vitam B. Galeoti Roberti Ariminensis neque scientiam aut notitiam propriam habuisse, neque singulare mandatum seu postulatum a quoquam accepisse eiusdem vitae scribendae. Atqui in collatione quam institui cum prima *Legenda*, quamque vel diversis characteribus vel notis infra lectorum oculis suppono, evidenter apparet Marianum ordinem primae *Legendae* profunde subvertere, raro eius verba vel phrases adamussim repetere, multa addere vel potius diverso modo narrare et disponere, utpote qui proprio marte ea quae propria scientia noverat enarrat (1). In numero autem octavo (2), a dependentia primae *Legendae* omnino liber, haec scribit:... *eius vitam obticere magis quam exprimere multo mihi satius videtur, quoniam tam stupende rei paria verba reperire nimium difficultatis est. Verum cum eius gestorum mirabilium et laudabilium tanta mihi occurrat veritatis copia, quod dicendi materia non deerit, exoratus amicorum precibus, tam spectandi adolescentis vitam... confidam exarare* (3). Non me fugit hanc humilitatis simul et magniloquentiae artem tunc temporis rerum huiusmodi scriptoribus satis communem fuisse; sed neque operi neque genio Fr. Mariani consona ea mihi videtur; unde conclusio patet.

Marianus, cum vitam exscripsit B. Galeoti Roberti in suo *Fasciculo Chron.*, prae manibus habebat alteram a prima *Legenda* huius vitae compilationem, exaratam ab ignoto hucusque scriptore, qui prima quidem *Legenda*, non serviliter tamen neque qua fonte unico, usus est, sed novo ordine novaque saepius dicendi forma res disposuit, eis plura vel facta vel adiuncta addens, a Fratre Lario praesertim, ut puto, aliisque testibus vel directe scientibus communicata.

Quinimmo, in Vita Fr. Mariani nos genuinam hanc secundam Legendam habuisse dicerem, quam Marianus fideliter, ne verbum quidem mutans, in sua Chronica transtulisset. Nam tota ipsa narratio, currenti et compto, ne eleganti dicam, stilo emicans, originem indicat diversam a Mariano, quem scriptorem novimus rudem et crebris gram-

(1) In singulis numeris *Vitae* haec clare evincuntur; cf. praesertim nn. 19 (ubi de gabellis), 30 (ubi primum seditio narratur), et passim, cum nomen socii B. Roberti, Fr. Larium, manifestat, eiusque relationes.

(2) Infra, p. 69. (3) Cf. quoque n. 31, l. 412s.

maticae erroribus scatentem. Dictio a n. **1** usque ad n. **32** semper correcta procedit, si pauca excipias, quae potius tribuenda sunt vel ipsius Mariani scribendi negligentiae vel serioris transscriptoris legendi imperitiae. In duobus vero ultimis numeris, **33, 34,** in errores Mariani stilo consonos statim offendis, utpote qui finem Legendae contrahere voluit (n. 33), et anonymi Martyris historiam, quam simul cum Legenda forsan acceperat, sed a diverso certe scriptore erat descripta, propria debuit dictione in formam suis Chronicis aptam reducere (n. 34).

Waddingus vero in sua redigenda vita B. Galeoti (1) pene unicum sequitur Marianum, quem citat inter *Legendam* primam et *Chronica* Marci Ulyssiponensis, sed ab his nihil penitus mutuatur, ab illa autem perpauca adiuncta tantum, quae in notis indicabo. Verum ita stricte contrahit et libere, propria dictione semper, quandoque etiam notione transformat, ut nihil, quod Mariani compilationis proprium est, in eius compendio deprehendi possit, compilatioque Mariani novum eximiumque inventum atque historiae Beati opportuna contributio dici adhuc debeat.

Quod autem ad vitam attinet B. Roberti in Marci Ulyssiponensis Chronicis insertam (2), ut de eo quoque paucis me expediam, quamvis ipse in margine citet simul cum Mariano opus quod italice inscribitur *Specchio dell' Ordine Minore,* seu *Franceschina,* quodque in hac parte adhuc ineditum est (3); tamen certo affirmari potest Marcum adamussim tum ordine tum rebus Marianum sequi, semper in compendii forma, sed aliquando et ipsum fidelitate carere, quod idem in notis comprobabo.

Unde pro hac parte sic concludi posse mihi videtur: in cognoscenda vita B. Galeoti Roberti, Legenda prima Fr. Nicholai et haec secunda Mariani praecipua et fundamenti instar documenta sunt; Waddingus vero et Marcus Ulyssiponensis, neque integri neque fidi, penitus praetermitti possunt (4).

Vita altera a Fr. Mariano in suo *Tractatu Tertii Ordinis* (5) inserta, lingua italica est conscripta et fidelissimo compendio sequitur

(1) *Annales,* sub an. 1432, nn. 18-23 (vita), 24-27 (miracula), 28 (martyr Ariminensis anonymus).

(2) *Croniche* etc., parte III, lib. 6, cc. 52-4; ed. Napoli 1680, pp. 71-5.

(3) Paulatim editur cum periodico L'*Oriente Serafico*. S. Maria degli Angeli.

(4) Ut melius deprehendatur differentia atque independentia inter Ulyssip. (= U) et Wadd. (= W) itemque amborum deficentia relate ad textum Mariani, hanc tabulam inspici iuvat. U et W simul extrahunt (differenti tamen et persaepe exigua extractione) ex *Vitae* nn. 1-6, 9-10, 13-4, 16-7, 19-21, 23-4, 26-8, 31-3; om. ambo nn. 8, 25; solus U habet nn. 7, 11-2, 15; solus W habet nn. 18, 22, 29-30, 34.

(5) Continetur in Cod. Bibliothecae Nationalis Florentinae, ***Palatino n. 147,*** accurate descripto ap. AFH XIII, 5ss. Cum sit authographon ipsius Mariani, apographa quae adsunt non curavi.

secundam Legendam e *Fasciculo Chronicarum* extractam. Unicam inversionem notavi et ad parallelum melius demonstrandum transtuli in n. **19,** qui in originali esset **23.** Omissa sunt contenta in nn. 1 (introductio), 8, 25 (considerationes), 29-30 (obsessi liberatio et seditionis compositio) aliorumque non paucorum partes, ut semper notavi atque lector propria discretione animadvertet. His non obstantibus, Compendium hoc Fr. Mariani magis fidele atque completum evasit, quam quae Ulyssiponensis et Waddingus edidere.

Ratio illius editionis tunc sola esset, ut in ignoto inspici posset, atque ex compendio certo Mariani comprobaretur (si quod unquam dubium exstitisset) secundae vitae derivatio e *Fasciculo Chronicarum.*

Verum etiam hoc compendium, collatum cum Vita secunda, quaedam nova aut diversa praebet, quae erectis characteribus indicavi; minima in nn. **5, 9, 16, 20, 24, 26**; mole maiora in nn. **32, 33.** In nn. 5, 20 derivata percipiuntur a prima *Legenda:* habuit ergo et illam tunc prae manibus; in nn. 16, 24 nova apparent quae proprio criterio potuit ipse Marianus explicare; in n. 26 est adiunctum e prima *Legenda* derivans, sed cum nova itidem additione; in nn. 9 addit aliquid ex scriptis, ut videtur, S. Iacobi de Marchia deprehensum; in nn. 32-33 nova et ampla informatione gaudet Marianus circa mortem B. Roberti, quin ex hucusque notis perspici possit unde haec acceperit.

Igitur peropportunum fuit ut ea quoque ederetur, quo melius Mariani industria et B. Roberti vita cognoscerentur [1].

In eadem pagina eosdem insero numeros duarum compilationum, ut facilius et magis perspicue dependentiam, conformitates et differentias inter easdam deprehendat lector. Erectis typis differentiae exprimuntur: in superiore Vita relate ad *Leg.* primam; in inferiore relate ad superiorem; *cursivum* in superiore indicat verba vel eorum partes quae eadem in prima *Leg.* inveniuntur; in inferiore vero eadem expressa, quamvis paucioribus aut diversis verbis, quae iam in superiore exhibentur. — Si circa ea quae in superiore erectis characteribus inter cursiva verba exprimuntur nihil in notis dicitur, eaedem res ibi narrantur quae in *Leg.* prima, quamvis compilatione penitus nova. Cetera erecto charactere expressa, nullo intermisso cursivo, omnino nova sunt.

In notis *Legenda* prima exprimitur *Leg.;* Vita prima Mariani, *Vit.;* Vita secunda *Comp.;* Marcus Ulyssiponensis sive Ulisbonensis, *Ulisb;* Waddingus, *Wadd.*

---

[1] In suo *Compendio Chronicarum* pro huius Beati notitia Marianus tribus lineis contraxit quae in *Fasciculo* inseruit n. 1 et 33: AFH III, 713.

Vita B. Galeoti Roberti Malatestis Ariminensis.

(Ex Chronicis Ord. Min. Fr. Mariani (1) *de Florentia).*

1. Die decima mensis octobris 1432, ab inceptione vero Ordinis anno 224, infra octavam celebrationis Seraphici Patris nostri Francisci, in Arimino civitate Romandiole provincie Bononie, migravit ad superos beatus Robertus de Malatestis de tertio Ordine eiusdem b. Patris Francisci, anno sue etatis 22. Cuius gesta descripsit primo Frater Nicolaus de Arimino Ord. Minorum, sacre theologie professor, prout verbo et scripto habuit a fide dignis et ipse novit.

2. Robertus iste 'fuit homo missus a Deo' (2), ex nobili de Arimino Malatestarum genere: cuius genitor Pandulphus, patrui Carolus et Malatesta, fratres vero Gismundus et Malatesta Novellus (3), multiplici virtute ornatissimi principes, quorum memoratus perpetui gesta magnifica Italicorum auribus inequabilis probitatis resonarunt in exemplum.

3. Qui tam exuberanter divine benedictionis gratia preventus est, ut eius vita celebris, angelica potius quam humana spectantium oculis videretur. Ab infantia quidem ipsius quasi celestis indoles mire future sanctitatis pretendebat inditia. Nondum enim quinquennium attigerat

---

Del beato Roberto signore di Rimini.

(Ex Tractatu Tertii Ordinis (4) *Fr. Mariani Florentini).*

1. (Deest).

2. *Fu uno homo mandato da Dio, el nome del quale si chiamò Roberto, figliolo di Pandolfo* (5) *Malatesti signore di Rimini.* | (6).

3. | *El quale nella età di quatro anni, non inducto da persona ma*

---

(1) Bibl. Communalis Arimini (Gambalunghiana), *Apografi Garampi*, n. 7. Fasciculus constant pp. 32 non num., ex quibus duae in principio et quatuor in fine vacuae sunt. Manus exscriptoris est, nullo relicto dubio, domini Iosephi Garampi, qui Praefectus fuit Archivi Vaticani et demum (1785) Cardinalis S. R. Ecclesiae. Titulus ibi, post verbum *Mariani*, pergit: « Florentini exscripta | a me | Iosepho Garampi Ariminen. | A. 1747 ». Dein sequitur nota ipsius: « Chronica praedicta asservantur MSS. in Archivio PP. S. Isidori Min. Observant. Hibernorum de Urbe, eorumque auctor obiit die 20 iulii a. D. 1523 ex pestilentiae morbo, prout manu diversa notatum fuit in calce Libri V ». Manus paulo posterior adiunxit: « Nella Causa *Pisaurien. approbationis cultus B. Seraphinae Sfortiae* sotto Benedetto XIV (circa il 1753) furono dalla S. Congregazione approvati i MSS. suddetti di Fr. Mariano, e in ispecie il 5° Tomo, giacchè per i primi quattro la S. Congr. gli avea già altre volte pronunciati autentici ». Et sequitur tertia nota, quam cf. in fine p. 85.

(2) Ioann. 1, 6. (3) Primitivo nomine « Dominicus ».

(4) In cod. Bibl. Nat. Flor., *Palatino n. 147*, ff. 182r-189r.

(5) In cod. add. in linea et abrasum *di Carlo*. (6) Haec lineola verticalis indicat partes *Vit.* ex eodem numero hic esse omissas.

(eius fidedigna testante [1] *nutri*ce), quippe nisus a nullo [2] aut inductus, verum a se ipso commotus dumtaxat, orabat; de sero presertim dum vigil a nutrice collocatus *in lecto* iaceret, *dic*ebat multiplex '*Pater noster*' et [3] *orationes* quas didicerat, quousque obrueretur a sompno. Quem honesta nutrix velud quoddam novum prodigium stupefacta contemplans, crebro *dormientem vidit moventem* pluries labia *dicendo* '*Pater noster*', pluribusque vicibus tenentem *man*us *devote cancellat*as innoxio *pect*ori.

4. Huic miro admirandum adiiciam. Agente ipso [4] quinquennium sue *etatis an*num, a sapiente *patru*o, *Karul*o videlicet, coram *mult*is solatiose interrogatus, quid ex omnibus plus appeteret, respondit: « *Vellem,* inquit, *esse pauper* ». Cuius responsum vir clarus *patruus* vehementer admirans, quasi putans tale verbum casualiter potius quam ex mentis intentione ex ore infantis manasse, eum diligentius secundo et *ter*tio *interroga*vit. Cui felix infans idem trina vice respondit. Existimabat quippe divinitus edoctum simplex ingenium voluntariam Christi paupertatem indubie fore precium, quo viri iusti perhennes celi thesauros in hac vita mercantur. Quod Dominus Iesus suos edocuit dicens [5]: 'Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum'. Cumque circum*stantes* stupefacti hoc responso arbitrarentur, aut insipienter more infantium emissum, aut future pusilanimitatis omen, *sapiens patruus* gravissimo verbo *dixit:* « Quin ymo *for*san clemens *D*eus hunc infantem iam vere paupertatis emulatorem fecit, quem futurum esse prenovit rerum mundi contemptorem ». Huius tam expectandi [6] nepotis Carolus ipse patruus diligentius [7] *cur*am egit, quem sibi adoptavit in filium, ut heres etiam fieret.

---

per se medesimo comosso orava, et maximo la sera quando dalla nutrice era posto nel lecto diceva molti 'Pater nostri' et certe orationi che haveva imparate. Spese volte anchora mentre che dormiva fu veduto menando le labra dire 'Pater nostri', et le braccia in modo di croce tenere sopra al pecto.

4. *Essendo ne la età di cinque anni fu in presentia di molti domandato dal suo sapiente zio* [8] *Carlo quello che più desiderava sopra tucte le cose. Rispose: « Vorrei essere povero ». Et maravigliandosi l'avolo di tale risposta, credendo havesi risposto a caso più che per intentione di mente, insino in tre volte lo domandò; al quale el felice fanciulo tre volte rispose sempre quello medesimo. | Et stupendosi li circumstanti, pensando che insipientemente come fanciullo haressi risposto et che fussi segno che col tempo sarebbe di pocho animo, rispose el zio: « Et chi sa! Forse che el clemente Dio ha facto questo fanciullo immitatore della povertà, che col tempo l'ha cognosciuto dovere essere disprezzatore del mondo ». Onde per la bona expectatione che haveva di questo nipote, ne prese diligente cura adoctandoselo in figliolo, acciò che li fusse herede nella Signoria.*

---

[1] *Leg.* n. 6. [2] *nullo, nisus:* sic Ms. [3] Supplendum forsan est *alias.* Ulisb. *altre; Comp.* l. 6: *certe.* [4] *Leg.* n. 5. [5] Math. 5, 3. [6] Sic, et cf. *Comp.* l. 19 Hinc *Leg.* n. 7, l. 60. [7] Cf. *Comp.* l. 19.

---

[8] Scripserat *avolo,* sed postea suprascripsit *zio;* quod non fecit infra l. 11.

5. Cumque vir Dei Robertus pueriles annos cum incredibili discretione perurgeret, eius in Deum iugiter augebatur affectio. Et ne indomitum corpus in posterum adolescentie ignibus ebuliret, adhuc puer, sensualitatis inordinatis motibus obvians, cepit suis *corpusculum austeritatibus* angere (¹). *Cum* etenim *esset* forte *decennis, devoto patruo quadragesime sancti Martini* celebrante *ieiuni*um, iubenteque *puerum secum* in mensa re*cumbe*ntem *carni*bus vesci, *carnes* ipsas, nescio patruo, *mense sum*mictebat *tam caut*e, ut *nemo* circumstantium adverteret. Et sic *solo pane* contentus pascebatur in vigiliis et *quadragesima*. Quod Dei nutu *perpendentes* nonnulle discrete *mulieres de* familia, ipsum *post cenam* aut *prandium* clam *voca*tum pascebant *pisc*ibus et ferculo, *ex quo in mensa patrui* tam parce comederat. *Refert etiam iuvenis quidam* discretus admodum, bene*dicto puero datus in socium, quod* ipsum crebro *reperit hispid*o fune *ex* pilis (²) *equi contexto, quo venatores canes duc*ere habent in usu, *cinctum* super *nud*o, *que*m, invi<c>to *puero, a* tenero corpusculo *removebat*. Alia quedam procul dubio teneris sub annis clanculum carni monstrabat esse dura, toto affectu desiderans se ipsum abnegare, et sua accepta cruce Dominum Iesum fideliter imitari.

6. Nec ipse *pue*r vacabat (³) *puerilibus*, quin potius mirabiliter sui compos garrientium sociorum aut *curialium* ceterorum strepitus *evitans*,

---

5. *Constrinse el beato Roberto con incredibile discretione li anni puerili, continuamente crescendoli l'amore inverso Dio. Onde acciò che per l'avenire non havesse el corpo suo a bruciare nel foco della adolescentia, essendo anchora fanciulo, obviando alli inordinati moti della sensualità, con austerità cominciò a constringere el corpo suo. Onde quando fu in età di dieci anni, et digiunando el suo devoto zio signore Carlo la quaresima di sancto Martino, el sancto fanciulo Roberto, che continuamente mangiava insieme con eso lui nella mensa, la carne che li era ministrata tanto cautamente la gittava sotto la mensa, che el zio nè alcuno de' circumstanti se ne avedera. Et così solo con pane nelle vigilie et nella quadragesima si cibava. Ma finalmente, permettendolo Dio, alcune discrete donne di tale abstinentia avedendosi, dopo la cena o desinare nascosamente lo chiamavano et davo[n]gli mangiare del pescie et altri cibi quadragesimali. Cinsesi* più volte *anchora questo benedecto fanciulo* sopra la nuda carne *una aspra fune di peli di cavallo, la quale havera levato dal collo di uno cane da caccia; e più volte* per forza (⁴) *li fu levata.* |

6. *Non si occupava anchora in acti et giochi puerili, ma mirabilmente fugiva li strepiti et romori delli sua compagni et delli altri cortigiani;*

(¹) *Leg.* n. 7, l. 64ss. Om. ll. 60-4. Aetas 10 annorum apud *Leg.* exprimitur tantum cum ea narrantur quae hic l. 53 referri incipiunt. Hic Wadd. ex *Leg.* addit: « Lectuli mollitiem abhorrens, a patrui dormientis latere surgebat, dormiebatque *in nuda humo* »; sed « *in tabula lignea* » habet *Leg.* l. 62s.

(²) Wadd. « fune *setoso* », ex *Leg.* l. 79. (³) *Leg.* n. 8.

(⁴) Immediate ex *Leg.* n. 7, versa videntur verba erecto charactere expressa: *pluries, in nuda carne, vi.*

eorum contubernium devoti pueri senilis animus horrebat, et in secretiori illius loci *parte* secum *tacitus* mature loquebatur, *videbatur*que aut Deo fari, aut divina ruminari. Quid namque de puero elegantius excogitari potest, quam quod puerilium nescius mature etatis [*moribus*?] adherebat<ur>?

7. Demum adolescentie fornacem ingressus, tanto rore sancti Spiritus perfusus est, ut lascivie flammis nullatenus extuaret. Fuit namque adolescentia viro Dei Roberto senectus atque ultima etas; quoniam illam vivendo non preteriit, cum, ut puto, 21 (¹) vite sue annum non complevit. In hac quippe etate totam pro Christo suam militiam exercuit contra diaboli versutias, mundi blanditias atque carnis impetus virili agone contendens, ut examinatum (²) probatum spiritum purum celo redderet, etc. ... (³).

8. Felix namque Robertus, velut stella mactutina celo micans, cunctis iuvenibus speculum instruens et edificans, eousque adolescentiam suam optimum in finem protraxit, ut eius vitam obticere magis quam exprimere multo mihi satius videtur: quoniam tam stupende rei paria verba reperire nimium difficultatis est. Verum cum eius gestorum mirabilium [et] laudabilium tanta mihi occurrat veritatis copia, quod dicendi materia non deerit, exoratus amicorum precibus tam spectandi adolescentis vitam, ut eius nomen incorruptibile fiat ad exemplum ceterorum, confidam exarare (⁴).

9. Robertus utique virilis adolescens, accingens fortitudine lumbos suos (⁵), adhuc virgo molitus est se libidinis immaculatum sacrificium offerre Deo. Nullos quidem impudicos sectabatur mores, neque ulla ad-

---

et con animo di vechio dimonstrava di averli in horrore. Sempre si udiva parlare di Dio, et pareva che sempre cose divine ruminassi. |

7. *Finalmente entrato nella fornascie della adolescentia, fu di tanta gratia di Spirito sancto ripieno, che mai abruciò delle fiame della luxuria. L'adolescentia fu vechiezza et ultima età a questo homo di Dio beato Roberto, imperò che vivendo non passò li anni della adolescentia, imperò che non havendo anchora ventiuno anno finito passò della presente vita. Certamente in questa sua florida et tenera età tucta la sua militia per l'amore di Christo exercitò contro alle versutie del diavolo, contro alle blandicie del mondo et contro alli impeti della carne.*

8. (Deest).

9. *Accinse con la fortezza li sua lombi, essendo anchora vergine questo virile adolescente beato Roberto, et immacolato sacrificio se offerse a Dio; onde non fu mai veduto sequitare alcuno impudico costume, et*

(¹) Lege *22*, et cf. supra sub n. 1, itemque sic corrigendum est *Comp.* l. 46.

(²) Ms. *exanimatum*. Cf. Ps. 11, 7. Ad sequentem lineam cf. Eccli, 50, 6.

(³) Sic in Ms.

(⁴) Cf. *Leg.* n. 4. Sed toto caelo diversae tum notio tum dictio novum compilatorem pro hac praesenti Legenda evincunt, quam sibi directe Marianus derivavit, cum ipse nec nova dicenda haberet non antea ab aliis iam scripta, neque amicorum preces praetendere posset, ut eam suis Chronicis insereret.

(⁵) Cf. Prov. 31, 17; deinde Hebr. 9, 14.

mittebat oblectamenta lascivie. Tandem [1] *18 anno*rum *etatis* superato cursu, *patruus* eius Carolus, ipso Roberto penitus ne*scio*, sibi nobilem matronam, dominam Margaritam filiam magni principis domini Niccolai Marchionis Estensis conspiravit legiptimo *matrimonio* coniungere. Cui castus adolescens, accersitus a patruo, extortum potius quam voluntarium consensum non affectu sed timore prebuit, non ausus *patrui*, quem timebat, nutui contradicere. Molestum attamen non parum illi fuit angelicum virginitatis thesaurum amictere, cuius merito cupiebat aureola in celesti palatio coronari. Memor vero sanctissimi Patriarche Abrae, cuius coniugalis castitas non minus optimo Deo grata fuit quam Iohannis Baptiste illibata virginitas, confisus est in eo statu equali merito piissimo Domino famulari. Profecto [2] vero carnalem *copulam* in mensibus 18, quibus conversatus fuit cum sua uxore ab se [3] separatione aliqua, numquam petiit, nec cum ipsa usus est, sed semper in sua virginitate permanens, tandem iure coniugali ad prebendum petitur debitum. Quo reddito [4], tam dolenter flebat, quod naturalis delectatio summa vertebatur in tristitia; omnes autem ceteros actus impudicos abhorrebat.

10. Cumque [5] *19 etatis sue* attigisset *an*num, defuncti *patrui* remansit heres *cum duobus* supradictis *fratribus parvulis*, et *per dominum papam*

---

non permectera in lui entrare alcuna delectatione carnale. Finalmente havendo passato el numero di anni diciotto, el suo zio Carlo, non sapendo di questo alcuna cosa el beato Roberto, li decte per donna la nobile madonna Margherita figliola del signiore Niccolao marchese di Este [6]; *alla quale per timore del zio et sforzato consentì. Nientedimeno quanto in sè fu possibile conserrò quanto potè l'angelico thesoro della verginità, del merito della quale desiderava nel celeste palazio essere coronato. Imperò che,* come epso con la propria bocha revelò a sancto frate Jacopo della Marcha, el quale di sua propria mano questo scrive [7], *diciotto mesi nel lecto con la sua donna vergine perseverò. Ma essendo constrecto dalla leggie matrimoniale rendere el debito matrimoniale, confiso che non mancho fu grato a Dio la coniugale castità del sanctisssimo patriarcha Abraam che la inlibata verginità di sancto Giovanni Baptista, si quietò; et dopo tanto dolentemente pianse, che la naturale delectatione in somma tristizia convertì. Et mai tale copula desiderò nè operò, se non dalla legie richiesto et constrecto.*

10. *Havendo finito anni dicianove, della presente vita passorono li sua zii Carlo* et Malatesta [8], *et rimase epso della Signioria herede con dua sua fratelli,* cioè Gismondo et Malatesta Novello [9]. *La qual cosa udendo, papa*

---

[1] *Leg.* n. 9. [2] Ms. *Profectum.* [3] Ms. sic; *absque?* Et hic cf. *Leg.* n. 19. [4] Ms. *Quod redditum.* [5] *Leg.* n. 10.

[6] Cod. *Aste.* [7] Adiunctum penitus novum, neque ubi haec S. Iacobus de Marchia scripserit mihi compertum est. Inter eius sermones, ut puta *de Nuptiis*, hoc esset requirendum.

[8] Cf. *Vit.* n. 2. Malatesta V, Pisauri dominus, 1385-† 19 dec. 1429. Carolus obierat 13 sept. 1429. [9] Item ex *Vit.* n. 2.

Martinum V in quondam sui patrui dominio [1] *Ecclesie Vicarius constitutus* est. Tunc ad opera bona iudicio [2] *liber*ior factus, ardentioris affectus promptiorisque animi [3] ad Christi militiam, disponens se Christo totum dare, Dei altissima cogitare cepit; quod ut nancisceretur meritis omnium virtutum iter sulcare proposuit. Et ut in sancto opere docilior fieret, sibi virum sanctitate preclarum elegit iugiterque mentis oculis preferebat, ardentem videlicet Seraphicum Franciscum, quem cunctis affectibus contuebatur, velud omnimode sanctitatis speculum, ut ipsius vite exemplo dirigeretur atque perseveraret in omnibus, ad consequendam Christi Iesu dilecti sponsi gratificantem gratiam, quam amplecti merito [4] ex intimis super omnia cupiebat.

11. Ut igitur Christo Iesu famularetur abundantius, Seraphicum Franciscum, qui Christi Crucifixi referebat [5] ymaginem, iugi meditatione gerebat in animo, eumque plenis affectibus satagebat imitari. Legebat crebro vitam suam, gesta ipsius a quocumque auscultabat attentius, eum dulcifluo nominabat ore, nec non frequenter invocabat dicens: « Seraphice Pater, tui suffragio dirigor in obseq[u]ium Dei ».

12. Cuius piissima vota clemens Deus ex alto prospiciens, ipsum consolari benigne disposuit [6]. *Sepe* enim *noctu mactutinali hora* audiebat *camere sue* quendam *puls*antem ad *host*ium *clara voce* dicentem: « *Surge, surge, fili,* quia *hora est* ». *Et* cum *hoc* pluries *contigi*sset, et pluries

---

Martino quinto lo institui Vicario della Chiesa in uno certo [7] *dominio del suo zio. Al presente ad ogni bona opera facto più libero, con più ardente affecto et animo più prompto si dispose tucto darsi alla militia di Christo, et elessesi in maestro et exemplo el glorioso Seraphico Padre sancto Francescho, nel quale con tucti li affecti sempre come in uno spechio risguardava, acciò che per lo exemplo della vita sua fussi diricto et perseverassi a consequire la gratia di Iesu Christo.*

11. *Adunque, acciò che più abundantemente servisi et sequitasi Iesu Christo, per continua meditatione portava ne l'animo el seraphico Francescho, [e] sforzavasi quanto poteva di immitarlo. Legeva spesso la sua vita; con attentione volentieri ascoltava li sua gesti, con dolce bocha lo nominava speso dicendo: « O seraphico Padre, per li tuoi prieghi impetra da Dio mi dirizi* [8] *nel suo divino obsequio ».*

12. *Ma risguardando el clemente Dio li sua pietosi desiderii, benignamente dispose di consolarlo. Onde spesse volte di nocte ne l'hora di Mattutino udì pichiare l'uscio della camera sua, et una chiara voce che direva: « Lieva su, lieva su, figliolo, chè gli è hora ». Et questo essen-*

---

(1) Wadd. ex *Leg.*, l. 94s., territoria indicat: « collato ei per Martinum V Vicariatu Ariminensi Caesenate, Fanensi, aliisque bonis feudalibus Ecclesiae ».
(2) Sic Ms.; et cf. *Leg.* n. 11. (3) Sic Ms. Sed ex *Comp.* correctio patet.
(4) Ms. *meritis.* (5) Ms. *reverebatur.* (6) *Leg.* n. 11, ll. 108-111.

---

(7) Vel error in versione, vel in *Vit.*, l. 105, legendum *quodam.*
(8) *impetra - dirizi* scriptum super rasum.

pulsantem et clamantem [audivisset?], homo Dei quid hoc esset *scire* non *pot*erat.

13. Et tamen multotiens ei revelatum a Domino extitit ([1]), *quod b. Francisci filius futurus esset. Quod* cum Robertus non absque letitia miraretur enixius, verebatur attamen ne *illusi*o esset demonis vel temptatio, arbitratus religionem Francisci ingredi *non posse,* cum principatus fungeret[ur] ministerio et uxori esset alligatus. Verum quia Dei revelantis ignorabat arcanum et crebra visio non cessabat, quosdam *servos Dei* multiplici prece propulsavit ut *orar*ent: *oravit* et *ipse,* Deum instanter deprecans, quatenus ipsius *visionis* intentionem sibi clare demonstraret ([2]).

14. Cumque ([3]) *nocte quadam, in oratione solus* et *vigi*l existeret. *ei quidam,* ut ita dixerim, *fraterculus* cordiger et nudipes *apparuit* vili et *pauper*rimo indutus *habitu,* humili gestu, oculo tamen claro ipsum aspiciens, *quem* Robertus *videns* extimuit ([4]). Qui respondit: « Ego *sum Franciscus,* quem tam ferventer amas, a quo sepenumero vocatus es et pluries *vision*em habuisti. Ego quippe *veni ut te certificem, quod filius meus futurus* sis ». Tunc vir Dei Robertus perterritus, demum a b. Patre

---

doli achaduto più volte, et levatosi non trovando persona, non potera l' homo di Dio sapere chi fussi.

13. *Nientedimeno li fu revelato che dovera essere futuro figliolo di sancto Francescho. Della qual cosa non sanza letizia* anxio ([5]) *maraviglìandosi el beato Roberto, dubitava nientedimeno che non fussi illusione o temp[ta]tione diabolica, pensando che non potera entrare nella religione de' frati Minori perchè harera preso el governo et la signoria et era ligato colla donna. Ma perchè era ignorante del secreto di Dio et la spessa visione non cessava, pregò molti servi di Dio che pregassino Dio per lui, et epso ancho di pregare non cessava, pregandolo che chiaramente li dimostrassi la intentione della visione.*

14. *Et essendo una nocte vigilante in oratione, li apparre uno fraticello scalzo et con la corda cinto, vestito di uno vile et povero habito, et nella presentia molto humile, el quale risguardò el signore cor uno ochio molto allegro et dixe: « Io sono Francescho, el quale tanto ferventemente ami et che spesse volte in visione te ho chiamato. Io sono venuto per certificarti che tu debbi essere mio figliolo ». | Rispose et beato Roberto: « Da' nel mio corpo*

([1]) *Leg.* n. 13.

([2]) Waddingus, l. c. n. 19, nn. 10-3 contrahens. haec scribit: « Sui iuris effectus, liberius se divinis dicabat obsequiis, assumpto in patronum S. Francisco, in quem summo ferebatur affectu, *et in magistrum docto et pio quodam Minorita.* Religiosos et graves viros frequenter interrogabat, qua ratione *Deo magis placeret,* suasque addebat preces, ut divina Maiestas *quid potius ab eo vellet* dignaretur indicare ». Sensus *Leg.* est idem ac sensus *Vit.*

([3]) *Leg.* n. 14. ([4]) Omisit forsan Ms. interrogationem Beati, quae adest in *Leg.* l. 130. Cf. tamen *Comp.* l. 101.

([5]) Item corrigendum videtur vel *anxio* hic in *Comp.* vel *enixius* in *Vit.* l. 130.

Francisco benigniter *confortat*us, asserente quod dixerat esse verum, re*sumptis animi* utcumque *viribus*, *reverent*er ait: « *Signum in* meo corpore da mihi, *Pater*, *quo* ita *certific*er, ut *mihi dicis* ». *Tunc* b. Franciscus statim *evanuit*. *Et apparuere quinque* vulnera *in corp*ore beati *viri:* tria quidem in *pect*ore [1], cetera duo *post terga*, ex quibus *sangui*s effluebat atque *sanie*s habundanter, cum *ta*nto viri Dei *intenso dolore* et acerbo cruciatu, *quo*d ferme eius *defecer*unt vires. Cuius *vulner*um ea nocte *die*que sequenti tormenta substinuit; *adveniente* quidem solis occasu [2], illa disparuerunt *vulnera*, et vir Dei *remansit* incolumis. *Camisia* tamen, *quam super cilicium* gerebat, cruore vulnerum et sanie remansit maculata, quam se vidisse retulit *frater* Larius *socius* felicis viri Roberti secretarius. Hoc nempe signo certificatus est servus Dei se futurum esse Seraphici Francisci filium, quemadmodum multiplex quam habuerat visio pretendebat. Et tunc, *inspira*nte Deo, de plurium servorum Dei consilio, *in die* natalis *b. Francisci* eius *tertii Ordinis* multa cum *devot*ione sumpsit Ordinem et *habitum*, et ita suus effectus est filius *ann*o Domini *1431* [3]. Indicibili quippe gaudio felix Robertus adsumpto Francisci habitu impletus est, eoque illum strictius est amplexus, quem toto animo diligebat.

15. Robertus itaque, Francisci fervens imitator, celestis vite zelator fervidus, spiritualis edificii structuram intendens exordiri, in se prius fudit vere humilitatis fundamentum, quod a Christo didicerat, ut eo gradu celi sublimia scanderet. Qui, quanquam princeps existeret, nullo

---

uno segnio, o Padre, per el quale io sia certificato di quello che tu di' ». *In queste parole immediate disparve sancto Francesco. Et cinque piaghe apparvono nel corpo del beato Roberto: tre erano dinanzi nel corpo el pecto, et dua nelle spalle; delle quali piaghe habundantemente usciva sangue et putredine con tanto intenso dolore et acerbo cruciato che quasi li manchorono tucte le forze. Et sostenne tale tormento tucta quella nocte et el dì sequente; ma la sera, quando el sole si summerse nella terra, disparvano quelle piaghe, et el sancto giovane rimase perfectamente sanato. Nientedimeno la camicia che portava sopra al ciliccio si vedde rimasta del sangue et putredine delle piaghe tucta maculata.* | *Per questo segno certificato el servo di Dio dovere essere figliolo di sancto Francescho, sì come in molti modi li haveva dimonstro la visione, spirandolo Dio et di consiglio di più servi di Dio, con indicibile gaudio l'anno del Signore mille quattrocento trenta uno, ne la solennità di sancto Francescho si vestì co[n] molta devotione el felice Roberto l'habito del tertio Ordine.*

15. | *Et benchè el beato Roberto fusi principe et signore, nientedimeno per alcuno fa‹u›sto del principato non si gloriava, ma harebbe lasciato la*

---

(1) Ms. *corpore*. Cf. tamen *Comp.* l. 109s.

(2) Ulisb. l. c. cap. 53, p. 73: *all'apparir del sole.*

(3) Wadd. l. c. *MCCCCXXX;* et add.: « in mea praesentia, inquit auctor legendae MSS. (= *Leg.*), ex qua praecipuam historiam delibavi »; sed revera in locis tantum hic adnotatis. — Ms., l. 160: *absumpto*.

tamen fastu gloriabatur [1] *principatus*, nec preesse gaudebat. Quin ymo *dominii* sceptrum remisisset, nisi tria obstitissent, videlicet: coniugii nexus, duorum parvulorum fratrum opportuna educatio, et amor Reipublice, ne scilicet seditione aut rebellione dilaberetur. Et, ut verum fatear, servi et familiares beati viri eius humilem intentionem cernentes liquido, stabant iugiter pervigiles in custodia observantes attente, si aliquem actum in eo cognoscerent, quo presumi posset ipsum, relicto dominio, ad nemora velle<t> subterfugere, quod suspicabantur obnixe.

16. Et quanquam vir Dei Robertus veneranda principis modeste uteretur maiestate, clanculum tamen in domo sibi ipsi vilescens, servis servire gaudebat. L a r i o enim [2], quem ex civibus in *socium* acceperat, veluti prelato supra se constituto [3] parebat, nihilque fiendum obmictebat quod ei per sanctam obedientiam precipiebatur. Ut iugi exercitatione in eo semper vigeret humilitas, *inter* ipsum et fratrem eiusdem professionis, L a r i u m supradictum, statutam de utriusque consensu legem, quod *unus* uno mense, alter altero mense [4] ut prelatus alteri *precipi*at, et uterque alterius mandatis *obedi*ret, ambo inviolabiliter observabant. Et hoc modo servus Dei Robertus aut mansuete precipiendo, aut reverenter obediendo totam vitam in *humilitate* exercebat.

17. Qui dum semel in humiliato pro humana salute Domino Iesu, accusato, capto, ligato, consputo, coronato, deluso, morti tradito et inter latrones crucifixo, meditaretur vehementius, ad tantum sui ipsius con-

---

signoria se tre cose non si li fussino contro apposte [5]: *laprima el legame della donna, el necessario nutrimento de' dua fratelli picholi et l' amore della republica, acciò non venissi in rebellione et seditione.* |

16. *Et benchè nel populo modestamente usassi veneranda maestà di principe, nientedimeno in casa, in secreto in se medesimo avilendosi, desiderava servire a' servi. Havevasi electo uno cittadino in compagnio decto per nome L a r i o,* frate anchora del Tertio Ordine [6], *al quale obediva in tucte le cose come se fussi suo prelato. Ordinorono infra loro che ciascheduno di loro per uno mese fusse prelato l' uno de l' altro, cioè che quando uno era uno mese stato prelato, el sequente mese, lasciato la prelatione al subdito, diventava obediente, et quello che era stato subiecto comandava a l' altro. Et così scambievolmente perseverorono insino alla morte, quando mansuetamente comandando et quando reverentemente obediendo.*

17. *Meditando una volta el beato Roberto la humilità di Christo come a tanta passione et vituperosa morte della crocie si era humiliato, venne*

---

(1) Cf. *Leg.* n. 23 et 27.

(2) Cf. *Leg.* n. 16, ll. 176ss., et n. 17. Nomen socii in prima *Leg.* nullibi revelatur. Apud Ulisb. et Wadd. semper *Hilarius*, idest nominis originalis forma. (3) Ms. *constituti.* (4) « de tempore in tempus » tantum habet *Leg.*

(5) Sic; et recte. Cf. modernis usitatum: « contrapposto ».

(6) Haec notitia explicite primum hic apparet. In *Leg.* n. 17, l. 183, « minister regule » dicitur; in *Vit.* verbum *frater* nomini semper apponitur, et hic, l. 180s., clarius eum auctor vocat « fratrem eiusdem professionis ».

temptum eum perduxit Christi fervor, quod quendam leprosum totum ulceratum fetidaque sanie delinitum undique amplexus et obsculatus est ylariter, atque multa cum diligentia lavit humiliter absque horrore putredines. Nullo (1) quidem tale arbitrabatur aptius ad Dei misericordiam posse pervenire, quam vera et profunda humilitate semetipsum exinaniscens omni modo (2). Et fratri Lario persepe dicebat: « Putas ne, frater, quod toto vite mee spatio apud magnum Deum valeam quicquam mereri? In hoc quippe potissime immensam pietatem Dei agnoscam, si me peccatorem vilissimum et miserum hominem ad sui gratiam benigne traxerit ».

18. Devotam quidem ac caritativam humilitatem sui Robertus (3) *in die Cene Domini* latissime pretendebat, dum a devotis clericis iuxta mores Ecclesie in cappella sua annuatim ordinabat fieri *Mandatum*, sollempniterque cantari. Ubi ipse cum fratre Lario ad instar Domini Iesu *12* acersitis *pauper*ibus lasceratis, ulcerosis, eorum aliquibus et immundis, *quale*s voluisset, omnes (4) *pedes* caritative *lavabat*, reverenter tergebat, *osculaba*tur humillime, tanta cum devotione, quo nil devotius videri aut fieri posset. Et hoc circumspectum a *plur*ibus qui aderant, quod cautius quantum poterat humanarum laudum spretor humilis, illos per ipsum *lavandos* molliebatur eligere, quos ulcerosos *magis* sordidioresque cernebat inter omnes, quousque profecto semetipsum abnegaverat humillimus Christi famulus.

19. Voluntariam paupertatem dilexit Robertus ab infantia, quam exemplo Francisci viscerosius sectabatur. Et licet [pro] manutenenda Republica non posset neque deberet quasque divitias abicere, spernebat attamen varias pro luto mundi opes, illisque ad solam necessitatem utebatur. Rapinas et pecuniarum extorsiones tiranicas perhorrebat. Sex (5) nanque cives secrete semel avocatos mansuete sic aloquitur: « Iudicate, fratres mei, diligenter et perspicaciter intuemini, si ex licito patrimonio vel aliter possum pro satis parva familia manutenenda (6) suppetentiam ha-

---

in tanto fervore et dispregio di se medesimo, che andò abracciare et baciare uno puzolente piagate (7), *delle cui piaghe usciva puza et sangue corroptto, et sanza alcuno horrore humilmente lo lavò et con molta diligentia.* |

18. *Ogni anno il Giovedì sancto nella sua cappella lavava solennemente, cantando li Cherici el Mandato, li piedi a dodici poveri de' più piagati et puzolenti che poteva trovare.*

19. | *Chiamò* (8) *anchora ad sè sei cittadini et mansuetamente parlò loro et dixe: « Fratelli charissimi, diligentemente ricerchate et considerate se del mio lecito patrimonio o vero per altro modo io posso con assai pocha*

---

(1) Ms. sic. (2) Ms. *merito.* (3) *Leg.* n. 20, ll. 225-31.
(4) Ms. sic. *Leg.* hic habet *eorum,* itaque *omnium* legendum esse censeo.
(5) Ulisb. l. c. cap. 53, p. 74: *quattro;* Wadd. om. (6) Ms. *ad tenenda.*

(7) Sic Cod.
(8) Totum num. 19 in originali post n. 23 insertum est. Transposui, ut ordinem textus latini adamussim Legenda italica sequatur.

bere necessariam; et ego gabellarum onera seu datiorum amovebo ». Hanc vero humanissimam intentionem paupertatis emulator morte preventus exequi non valuit.

20. Pauperibus utique Dei homo Robertus adeo adherebat, ut cum in eis Christi Iesu contemplaretur effigiem, ipsis utique nimia voluptate serviebat in Domino etc.... (1). *Quotidie* namque, iubente ipso, *tres pauperes* mendici sua *pasc*ebantur (2) in curia. Die autem veneris, preter illos, *tres* alios suarum manuum devoto ministerio *secret*ius *ipse* cibabat, demum eisdem pia caritate *pedes* abluebat, tergebat reverenter flexis poplitibus, et quantumcumque *ulcerosos osculabatur humil*lime. Cibaria (3) *delicata* devotissime manibus suis preparata, *pretiosa vina*, confectiones, *aromata* et cetera *necessaria* clam per discretos internuntios egenis trans*mittebat* egrotis.

21. *Quas*dam (4) ecclesias et pleraque *indulgent*iis privilegiata *loca* (5) *feria sexta visitare* cepit in usum, *paucis* admodum *cum familiaribus* eius. In eiusmodi accessu, *quedam* palam *intrabat hospitalia,* iubens famulis eum expectare forinsecus; et sumpto secum fratre Lario *pauperes visitabat,* languidos *compassi*vo illos contractans animo, *conforens et confortans,* et crebro quam clanculum magis poterat *lavabat, tergebat* et obsculabatur absque horrore sauciata *membra.*

22. *Quidam* (6) *Hyspanus, de* Roma *veniens Ariminum,* gravi percussus [est] egritudine: *patiebatur* enim *fluxum sanguinis* ingentem ex decoriatione vésiche. *Quod* famulus *Dei* Robertus auditu *comperi*ens, eum (7) pietatis intuitu *quadam in domo* eius palatio satis propinqua *fecit collocari,* quem *sepe*numero cum necessariorum administratione *visitabat.* Cumque

---

corte et strecto vivere havere la mia necessità, et io vi leverò tucte le gabelle et gravezze o datii ». Ma questo suo humanissimo intento, dalla morte prevenuto, non potè havere effecto.

20. | *Ogni dì nella sua corte almancho tre de' più mendici poveri voleva fussino cibati. Ma ogni venerdì, oltre alli predecti, a tre altri dava mangiare, alli quali devotissimamente con le sua mani ministrava, et dipoi genuflesso con reverentia lavava loro piedi et rasciugava et, quantunque fussino piagati, baciava. Li delicati cibi devotissimamente preparati* dalla sua donna (8), *con pretiosi vini, confectioni, specierie et altre cose necessarie, secretamente mandava alli infermi et poveri vergognosi.*

21. *El venerdì con pochi acompagniato visitava alcune chiese. Entra[to] poi in certi spedali col suo compagnio frate Lario, li altri servi aspectando di fora, visitava li poveri infermi con compassivo animo contractandoli et confortandoli, lavava, rasciugava et baciava le loro piaghe.*

22. *Et uno povero peregrino spagnolo,* | *mancandoli pannilini da*

---

(1) Sic in Ms. Inde *Leg.* n. 20, ll. 221-5. (2) Ms. *pascebat.*
(3) *Leg.* n. 26, ll. 301-4. (4) *Leg.* n. 26, ll. 298-301.
(5) Ms. *privilegia locata.* (6) *Leg.* n. 25. (7) Ms. *cum.*

(8) Ex *Leg.* n. 26, l. 301 s.: « Ordinabat quod ... per devotam uxorem suam fierent fercula delicata ».

egrum illum *car*ere<t>*panniculis* quibus fluenti *sanguin*e perfusa membra posset extergere semel eum *visita*ndo perciperet, humanissime caritatis compunctus stimulo, occultam *domus partem* expetiit, ubi se *camisi*a *line*a (qua asperum tegebat, quod *portabat super* nudo, *ciliti*um) *exu*it, eamque *in frust*<*r*>*a laceravit* in languidi illius obsequium, cuius perhorridum sanguinem propriis ex*terge*bat manibus lavabatque cruentata membra *dulcissime.*

23. Hiis valde stupendum adiiciam. Mulier (¹) *quedam Maria* nomine erat in *Arimin*o tota horrendis *ulcerata plagis,* quibus maximo cum fetore sanies iugiter emanabat. Ymmo presertim in renibus tam *profund*a erant *ulcera,* per que statim *sumpt*um *vinum stillabat,* similiter et *cib*us, quodque mirum, videba[n]tur *inte*stina. Quibus *hec* Maria adeo distituta erat corporis officio, quod neque progredi neque a se ipsa *moveri* poterat; et sic tante calamitatis *in lect*ulo *iace*bant misere eius membra dolorosa. Fiebat nichilominus stupendo modo gratiosa manus Domini super eam (²). Duobus *mir*is admodum eminenter claruit hec mulier, indicibili videlicet suarum acerbarum passionum forti *patientia,* et incredibili *perspicaci*tate *spirit*us. Nusquam etenim in suis cruciatibus torqueri visa vel audita est, verum semper ore pleno clementem Deum laudabat precabatque quatenus ei in laboribus et erumpnis virtutem daret, suique oris gratiosa labia in tam melliflua tamque doctrinalia Dei verba prorumpeba[n]t interdum et crebro, quod Paulus aut Sibilla cunctis audientibus videbatur. *Hanc* mirum in modum viscerius (³) *diligebat* in Domino pius *Dei* famulus Robertus, eamque frequenter *visitabat* occultius. Nam, uno secreto *sumpto sotio, noct*u pergebat *ad* illam, cum qua prolixius *spiritualia* per*tracta*bat, eiusque beatis *colloqu*iis nimia fruebatur voluptate. Nec quippe dedignabatur delicatus iuvenis illius paupercule horrenda membra *tangere* et extergere, eisque propriis *mederi* manibus; quin ymno, saniem fetidam que de ulceribus affluebat, estuans *caritate* spiritus, odorifera Domini existimabat aromata. Huic laboranti femine prebebat necessaria. Et quia soli Deo qui videt in abscondito (⁴) intendebat famulari, humanarum laudum non cupidus, clam *didicit unguenta componere, que suis* diligentius confecta *manibus* languentis Marie humanitate dulcissima ulceribus applicabat, fasciculisque ac *peti*is, quas ipsemet de domo pertulerat, egra membra obligabat; iugiter mansueto verbo *ipsam* exorando (⁵), quatenus flagella Domini fidenti

---

nectare et forbire el sangue che di certa infirmità li usciva, tiratosi da parte si cavò di dosso la propria camicia che sopra el ciliccio portava, et stracciatola co le proprie mani sovenne alla necessità del povero.

23. | *Ad alcuni altri, composti li unguenti come haveva imparato colle sue mani, le puzzolente piaghe medicava.* |

(¹) *Leg.* n. 24. Nomen mulieris apud Ulisb. et Wadd. est *Margarita.* Sed etiam *Leg.* habet *Maria.* (²) Cf. I Reg. 5, 9; Ezech. 1, 3.

(³) Sic, et infra l. 450. Sed supra, l. 211: *viscerosius.*

(⁴) Cf. Math. 6, 6. (⁵) Forsan *exhortando: Leg.* l. 282: *hortans.*

animo *patient*er tolleraret, quoniam in fornace laborum velut aurum probata denique aureola martirii perhenniter in celis coronaretur a Domino [1]. Denique, sic eam in pace dimictens, ad palatium cum socio occulte redibat incognitus. Alia quedam de humanissima caritate eius possent dici quamplurima, que nunc non decerno in medium adducere etc. .... [2].

24. Et ne rebellis carnis adversus spiritum iniusto bello [3] insurgeret etc.... ipsam multiplicis macerationis rigida maceratione [4] domabat [5]. *Ieiuni*is quidem et *vigili*is sensualitatis ignem extinguebat, grabato aut *disciplinis* et cilitio rebellaturum *corpus* obruebat. *Omn*ia namque *ieiunia* iuxta mandatum *Ecclesie et alia* integerrime celebrabat quam*plur*ima, et sibi ipsi frequenter et delicata subtrahebat, cibariaque secretius, quantum poterat, iubebat indigentibus erogari. Grosso [6] quoque cibo et parvo Dei famulus contentus erat. Assiculam [7] *lignea*m ponebat inter *lintea*men et *plum*am, *super qua* et plerumque super bancho dormiebat *indutus*, ne suis quovismodo blandiretur *membr*is; carnisque fugiens delitias, *cilicium* asperrimum contectum camisia gerebat super *nud*o, et nodosa *corda* teneram *carne*m perurgebat.

25. His quidem austeritatis iugibus flagellis afflicto corpusculo mirum in modum spiritui carnem subiecit: adeo [8] ut cum i*uvencul*am haberet coniugem essetque ipse iuvenis adolescens, qua in etate maxime libidinis bullire consueverunt incendia, tanta vir Dei carnis algebat mortificatione atque mentis sancto proposito, quod concubenti *uxori debitum* matrimonii subtrahebat. Et in foro conscientie ab eius spirituali patre et *confessor*e huius rei consilio redargutus respondit: « Agam, pater, quod iubes et suades, ne in mortale peccatum incidam. Mallem [9] nichilominus acribus tormentis affici, *quam ad carnalem copulam* per*venire* ». Ecce quam summopere famulus Dei Robertus ab omni suo ... [10] carnis petulantiam amoverat.

---

24. *Et acciò che la rebelle carne con iniusta battaglia non si levassi contro allo spirito, con rigida maceratione el suo corpo domava; con digiuni et vigilie spegnera el focho della sensualità; con duro lecto, discipline et ciliccio mortificava el corpo che si volera rebellare. Tucti li digiuni della sancta Chiesa et molti altri,* oltre alla regola [11], *integramente digiunava. Spesso si sutraeva li delicati cibi, et più secretamente che poteva comandava che fussino a' poveri distribuiti, contento per sè solo di pocho et grosso cibo. Infra la coltrice et lenzuola teneva una asse di legno, sopra la quale dormiva vestito. Sotto al ciliccio cigneva una nodosa corda; et così con queste continue austerità affligeva el suo tenero corpicello.*

25. (Deest).

---

(1) Cf. Sap. 3, 6. (2) Sic in Ms., itemque infra, l. 286. (3) Ms. *iniustum bellum*. (4) Ms. sic; *mortificatione*? Cf. tamen *Comp.* l. 170. (5) *Leg.* n. 11, ll. 99-102. (6) Ms. *Grossos;* infra *Assicule*. (7) *Leg.* n. 12. (8) *Leg.* n. 19. (9) Ms. *Malle*. (10) Sic in Ms. Quid sit supplendum non invenio.

(11) Idest Tertii Ordinis, quod novum est adiunctum in hoc *Comp.*

26. Fidelis devotio, quam vir Dei Robertus Christo prestabat, ⟨et⟩ sanctis rebusque sacris omnibus atque sacramentis tam copiosa ubertate sui precordia repleverat, ut circa ea dumtaxat (1) eius esset omnis meditatio, omnis locutio atque consolatio (2). *Cappela*m devotissimam in suo palatio construxerat, *reliquiis* atque devotionum libris *ornatis*simam, quam pro suarum delitiarum ortulo ac viridiario potissime sue mentalis consolationis habebat, nec quicquam sumebat refrigerii, preterquam in colloquiis devotis et exercitiis. Et tunc solatum (3) se putabat, cum devotos viros habebat comites. Cumque secularium turba pertractandis mundi negotiis se videbat circumseptum, tunc vere solus Deus sibi ipsi videbatur (4). Preterea, quantum poterat, declinabat a conventu plurimorum, et solitarius in devotissimo loco latitabat, ut oraret aut sancta meditaretur aut colloqueretur aut perpetraret; cuius anima plerumque divinarum immissionum ac spiritualium consolationum perfundebatur dulcedine, qui in divine contemplationis excessu raptus assorbebatur in Deum, quem immensa nostri Salvatoris clementia aliquotiens superinextimabilis divine (5) *dulcedin*is gustu reficiebat. Nam cum *in cappella sua* devote solus *ora*ret et ardentiori solito divini amoris flamma sursum ageretur, *apparuit ei Sera*ph ea in effigie in qua viro Dei *Francisc*o in Alverne latere montis apparuit, ad cuius intuitum tam superinestimabili suavitate liquefacta est anima eius, quod apertis brachiis in modum crucis ac mutata facie *muro cappelle adherens* corporis tergo, mente sublevata, *in extasim* raptus est. Cumque plurium horarum spatio vir Dei sic raptus extitisset, in usum sensuum denique redatus (6) multiplici emisso su*spir*io taliter fari cepit: « *O quanta et qualia vidi; o qualia* pre*sensi!* ». Quo

26. | *Quanto* (7) *poteva declinava la moltitudine et nascondevassi in qualche devoto et solitario loco, dove orava, meditava o parlava di cose divine; onde l' anima sua si riempieva di dolcezza et consolatione spirituale et per excesso di mente tucto si asorbeva in Dio.* | *Onde infra l' altre, essendo una volta in una sua devotissima capella, che nel suo palazzo se haveva constructo, et orando più che el solito di ardente fiamma del divino amore infiamato, li apparve uno Seraphino in quella effigie che apparve a sancto Francesco in sul monte della Verna; et quando lo risguardò, l' anima sua fu in tal modo di inextimabile suavità liquefacta, che, acostatosi colle spalle al muro della capella co le braccia aperte in modo di crocie et la faccia immutata et la mente in extasi levata, fu rapto.* Et entrata nella cappella una beata donna chiamata Bartholomea, molto suo familiare (8), *per spacio di più hore aspectò che el sancto giovane in sè retornasi. Et retornando con molti suspiri,* veduto la donna, *dixe:* « O di·

(1) Ms. *circa eumtaxat.* (2) *Leg.* n. 18, ll. 196s. (3) Ms. *solatium.*
(4) Intellige: « solus Deus ab ipso cernebatur ».
(5) *Leg.* n. 15, ll. 155-68. (6) Sic Ms.

(7) *Vit.* l. 318. (8) *suo:* sic Cod. Erecto charactere expressa derivavit Marianus ex *Leg.*, l. 159s., 164, addito tamen noviter nomine *Bartholomea.* Item ex *Leg.*, infra l. 193s.

dicto, repente *chori* cancellis [1] *ascendit*, ubi longo spatio vehementissime defiens atque *suspirans*, *humili* gestu *lacrimabili*que voce *se* pluries *indignum peccatorem appellabat*.

27. Maxima [2] etiam *cum devotione* reverebatur atque *sume*bat *Ecclesie sacramenta*. *Confite*batur [3] quidem creberrime tam devote tam humiliter, tamque trepide, tamque lachrimabiliter, ut cor eius dissolvi videbatur in lachrimas. Et quando Corpus Dominicum cernebat in altari consecratum, ex devotione totus erat absortus in ipsum, ex grandique fideli devotione *omni ebdomada* semel Eucaristiam *sume*bat, aut saltim bis in mense vel ter. Cum autem sumebat illud, tot tantisque lachrimis perfundebatur, ut divinorum fontium inrigua ex oculis eius scaturire viderentur.

28. *Divinum* [4] *Officium canonicum* persolvebat integerrime, quod totum utique religiosis viris *in cappella* sui palatii horis delectis cantari faciebat, psallebatque ipse cum aliis cum eo cordis iubilo, quod Angelorum choris interesse pretendebat. Rem pregrandem non silebo: tam fervido quidem affectu famulus Dei Robertus ad divinum flagrabat Offitium, quo se arbitrabatur familiarem Deo fieri, quod eius ab omni spurcitia pura labia numquam ab oratione cessaba[n]t. Non utique rei publice nec domestice cura, non quepiam secularis occupatio, non langor, a divino Offitio virum Dei subtrahebat. Et ut sola cutis herebat ossibus, ita quod illi nullo modo pro nutu exinanita membra prestarent vires [5], Offitium indesinenter voluit aut propria lingua dicere aut auribus *audi*re Horas quascumque canonicas.

---

lecta in Christo madre, *o quanto et che cose ho veduto et udito!* ». *Et entrato in choro ste' per longo spacio piangendo et sospirando, chiamandosi peccatore et di ogni bene indegnio.*

27. *Confessavasi spesso tanto devotamente, tanto humilmente et con tanto tremito et lachrime, che pareva che el quore se li volessi resolvere in lachrime. Quando nella Messa adorava el Sacramento, per la grande devotione pareva tucto absorto in quello, et per la gran devotione et fede quando dua volte el mese et quando tre et quando ogni septimana si comunicava con tante lachrime che pareva li ochi li doressino uscire della testa.*

28. *Faceva a persone religiose continuamente celebrare el divino Officio a' debiti tempi nella sua cappella, con li quali insieme integramente epso anchora cantando et legendo persolveva, con tanto giubilo di quore che pareva fussino presenti li angelici chori;* | *et nè per alcuna occupatione di secolari nè di casa nè della repubblica mai si subtraeva dal divino Officio. Et benchè havessi solo la pelle su l'ossa et da longa infirmità fussi detenuto, mai si sotrasse dal divino Officio, ma continuamente colla propria bocha sempre lo disse o volse colle proprie orecchi udire.*

---

(1) Sic Ms. *Leg.* l. 165s.: « ascendit quam melius potuit ad locum chori ».

(2) *Leg.* n. 30, ll. 312s. (3) *Leg.* n. 20, ll. 220s.

(4) *Leg.* n. 11, ll. 102-6; cf. n. 18, ll. 194-6; n. 28, ll. 329-31.

(5) Ms. *viribus*.

29. Hec tanta quippe devotio ex sincerissime fidei solida pietate Roberti proculdubio scaturiebat, ex quibus oriebatur maxima quidem in Domino fiduciarum magnitudo, multis argumentis aprobata [1]: quorum, ne legentium animos fastidiat sermonis prolixitas, duo solummodo producam in medium. Nam [2] semel quendam demoniacum fieri a Domino permissum est: qui nimis atrociter *obsessus est a* demone, *die noctuque vo*ciferabat ita ut vehementer cum [3] *vicino*rum sompnum impediret. Cuius miserandos *ululat*us ex *curiali domo vir Dei* Robertus *audi*tu percipiens, eius humanissimis ad pietatem in proximum co*moti*s visceribus, firmiter confidens in Domino, ad fratrem Larium *sotium* suum sic inquit: « *Frate*r carissime, operamur [4] in hoc *misero* boni Dei nostri clementiam, ipsum exorando suppliciter, quatenus *Domini Ies*u *passionis merit*o hunc demoniacum sua consueta misericordia *liberare dignetur* ». Cui acquiescente sotio, *mane sequenti* primo multa *cum devotione* ambo *confessi* sunt, demum *accensis lum*i*n*ibus *unam ex spinis corone Domini,* quam in tabernaculo pulcherrimo tenebat, pariter *acceperunt*, eam *ad quandam fenestram* iuxta *cappellam*, ex qua *demoniaci* miserande *voces audi*ebantur reverenter pertulerunt. Ubi *vir Dei* manu propria sumpto Domini *spine tabernaculo,* in modum *Crucis illam partem* in qua habitabat demoniacus trina vice *signavit.* Quo *facto,* immediate qui vociferabat *obticuit,* et a vexante demone *liberatus est.*

30. Huic aliud minime tacendum annectam. Dum semel, instigante humani generis inimico, magna [5] *in Arimino* suscitaretur seditio, et maiores civitatis contra dominum conspirassent, ingens tumultus ebulliebat in populo. Quod stupefactus advertens famulus Dei Robertus, cum omnibus prodesse, nulli nocere ei firmatum esset propositum, timore concusse coniugi atque ploranti leto vultu ait: « Noli timere aut flere, carissima: forte enim Dominus Iesus nos ad *martirii* palmam clementer vocare proposuit, ut corone glorie sue nos participes efficiat. Stemus itaque parati, ut, cum Dominus ipse venerit, in ulnas gratie sue nos benigne suscipiat ». Et protinus, patre accersito spirituali, devotissime confessus est. Mane autem erumpente crepusculo, ineffabiliter devote sumsit Eucharistiam. Demum expleta Missa, cum aliquando flexis poplitibus in scabello firmiter intuendo Crucem Domini prolixius orasset, e cappella descendit in cameram, ubi perterrita uxor ceterique sotii perfusis lacrimis furorem populi verebantur. Quos ut vidit, confidens in Domino ipse Robertus, humana pietate comotus, ait illis: « Expectate paulisper, donec ad vos egrediar ». Et in cappellam festinus retrocessit, et ante altare

29-30. (Desunt).

(1) Ms. add. *est.* (2) *Leg.* n. 18, ll. 198-213.

(3) Hic in Ms. aliquid deest, ut puta *ululatibus.*

(4) Sic; *experiamur?*

(5) Cf. *Leg.* n. 34, ll. 393-6. Ibi huic coniurationi alluditur tantum. Wadd. add. seditionis causam: « quia restituerat Sedi Apostolicae Burgum S. Sepulchri et aliquot castra a patre relicta ». De hac postea.

prostratus ad Dominum Deum in hec verba prorupit (1): « 'Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido non erubescam'. 'Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus'. 'Eripe me de inimicis meis, et ab insurgentibus in me libera me'. 'In [te], Domine, speravi, non confundar in eternum' ». Et cum hoc dixisset, parumper obticuit, et apertis oculis celum intuens, extitit quasi absortus in Deum. Rediens deinceps ad suos, quia mesti valde illum expectabant, alacri facie (2) consolatus est dicens: « 'Letamini in Domino et exultate', carissimi, quoniam 'Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus', 'protector factus est' nobis. 'Propterea non timebimus dum turbabitur terra'; quoniam 'si Deus pro nobis, qui[s] contra nos' erit? ». Quibus peractis, seditiosi hostes irruerunt in palatium: sed Dei vir inter eos inhermis se immiscuit intrepidus, exortans universos ad pacem, offerebat se cunctis, [nec] quempiam iudicabat esse hostem (3): medius fidius, in beatum nemo ausus est mictere manum. Denique multitudo supervenit faventis ei populi, per quod ad pristinum dominii festigium concorditer electus est.

31. Fortis animi felicis Dei Roberti patientiam exprimere, neque suppetunt labia neque calamus. Tanto enim ferventis animi medularum ardore pie agebatur in crucem Domini, ut Christi Iesu passionis memor, quidquid ei egritudinis aut molestie, quidquid adversi aut displicibilis ei accideret, imperturbato animo perferebat. Quid plus? Fervebat ad *martirium* omneque (4) tormenti genus amore Crucifixi Iesu proprio afectabat in corpore, ut, quantum ei possibile foret, passionis vicem Christo rependeret, et virtute magna adversus carnis mollitiem constans animus dimicaret. Duro quippe langore multiplici a Domino flagellatus extitit, et ipse velud aurum approbatum invincibilis animi patientia rutilabat. Laudabat etenim Dominum in flagellis, gratias agens de paterna temptatione qua volebat indigni servi virtutem experiri. Et dum medicus (5) *fistule*, quam famulus Dei *pa*tiebatur, vel alteri eius egritudini *mede*retur [et] cauterio aut ferro aut rosmo (6) pulvere aut quovis antidoto ei cruciatum inferebat, vir patiens vix paululum adtrahebat, seu tanquam in carne vivens aliquantisper corporis membra torquebat, semper a Domino fortitudinis robur expostulans.

---

31. | *Finalmente* (7) *fu di dura e grande infirmità di una fistola flagellato el beato Roberto, nella quale infirmità el suo invincibile animo referiva gratie a Dio della sua paterna vicitatione.* |

---

(1) Pss. 24, 1; 26, 9; 58, 1; 30, 1.

(2) Adde: *eos*. Dein Pss. 31, 11; 45, 2; Eccli 51, 2; Ps. 45, 3; Rom. 8, 31.

(3) Hic conferenda est allocutio quam Philippus Arimineus (saec. XV) hanc seditionem narrans in ore B. Roberti ponit. Eam in sequenti articulo dabimus. (4) Ms. *omnemque*. Cf. denuo *Leg.* n. 34.

(5) Cf. *Leg.* n. 27, ll. 318ss.

(6) Sic Ms.; anceps haereo an potius legendum esset *rosino* pro *rosore*.

(7) *Vit.*, l. 421; sed magis directe ex *Leg.*, l. 313ss.

32. Denique [1] cum vir *quidam servus Dei* per *quatuor menses ante* sui *obitum* ei revelasset, protinus ipse avidus disolvi et esse cum Christo [2], leto animo se ad mortem *preparav*it. *Et* ex tunc usque ad vite ultimum *omni die semel* aut *bis con*fesus est, et Corpus Domini bis vel ter in ebdomada sumebat. Divinum *Officium* ferventius solito atque sollicitius persolvebat: et cum superexcessivo obrutus langore *dicere* nequibat, saltem a ceteris volebat *aud*ire. Quanta [3] vero *cum devotione*

---

32. *Et finalmente,* non avendo anchora passato el vigesimo secondo anno della sua vita, *quatro mesi inanzi che morisi, li revelò la morte sua uno servo di Dio. Ma el beato Roberto desiderando essere libero della carne et congiugnersi con Christo, con alegro animo si preparò alla morte, ogni dì insino alla morte confessandosi una o dua volte, et la septtimana anchora dua o tre volte comunicandosi. Diceva el divino Officio più ferventemente et più sollicitamente che in prima non faceva. Et così preparandosi et allegramente aspectando la morte,* spesso al suo compagno frate Lario diceva: « O charissimo fratello, quanta gratia mi farebbe Dio se mi concedessi che io morissi infra l'octava del glorioso Padre sancto Francescho! » [4]. Et apropinquandosi el mese di settembre [5], cominciò a infermare più gravemente et quasi apropinquarsi al fine; nel quale tempo fece cose stupende et notabili. Imperò che immediate che cominciò a ragravare, con gioconda faccia exultando in spirito dixe alla moglie: « El fine determinatomi dal nostro Salvatore di questa tribulosa vita se apropinqua, nel quale lo spirito spogliato di queste membra inferme et deposto la corruptibile soma, integro habandonando le cose aliene et a se medesimo tucto abandonato, libero se n'andrà al suo clemente Factore; per la presente infirmità persolverò el debito della carne morendo nel Signore. Pregoti, charissima, che tu ti ralegri; imperò che per questa gratissima morte per la speranza della eterna quiete che mi dà la clementia del Salvatore, securo escho delle temptationi di questo seculo ». Dapoi [6] ordinò et comandò che el suo corpo in vile sepulchro sanza marmorea lapide ne lo infrascripto modo fussi sepolto, cioè che el corpo in prima fussi vestito di una vile et aspra tunicha, cinto con la corda et scalzo come povero in una fossa di terra nel mezo del cimiterio de' frati Minori, et che nelle sue obsequie non si facessi alcuna pompa funerale se non proprio come di uno corpo di uno povero mendicho: et questo con istrecto comandamento ordinò. Ordinò [7] poi che continuamente in sua presentia si celebrassi el divino Officio, sforzandosi quanto poteva di dirlo con li cherici insieme; *ma crescendo la infirmità et non potendo più dire,*

(1) *Leg.* n. 28. (2) Cf. Philip. 1, 23. (3) *Leg.* n. 30.

(4) Ex *Leg.* n. 29, ll. 332-5.
(5) *Leg.* l. 327 s.: « Exeunte mense septembris ». Quae sequuntur a l. 230 usque ad l. 239 nova sunt, sed lineis 225-7 innituntur *Leg.*
(6) *Leg.* n. 35, ll. 401-6; cf. *Vit.* n. 33, ll. 451-4.
(7) *Leg.* n. 28, ll. 329-31; *Vit.* ll. 433-5.

quantaque cum reverentia hac ultima in egritudine *Ecclesie sacramenta sumpserit,* quotve singultus et lachrimas in Domini Crucem emiserit [1], quot notanda verba tenaciter imprimenda cordibus eterno memoratu dignissima protulerit, silendum sanctius fore censui, quam [2] indicibile dicere, ne obruatur animus, dum tante rei magnitudinem verbis explicare non possem. Maximas quidem ei *tentation*um, ut in ortodoxa fide vagilaret [3], intulit diabolus molestias, ex quo ipse simbolum *Athanasii* iugiter voce sublimi recitari precepit. Tandem [4] Christi Iesu patrocinio adversus hostem obtenta *victoria,* paulisper quievit in spiritu. Deinde, cunctis cernentibus qui aderant, iocundu vultu mentem errexit in excelsa, et divinorum contemplationis excessu in extasim latus est. Et elapsa morula: « *Ecce,* inquit, *video celos apertos* » [5]. Et protinus alacri *visu,* previe [6] in celum fixis oculis, sanctum Deo reddidit spiritum [7], die et anno superius expresso, *infra octavam* celebrationis Seraphici Francisci, quemadmodum viscerius a Domino postulaverat.

33. Demum [8] yspida ac *vili* indutum *tunic*ula *discalciatum*que velud *pauper*culi hominis *funus* absque nullas in exequiis funerales pompas [9] *in medio cimiterii* fratrum *Minorum* defossa in sola *terra*, *sepultus est* [10], *sicut* dum viveret stricto mandato se *iux*erat *sepelliri.* Quem munificus Deus signis innumeris et prodigiis post mortem, ipsum fidelissimum servum fuisse ostendens, decoravit, que per plurium [11] tabellionum ac

attentamente stava ascoltarlo. Ultimo, con tante lachrime et singhiozzi et con tante parole da imprimersele nel quore prese la sancta Crocie, che con brevità non si può esprimerlo. Decteli el diavolo grande molestia della fede, ma con animo constante virilmente resistè al nimico et comandò che continuamente nello extremo li fussi recitato el Simbolo di sancto Athanasio. Finalmente, tucti li divini misterii in lui adempiuti, *con iocundo volto risguardò el cielo dicendo: « Io vego el cielo aperto ». Et con ri<n>so iocundo rendè a Dio el sancto spirito* a dì dieci di ottobre, *infra l'octava di sancto Franceschо, come desiderava,* l'anno de Signore mille quattrocento trenta dua.

33. *Et in quel modo et in quello loco, come vivendo havera comandato, fu sepulto. Dove l'eterno Dio di segni innumeri et miracoli lo clarificò,* rendendo la sanità [12] a diversi infermi in articulo della morte constituti, liberando zoppi, ratracti, imprigionati, subveniendo alli naufraganti in mare, sanando li feriti et piagati, illuminando li ceci [13]. Et appa-

(1) Cf. *Leg.* n. 32. (2) Ms. *quod.* (3) Sic, pro *vacillaret.*
(4) *Leg.* n. 33. (5) Cf. Act. 7, 56. (6) Ms. *previo.*
(7) « In vico S. Archangeli » addit Wadd.
(8) *Leg.* n. 35. — Exinde Ms. scriptionis erroribus scatet.
(9) *absque-pompas* sic Ms.; sic item infra *sepultus* etc.
(10) Wadd. addit: « quam postea consanguinei crate ferrea contexerunt, et deinde lapide marmoreo ». (11) Ms. *barium.*

(12) Seriem explicitam miraculorum habes post *Leg.* in AFH VIII, pp. 550-7.
(13) Quae sequuntur sunt penitus nova.

religiosorum virorum manu scripta sunt, atque plurimis fide dignis confirmata [1].

34. Successit in dominio viro sanctissimo Roberto eius germanus Gismundus, illustris et per Italiam vir armis famosus. Qui licet Ordinis esset plurimum devotus, tamen cum de sua suspicaret[ur] uxore fratrem * * * de * * [2], qui eam in confessione audiebat, ut sibi uxoris confessionem revelaret obstrinxit. Qui cum [3] nil scire de quo ille interrogabat constanter assereret, ipse evaginato ense vibrabat eum [4] super caput Fratris, ipsum cominatoriis verbis de interfectione minans, si sigilum confessionis sue uxoris sibi non aperiret. Constans et imobilis omnino permanebat confessor, magisque morti elegit subire corporali quam reserare confessionem, licet generalis esset oppinio [quod] uxor sua innocens esse[t] et absque culpa. Denique vero cum ille nil percipere posset de quo querebat, in furore nimio conversus [5] tantaque vexania deducitur, ut ipsemet in Fratrem irruit, ac gladio interemit. Qui non dubie cum gloriosa palma martiris coronatus ad celos non volasse [6].

---

rendo alla sua moglie, la quale dal suo padre era per parole de futuro a uno altro [7] desponsata, li disse: « Sappi, Margarita, che io sono el tuo sposo, et non voglio che habbi altro marito ». Et disparve. Onde, consentendo, in viduità devotamente visse. *Ad laude di Dio. Amen.*

Arimini.

P. GREGORIUS GIOVANARDI, O. F. M.

---

(1) Quod sequitur quamquam ad vitam B. Galeoti Roberti non pertinet, itidem tamen transscripsi, tum ut integrum extractum e *Chronicis* Mariani vulgarem, tum ut narrationem, profanis historicis pene ignotam, hac Mariani fere coaeva relatione confirmatam latius communicem. De veritate facti, hanc quoque relationem primo prodens, disserui in commentario *Studi francescani*, III-VI, 1916-1920: *Ancora sul Martire del sigillo sacramentale a Rimini e sulla Cronaca del P. Alessandro Righetti*, p. 2-31; cf. 7s.

(2) In Ms. nomen deest et spatium vacuum est relictum. Ignorabatur ergo iam tempore fratris Mariani. Scriptores posteriores Anonymum vocant. Inter vero recentiores de nomine disputatum est: alii *Ioannem Antonium Regazzi*, alii *Ioannem Franciscum Regazzi*, alii denique *Sebastianum Lombardi* eum dixerunt; sed adhuc sub iudice lis est. Cf. *Studi Francescani*, I, 353ss.

(3) Ms. *dum*. (4) Ms. *eam*.

(5) Ms. *confersus*. Exinde Ms. adamussim prosequitur ut hic editur.

(6) Haec quoque in principio adnotavit Ios. Garampi: « Ex libro V, cap. 13, p. 64 *Historiarum Seraphici Ordinis*, quae ab illius initio usque ad a. 1484 a Mariano Florentino circa principium XVI saeculi exaratae fuerunt, quarum exemplar MSS. servatur in Archivio PP. S. Isidori de Urbe Minor. Observ. Sequentia exscripsi ego Iosephus, Garampius Ariminen. in mense augusti a. 1747 ».

---

(7) Cod. add. supra lin. *era*.

DE VITA ET SCRIPTIS FR. ALEXANDRI DE RICIIS

(Continuatio) (1).

Extracta alia ex ipsius Chronica Ordinis.

10. — Circa Regulam III Ordinis.

Incipit regula et vita fratrum et sororum de penitentia inceptum a beato patre nostro sancto Francisco... anno Dom. M°.CC.XXI°.

Est eadem Regula Tertii Ordinis quam primus edidit P. Sabatier ex codice XX Conventus Capistrani, cum quo ipse textus adamussim convenit, quia inde derivavit. Cf. Benv. Bughetti, ap. AFH XIV, 109ss., 114ss.; An. Chiappini, ibid. XXVIII, 346ss. Regula exarata est charactere gothico claro ab altero antiquiore amanuensi (f. 19r-20v). De Riciis hanc Regulae praemittit notitiam:

(Fol. 18v.) « *Circa annum vero 1221 facte sunt quaedam constitutiones vel forte declarationes super regulam fratrum et sororum de penitentia, scilicet de 3° Ordine b. Francisci. Ad quem Ordinem data fuit regula per b. Fr. in anno 1215, ut in dicto anno positum est. Hic tamen quia sic reperi in quibusdam codicibus conscriptis seu cartis quasi denigratis propter vetustatem ipsius scripture, et quia in illis ponitur annus in quo scripta illa fuerunt vel similia, ideo hic predictas cartas alligari, nihil addendo vel minuendo, sed prout inveni, sic aliis illas antepono. Tenor autem et sententia non totaliter cum predicta regula tertii Ordinis de verbo ad verbum sequitur, sed immo in nonnullis diversitas ponitur quo ad verba propria ipsius regule* (2). *Unde sic ibidem habetur, prout sequitur immediate. Item in* Cronicis Ordinis *dicitur: anno Dom. 1221 b. Franciscus instituit 3m Ordinem qui dicitur penitentium, propter illos qui matrimonio iuncti facere penitentiam flagitabant; quorum primus fuit sanctus Lucidus, qui honorifice requiescit in loco fratrum minorum castri Pogibonzi in provincia Tuscie etc. In hoc anno b. Fr. instituit 3m Ordinem prout dicitur in* Cronicis *f. 7 columna 2a b... Item supra fol. 14* [*ad an.*] *1215* ».

In loco ultimo citato De Riciis sic dixerat: « *In an. D. 1215 b. pater Fr. incepit tertium Ordinem, scilicet qui dicitur de penitentia, prout habetur in* Conformitatibus, *lib. 1° fructu 8 par. 2a in fine, ubi sic dicitur: Tertius b. Fr. Ordo dicitur fratrum de penitentia institutus et ordinatus* ».

---

(1) Cf. AFH XX, 314-355, 563-574. Quaedam Excerpta eiusdem *Chronicae*, de qua cf. l. c. 320-1, iam edita sunt ibid. 330-35.

(2) Scilicet Regulae a Nicolao IV Tertiariis datae, 18 aug. 1289; BF IV, 94-7.

Revera Pisanus l. c. ap. in AF IV, 360, non dicit III Ordinem coepisse anno nono a conversione S. Francisci sed anno 14°, id est 1221, sicuti legitur reapse in praefata prima Regula III Ordinis et in *Chronicis Ordinis* ab ipso Fr. Alexandro citatis, nempe in *Chronica XXIV Generalium*, ap. AF III, 27.

Fol. 44b allegantur Constitutions III Ordinis Capituli Bononiensis an. 1289, iam editae a nobis ex hoc codice *S 73* in AFH XVIII, 346-50.

11. — **Litterae Fr. Guillielmi de Casali** (1).

Copia littere Vicarii Ministri Glis Fr. Guillielmi de Casali, qui postea factus fuit Generalis, contra Fr. Stephanum de Narni 1430 (f. 230r).

Universis Reverendis et Venerabilibus in Christo Patribus Ministris, Custodibus, Guardianis, Vicariis ceterisque offitialibus ac carissimis fratribus quibuscumque Ord. Min., Fr. Guillielmus de Casali, sacre theologie magister, predicti Ordinis in Romana Curia procurator nec non et Vicarius Rmi Generalis in tota Italia constitutus, salutem et pacem in Domino sempiternam et animum ad grata paratum. Quia dignum est ut quos Dei timor a malo non revocat (2), *temporalis saltem coherceat severitas discipline, ut pena unius ceteris transeat in exemplum, et unius correctione plurimi emendentur: hinc est quod cum fide digno perceperim testimonio, Fr. Stefanum de Foce, Custodie Narniensis, Provincie S. Francisci, facere* (3), *fecisse et graviter deliquisse cum magna contumelia et dedecore Ordinis, vestras reverentias commoneo, requiro, exhortor et ad meritum obedientie salutaris in virtute Spiritus Sancti vobis universis et singulis prefatis per quaslibet Italie partes constitutis, tam prelatis quam subditis et vestrum cuilibet districtius mandando precipio et iniungo, qua supra auctoritate, quatenus predictum Fr. Stefanum, visis presentibus, capere et capi facere debeatis, ubicumque fuerit vel contigerit reperiri, et ad meam presentiam per presentium latores et per plures alios, si opus fuerit, sub fida custodia destinetis; apud quem, si senserit se gravatum, recipiet iustitie complementum. Riquirimus nihilominus et rogamus omnes alios prelatos et offitiales tam ecclesiasticos quam seculares ceterosque subditos quoscumque, pro parte SS. Domini Nostri Pape vigore apostolicarum litterarum quas penes me retinemus, [ut] tam vobis quam presentium latoribus, cum fuerint requisiti, prebeant consilium, auxilium pariter et favorem. Presentes autem litteras totiens quotiens restitui volo, presentanda [est] suprascripta copia pro libito cuiuscumque. Requisitionem autem predicti Fr. Stefani et delationem presentium litterarum Fr. Iuliano*

(1) Originale adest in Reliquiario S. Ioannis, Capistrani, signatum *1 I 1*. Cf. A. Chiappini, *Reliquie letterarie capestranesi*, Aquila 1927, p. 178, n. 74; ubi et alia originalia eiusdem Fr. Guillelmi sunt recensita. — De ipso Fr. Guillelmo v. AFH III, 712; IV 122; et AF II, 389ss.

(2) Cf. Prov. 8, 13.

(3) Nihil aliud scimus de hoc Fr. Stephano.

de Aquila, Vicario quondam devotorum locorum Provincie Pennensis (1), *et Fr. Philippo de S. Severino, Provincie Marchie, guardiano loci S. Iuliani de Aquila* (2), *ut vel per seipsos exequantur predicta vel per alios ydoneos predictus Vicarius faciat exequi diligenter ad meritum obedientie salutaris, presentium tenore, auctoritate qua supra, precipio et mando.*

Datum Rome in nostro conventu Araceli, sub an. Dom. 1430 die 22 mensis martii.

12. — Epistola Fr. Iohannis de Capistrano ad Fr. Iulianum.

Copia littere Fr. Iohannis de Capistrano scripte Fr. Iuliano Nutii della Fonte, 1437, qui fuit Vicarius Provincie in an. D. 1430 (f. 235 v).

Reverendo in Christo P. Fr. Iuliano de Aquila Ord. Min. suo precolendissimo. Rev.de in Christo Pater, gratiam, salutem et pacem D. N. Ihesu Christi (3). *Sapete quanto lo amore della propria natione allega le nostre menti allo honore et comodo della patria per natura, tanto maiormente l' amore de Dio deve nui astringere allo honore della vita spirituale et profecto della santa religione. Per la quale cosa pensate vui medesimo quanto despiacere della mea mente debia avere sentito scandalo, differentia et malo exemplo seminato et pululato in la vostra magnifica cità, della dissentione et gara presa tra vui et lo vicario et li altri vostri compagni et frati a lui commessi. Tristis est anima mea usque ad mortem* (4). *Per altri tempi, quando non recusaste mei consilli, le vostre passiuni non se delatavano sì ample. Multo me dole che sì poco apprezate vostra fama appo lo honore de Dio. Crudele se chiama chi la soa fama spreza, et chi sè despreza da altri è vilipeso. Io non dubito che tale te ride che de te se ride. Dolente ne so' et molto afflicto che tale conflicto bisogne pilliare. Amara cosa è la bactallia che l' onguia* (5) *de la mane tallia: pur tamen quando lo membro putrefacto corrompe tucto lo corpo, talliase per morto et vilipeso. Oymè quanto so' offeso, pensando ch' el nostro Patre maledice chi male exemplo dà* (6)! *O infelice chi non teme Dio et lo honore non stima! Chi in alto erge la cima, più fiate urta la fronte. Et chi se pune in pestilente sede, ruinosa tempesta sè medesimo lede. Non se convene ad frati menuri volere essere ad soa posta maiuri. Quanta acqua tene el mare, non la porria lavare la fama denigrata de macula notata. Et* [*se*]

---

(1) De ipso adhuc infra n. 13-15 et in Catalogo Vicariorum Provinciae Aprutinae.

(2) Origo huius conventus apud Wadding ad an. 1426, X² 560, et bulla n. XCIV penes eiusdem Regestum.

(3) Vulgari hac epistola Fr. Iulianus, filius Iacobi Nutii de Fonte a Collebrinconio, admonetur, ut se demittat a tyrannico Fratrum gubernio, quo fungebatur contra voluntatem maioris partis Fratrum, cuius vice iam novum Vicarium provincialem elegerant, et probabiliter Fr. Leonem ab Aquila. Cf. B. Bernardini Aquilani *Chronica*, p. 24s.. ubi dicitur « *Vicarius provinciae* ». Vide etiam infra n. 13.

(4) Matth. 26, 38.

(5) Idest *l' unghia*.

(6) Cf. II Cel. n. 156.

omne offitiale, fornito [1] *lo suo offitio deventare volesse tiranno, ben serria terribile inganno ad tucti religiusi. Serria mellio essere inclusi in arto monasterio ad perpetua penitentia che sequire tale sententia luciferina et matta. Chi de pece se imbracta, de visco se sbaratta, con solfo non si sbratta de legero. Bene è matto pensero credere sè lui solo vedere, et altri non vegia. Chi ioca alla coregia tale fiata scopre quello che multo copre, per soa sottile industria. Se avete orechie, udite che vollio dire: Ch' io vorria morire più tosto che tacere quello che Dio comanda s' el proximo se inganna. Monstrali lo errore, corregendose in fervore, lui se salva etc.* [2]. *Io vi prego per lo amore de Dio che vogliate che basteno le altre guerre et discordie dello nostro Regno; et pregate Dio benigno che provega ad tanti mali; che non se abia ad vintillare per corte li desdigni delli frati, et sian de nui scandalizati papa et cardinali etc. Abiateme compassione, chè con gran dolore parlo.*

Ex Bononia die 12 aprilis manu propria festinanter 1437.

Fr. Iohannes de Capistrano, Ord. Min. minimus et indignus.

13. — **Iohannis a Capistrano epistola contra Fr. Iulianum** [3].

Alia copia Fr. Iohannis de Capistrano contra Fr. Iulianum domino Antonutio Camponisco (f. 235 v-6 r).

Magnifice et excellens domine, humillima et votiva in Christo Ihesu recommendatione premissa. Però che alli principi seculari se convene exercitarese in nella vita puliticha et alli religiusi in nella contemplativa, et como spesse fiate el tortuoso serpente, inimico della humana natura [et] concordia, semina discordia et pernitiose guerre tra principi mundani per turbare loro pace et tranquillitate, così non cessa multo più ardentemente de sevire et furiare contra persone contemplative, parendoli da loro essere più impugnato. Unde como è condecente cosa che li religiosi, vedendose potere proficere, interpunano loro cure ad concordare la discordia, così etiam laudabilmente li principi seculari se interpunano volendo obviare alle astutie del maligno et sedare et tollere via le discordie de' religiosi. Et inpertanto, avendo saputo non senza grande dolore et displicentia, essere exorta certa differentia tra Fra Iuliano et soi compagni, [i quali] non se degnano obedire allu Vicario, como allo prefato Fra Iuliano è statu gratu scia obedito a llui mintri è stato Vicario. Et desprezando loro de obedire al Vicariu saltem non desprezeno obedire allo Generale; conciò sia cosa che la proterva dessobedientia molto desplace a Dio et ad omne rationale creatura etc. Si quid sum et possum etc. Valete cum triumpho ad gaudia sempiterna.

Ex Ferraria die 14 mensis iunii 1437 inde festinanter.

Fr. Iohannes de Capistrano, Ord. Min. minimus et indignus.

[1] Alias *finito*. [2] Ez. 3, 17 ss.

[3] Antonutius Camponeschi, comes Montorii, qui tunc civitatis Aquilae gubernium habebat, Fr. Iuliano rebelli favebat.

Nota [1] *quod scribens ego supradictas litteras et sequentes, de Fr. Iuliano interrogavi ven. P. Fr. Vincentium Aquilanum* [2], *qui in Ordine et familia vixerat per 50 annos, que fuerat causa et cui hec ultima precedens littera dirigebatur, quia in ipsa littera unde ipsam extraxi, erat etiam ista copia, in qua non erat nomen cui dirigebatur. Qui hodie, scilicet in anno Domini MCCCCLXXXXIIII die 10 maii, respondit mihi dicens, quod iste Fr. Iulianus volebat esse Vicarius contra voluntatem fratrum istius Provincie; et quia domini Camponischi erant fautores illius, volebant etiam ipsi et precipue dom. Antonutius, cui dicta littera missa fuerat, prout ipse Iulianus optabat. Quem tandem, ut dixit mihi ipse Fr. Vincentius, S. Bernardinus tempore sui vicariatus de Provincia expulit* [3], *et finaliter, dimisso habitu, mortuus est et male. Ideo timeant qui volunt insurgere et prefici propria voluntate.*

Et sic puto ipsum patrem Fr. Iohannem tunc scripsisse pauperculis fratribus qui erant in Provincia tenentibus cum Vicario (quia etiam puto in isto anno 1437 sedisse in tali officio venerandum patrem Fr. Leonem de Aquila) sequentes litteras, in quibus nec ponuntur nomina fratrum, quia copia etiam ista, unde extraho istam copiam, copia est. Videlicet:

14. — **Fr. Iohannis epistola exhortatoria.**

Copia littere Fr. Iohannis [de Capistrano] fratribus de Provincia (f. 236).

Rev.di in Christo Patres ac mei precordialissimi Fratres et filii dilectissimi, gratiam, salutem et pacem in Domino sempiternam. Multa cordis amaritudine mentisque displicentia ruminavi litteras quas misistis: sed quia « virtus in infirmitate perficitur » [4], *tunc constantes homines viriliter inardescunt ad ardua, cum contra se noscunt vires hostium premuniri, ut tanto felicius de victoria glorientur quanto fortiora certamina superasse conspiciunt trihunfantes. Eya ergo, Christi milites, animo convalete, virtutibus armemini et patientia vincite sevitiam impugnantium, quoniam « patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes »* [5], *adversa et prospera equanimiter tollerantes, « quia non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis »* [6]. *Nec tepescat vestra devotio aut caritas refrigescat, licet habundet iniquitas in perversis* [7], *quia brevis est transitus et debilis potentia hostis, licet surgescat venenum effundens malitie reserate. Sed sicut ex utre tenui cuspite punto facillime ventus exalat, ita facilis est victoria divine pietatis oculo intuenti contra quascumque tumidas elatio-*

---

(1) Nota addita a Fr. Alexandro de Riciis.

(2) Idest B. Vincentium ab Aquila, de quo iam supra, AFH XX, 316.

(3) Hac de causa S. Bernardinum Aquilam petiisse et exinde ibidem coram Renato rege praedicasse referunt etiam B. Bernardinus Aquilanus l. c. 19, 24, et Wadding, an. 1438, n. 7.

(4) II Cor. 12, 9.

(5) Iacob. 1, 4. (6) Rom. 8, 18. (7) Cf. Matth. 24, 12.

nes, et « molas leonum confringet Dominus » (1), *cuius virtute protecti, omnes qui invocant nomen eius, super aspides et basiliscos ambulantes, leones conculcant et dracones* (2). *In hiis autem que ingenium exposcunt humanum, suo loco et tempore, divino favente presidio, cum quibuscumque prodesse valentibus et, ut spero, volentibus, diligentius enodabo, vobisque pandam, cum Domino placuerit elargiri* (3). *Valete interim et orate pro me.*

Ex Ferraria 1437, die 23 mensis iunii.

15. — Epistola Fr. Iohannis ad S. Bernardinum.

Item alia copia littere Fr. Iohannis de Capistrano, [ut] puto directe Fratri Bernardino de Senis, tunc sicut nunc Sancto (f. 236 v-7 r).

Rme in Christo Pater et domine ac mi preceptor singularissime, humillima et devota recomendatione premissa. Concussa sunt et commota viscera mea (4), *artus, rene, medulle et omnis sensus intrinsecus et extrinsecus agitati, dum conspicio V. R. P. erga me tam pusillum vermiculum et inutilem creaturam humanitate* [*et*] *tam clementi benignitate versari, ut quod unico imperiali verbo V. R. P. valuerat expedire, ad me usque decerneres fratres hos mittere consulendum. Pater mi Reverende, hoc non nisi ex superhabundantia vestra gratia et caritate processit; ex quo tanto me magis confusione perfusum, tui amoris vinculis strictioribusque cathenis noveram obligatum, dum aderit vita comes* (5). *Respondens tamen ad propositum iuxta mei pusillanimitatem ingenii, auditis hinc inde fratribus ad me missis, considero necessario providere concordie fratrum, hedificationique civium exemplari. Pro fratrum concordia nihil dubito cautius fore Fr. Iulianum ammotum de Provincia retinere, vicario in officio confirmato. Pro secularium tamen exemplo salutari considero Fr. Iulianum pro premissis causis necessario remictendum, atque rem scandali partis utriusque, si alter sine reliquo revertatur. Quamobrem tutius cogitarem hinc inde preterita succidenda, recognita culpa per utrosque coram V. R. P. necnon et coram aliis quibuscumque, quam commode fieri potest, caritatis et discretionis ordine semper servato salvo, reconciliationem inter ipsos de « corde puro, conscientia bona et fide non ficta »* (6), *propensius obtineri; ut qui pro preterito ex inobedientia Fr. Iuliani fuerunt scandalizati, ex humili culpe recognitione bono virtutis odore viviscant; vel e converso, si qui fuerint ex aliorum verbo commoti, rehedificentur opere virtuoso. Quod si hec acceptare noluerint, neuter meo consilio remictatur. Vestra autem Rev. Paternitas, quam tam arduis intellectus ingeniique facultatibus et capacitatibus Altissimus insignivit, de hiis et aliis, Salvatoris gratia superinfusa celitus, sanctius terminabit, et*

---

(1) Ps. 57, 7. (2) Cf. Ps. 90, 13.

(3) Sensus est: Capistranum contra Fr. Iulianum de Fonte agere etiam auxilio et favore saecularium, ut ab officio vicariatus deponeretur; quod cum factum fuerit ipsis Fratribus nuntiabit. Cf. Epist. n. 13.

(4) Cf. Gen. 43, 30. (5) Cf. Gen. 18, 10. (6) I Tim. 1, 5.

mee presumptioni parcere dignetur (1). *Valete semper in Domino et me talem infirmum ac debilem, ut fratres referent, excusatum ac recommissum suscipite gratiose.*

Ex Verona 1437 (2) *die 22 mensis decembris.*

V. R. P. inutilis servulus Fr. Iohannes de Capistrano.

16. — Epistola S. Bernardini.

Copia littere S. Bernardini responsiva, scripta P. Fr. Iohanni de Capistrano 1441; tunc [erat] Vicarius Generalis (f. 240v-1r).

Rev.do in Christo P. Fr. Iohanni de Capistrano Ord. Min., eximio seminatori verbi divini in conventu Mediolanensi, optimo fratri suo. Rev.de Pater, optime frater mi, salutem et pacem in Domino sempiternam. Iam decreveram mittere ad vos duos fratres per quos insinuarem vobis que gesta sunt et que gerenda incumbant pro utilitate familie nostre, conferremque aliqua potissime necessaria, eramque positus in magno mentis agone, cum patiar penuriam ydoneorum ad negotia huiusmodi. Et ecce consolator suorum pauperum Deus (3), *vos inspiravit ut me de tali agone poneretis in pace. Ex adventu namque fratrum novissime missorum ad me per Fr. Baptistam* (4), *et ex litteris vestris, ego fratresque zelantes, quibus innotuerunt, adeo consolati sumus, quod vix sufficeret lingua exprimere grates. Igitur, optime frater mi, grates quantas valeo refero de licteris prelibatis. Credo enim indubie, impellente Spiritu Sancto, vos hec dictasse et fecisse conscribi* (5). *Fuerunt nempe soles ad accendendum carbones parum ignitos et excitandos in flammis* (6), *fuerunt substentaculum debilium et calamus currentium. Scribatis igitur etiam aliquid Sanctitati D. N. (s. Pape Eugenii), precipue regratiando sibi de tam salubri provisione atque necessaria, ne paupercula hec sua familia laberetur et impelleretur in ruinam: supplicando ut dignetur potius ampliare quam minuere* (7), *ac etiam Rmis D. D. Cardinalibus S. Crucis et S. Angeli, dominoque Episcopo Ariminensi* (8), *ut apud Sanctitatem prefatam*

---

(1) Conclusio missionis S. Bernardini Aquilae de qua hic agitur, mihi fuisse videtur expulsio Fr. Iuliani et absolutio ab officio vicariatus Provinciae sui competitoris Fr. Leonis ab Aquila, quibus suffectum esse praesumo Fr. Ioannem de Perusio, qui revera hoc fungitur officio an. 1438. Cf. Wadding. an. 1438, n. 28. (2) Manus recentior male correxit *1438*.

(3) Cf. II Cor. 7, 6.

(4) Id est Fr. Baptistam de Bononia vicarium provinciae Mediolanensis, ad quem ipse S. Bernardinus dedit epistolam 13 febr. 1441, editam apud Wadding, an. 1442, n. 19.

(5) Cf. II Petr. 1, 21. (6) Cf. Eccli. 8, 13; Ps. 118, 140.

(7) Agitur hic de bulla *Multis saepe numero* diei 10 nov. 1440 Eugenii IV S. Bernardino Senensi in favorem Observantiae data, quam redegerat S. Ioannes a Capistrano. Cf. epistolam cit. in nota praecedenti et textum bullae apud Wadding, an. 1440, n. 18.

(8) Scil. Dominico Capranica, Iuliano Cesarini et Christophoro a S. Marcello.

sint intercessores nostri, ut hanc optimam provisionem retineant firmam, suadendo ne timeant contradictiones: et presertim si forsitan aliquis de nostris (in habitu solum) insurgeret vel contradiceret, cum nullus bonus zelator profexionis nostre contradiceret tanto bono. Neque formident oriri exinde scandala sed potius amoveri etc., prout vobis Sanctus Spiritus insinuabit. Et quia scio, si vultis, vos scire et posse, decrevi communicare vobiscum labores et merita. Voloque sis nostri campi ductor. Et ideo volo habere presentiam corporalem vestri aliquorumque notabilium fratrum zelatorum nostre profexionis. Ex quo requiro vos et exortor in Domino Ihesu Christo; et nihilominus, ut habeatis debitum et optatum meritum sancte obedientie, precipio vobis ut indilate, post festum Pasce Resurrectionis Domini proxime future (1), *veniatis ad me et ducatis vobiscum aliquos fratres, sicut vobis videbitur, actos et necessarios de quocumqae loco. Et ut melius possitis providere et operari, micto vobis pro nunc commissionem, presentibus alligatam, quam postea intendo facere ampliorem.*

Ceterum Fr. Baptista, vicarius Provincie Mediolani, cum maxima instantia per plures litteras et novissime per importunas ambassiatas fratrum missorum, petiit absolvi ab offitio, et in una littera comminatur facere scandalum, si non absolvitur. Videtur mihi quod deberet habere patientiam et sustinere, maxime in tempore mihi ymmo familie necessario. Et sum male contentus de ista sua importunitate; et propterea placet eum exhortari ad patientiam adhuc usque ad tempus. Si tamen noluerit, et vobis aliter videatur, remicto vobis ut faciatis de isto id quod melius videbitur secundum Deum, pro utilitate familie et salutis ipsius. Et si decreveritis facere congregationem pro hac causa, faciatis eam vos, et retineatis vel refirmetis vos eum, auctoritate apostolica nobis concessa. Hunc modum dico tenendum, quia cum pluries renuntiaverim officium istud propter vessationem quam noster Cephas (2) *facit, Dominus noster fecit mihi intimari qualiter vult [ut] faciam officium viriliter et diligenter, non tamen in contemptu etc. Faciatisque congregationem in octava Pasce. Qua expedita, amore Dei, sine dilatione veniatis, sicut scripsi. Nec retardetis occasione commissionis quam vobis feci pro nunc, ut possitis vocare et conducere fratres et providere si oportuerit alicui scandalo, ex eo quia Ministri Conventualium incipiunt insurgere multum contra fratres nostros et levare capita contra nos. Plurima alia que occurrunt intimabunt et referent vobis fratres Bonaventura et Iohannes. Paratus semper placitis vestris. Et denique valete in Christo Ihesu.*

Ex loco Capriole, 14 februarii 1441.

Fr. Bernardinus de Senis Ord. Min., locorum devotorum R. P. G. Vicarius (3).

---

(1) Pascha an. 1441 fuit 16 april.

(2) Cf. Ioh. 1, 42; scil. Guillielmus Casalensis, Minister glis, 1430-42.

(3) De Riciis hic subdidit: « Ut mihi videtur, littera copiata, erat scripta propria manu S. Bernardini ». Wadding, an. 1441, n. 39 hanc citat epistolam et sequentem.

17. — Alia S. Bernardini ad S. Iohannem epistola.

Item copia alterius littere S. Bernardini Senensis B.° Iohanni de Capistrano 1441 (f. 241 v).

Venerabili in Christo Patri Fr. Iohanni de Capistrano Ord. Min. predicatori famoso Mediolani, loco S. Angeli (1). *Carissime in Christo Frater, votiva salutatione premissa. Quia offitii mei debitum requirit, ut pro viribus necessitatibus occurratur et oportunis remediis subveniatur et negligentia quelibet dimictatur, idcirco omnibus modis, quibus possum, hoc a vobis requiro, ut expedito negotio illo ducali, cui interesse non valeo multis ex causis occurrentibus, cure illius nostre provincie Ianuensis animum totum et sedulum studium vestrum protinus apponatis; pre ceteris vero loco illi Ianue novissime capto, ne, quod absit, pauperum fratrum minorum ac et civium illorum currat in scandalum, quod facile contingere potest, nisi vestri prudentia regatur et bene provideatur. Scitis enim quanta mala ac damna spiritualia operatur alicuius novi loci activum et passivum scandalum, quod de facili amoveri non potest; et sic dato uno inconvenienti multa inde secuntur. Prudentia ergo hic locus* (2) *est. Vale vir Dei et memento mei.*

Ex loco Capriole extra Senas, sub die 18 maii 1441.

Fr. Bernardinus de Senis, Patris Generalis Vicarius generalis totius Ytalie (3).

18. — De Capitulo gen. Observantium in S. Iuliano.

Quando fuit celebratum capitulum generale in S. Iuliano prope Aquilam (f. 435 r).

In an. D. 1452 fuit celebratum Capitulum generale ordinis Fratrum Minorum de Observantia (4). *In quo capitulo fuit electus Vicarius Gene-*

(1) Cf. Wadding, an. 1441, n. 39. (2) Lege *opus*.

(3) Fol. 239 r-40 r adsunt: « *Constitutiones facte per Fr. Nicolaum de Ausmo et confirmate per Generalem Ministrum Guillielmum de Casale, instituentem dictum Fr. Nicolaum suum vicarium in Provincia S. Angeli, 1439. Sed postea per S. Bernardinum Vicarium generalem, scil. Ministri Generalis, predicto anno D. 1440* [*renovatae fuere, et*] *possunt dici Constitutiones S. Bernardini* ». — Epistola praefatoria, qua Constitutiones promulgantur, ita incipit: « *In Christo sibi carissimis... Volens mihi* etc., *Apud S. Damianum de Asisio 1440, iulii ultimo* ». Editae in AF II, 302ss. et ap. Wadding, ad an. 1440, nn. 9-14; ap. *Chronol. hist.-leg.* I, 100-1; cf. AFH VIII, 147; XVI, 493.

Insuper inter fol. 343 r-52 r ponitur compendium processuum Canonizationis S. Bernardini anni 1448, extractum ab ipso de Riciis ex volumine originali signato *S 49* penes Biblioth. Prov. Aquilae, et fol. 357 r-92 v ponitur compendium 2507 circa miraculorum S. Bernardini et S. Ioannis Capistrani, « *extracta de libro qui est Capistrani* », sed nunc in Biblioth. Nationali Parisiensi, sat diffuse descripto a P. Ferd. Delorme in AFH XI, 399-411. (4) In vigilia Pentecostes, 27 maii. De quo plura in *Chronica* cit. 38ss.: et Wadding, an. 1452, n. 33s. Cf. AFH IV, 132.

ralis Reverendus Pater Fr. Marcus de Bononia, qui tenebat locum Rev.di P. Vicarii generalis prius electi, scilicet Iohannis de Capistrano petentis Alemaniam. Unde remanserat eiusdem Vicarii Commissarius Generalis; et sic fuit electus ipse in generali capitulo, et stetit in dicto officio per tres sequentes annos, scilicet a Pentecoste istius anni usque ad Pentecosten anni 1455. De quo officio patet in licteris ipsius Vicarii Fr. Marci scriptis P. Fr. Iohanni de Capistrano, hic infra in an. D. 1452, 1453, 1454 (1). *Quibus temporibus, uti patet in substantibus litteris ipsius Vicarii generalis, perpessa multum fuit nostra familia, quia discessit de familia ille alius secundus Paulus, quoad officium predicationis tantum non quoad vitam, Fr. Robertus de Licio. Nonnulli cum illo deviaverunt a familia, et, ut audivi, circa ottocenti fratres conventus repleverunt tam predicatores quam sacerdotes, clerici et layci; et valde persecuti fuerunt fratres de familia cum Generali Ministro et Ministris provincialibus, prout patet in annis sequentibus et litteris predictorum vicariorum usque ad obitum Nicolai pape V. Sed tandem mortuo Nicolao et succedente Calisto III, sub quo aliqualiter bulle fuerunt maculate in quibusdam (que bulle per Pium fuerunt abolite* [*scil.*] *littere Calisti), et sic familia ab inde in posterum pacem habuit et tranquillitatem* (2).

In dicto capitulo fuerunt hec ordinata, videlicet ut habentur in libro R. P. Vic. Gen. Fr. Ieronimi [Tornielli], videlicet sic: « Ordinata in loco S. Iuliani apud Aquilam sub P. Fr. Marcho de Bononia an. D. 1452, 27 maii. Primo quod layci etc. (3).

19. — Epistola Fr. Marci de Bononia ad Capistranum.

Copia littere Rev. Patris Marci de Bononia tunc Vicarii generalis Rev. P. Fr. Iohanni de Capistrano, dicens de Fr. Roberto 1453 (f. 438r-9r).

A tergo: *Rev.do in Christo P. Fr. Iohanni de Capistrano Ord. Min. in partibus Alemanie commissario generalis Vicarii Cismontani, patri nostro singulari ac verbi divini preconi mirabilissimo. Ubicumque fuerit.*

Rev.de in Christo Pater, filiali atque humillima commendatione premissa etc. Vigesimo decembris V. R. P. accepi litteras diversas, ottobris diebus confectas, quas mihi uno tempore Fr. Bernardus (4) *reddidit; quem ego in omnibus rebus, velut paternitati tue gratum fore conspexi, quantum mihi possibile fuit, consolari annisus sum. Gaudeo iam ad vos penetrasse nos victoria potitos divina gratia tuisque precibus: sed hoc satis ambigue tibi ex nostris litteris esse compertum significas; teque raras notitias in hiis omnibus litteris legere vix potuisse scribis: quod quidem longe* (5) *admiror, vehementissimeque doleo, cum tuas nullas, teste*

---

(1) De quibus infra n. 19, 20. (2) Cf. Bernardinus, *Chron.* 60-72, 92-4.

(3) Edita ap. De Gubernatis, *Orbis Seraph.* III, 111, et in *Chronologia hist.-leg.* I, 122.

(4) « Scilicet Fr. Bernardus Alemannus » uti dicitur in margine codicis. Has litteras S. Ioannis Capistrani ad B. Marcum nullibi inveni.

(5) Cod. *longne.*

conscientia, pretermiserim quibus de verbo ad verbum non responderim. Insuper et de nostris romanis rebus non solum gravia sed minutissima queque tibi iam bis perscripsi (1). *Que omnia, nisi ex Fr. Gabrielis* (2) *exemplaribus te nunc, aliis a latronibus sublatis, cognoscere putarem, omnibus hiis, que quidem gravissime sunt, remotis occupationibus, rescriberem. Ipse frater noster Gabriel ex tuo mandato apud se habere universa commemorat, seque iam ad te illa rescripsisse dicit; quasdam tuarum litterarum copias de quibus mihi scribis . . . .* (3). *Libellus Fr. Roberti ubi sit, nec quis habeat non invenio; cum Bononiam perrexero, nostras omnes excutiam sarcinulas, et inventum illico tibi transmictam. Huiusmodi nefandi libelli singulis cavillationibus respondit vir ille bone memorie beatus Frater Nicolaus Ausimanus, eiusdem* (4) *missi Fr. Roberto* (5). *Preter primum illud ac teterrimum certamen* (6), *reliquas suas versutias ac vias non rectas equo animo ac dissimulato nobis omnino ferenda ducimus. Habet enim et ipse fautores plurimos etiam ex ipsis Cardinalibus, protectorem nostrum, S. Marci et S. Angeli* (7), *ut fertur; quorum ope ac studio ipse Robertus Rome quasi hactenus residens, e nostris manibus summa vi, brevibus apostolicis, obscenum illum ac flagitiosum Fr. Iohannem Ischianum* (8) *abstraxit; quem ipse Robertus tandem contra nos unum vicisse Rome cum pluribus girovagis iactanter gloriatur. Conversationis eius, verborum, consiliorum viteque summam, nec gravido quidem libello possem tibi reserare; et tamen propter causam familie, et quia mihi ab ipso SS. D. N. enixe commendatus est, universa hic per tempus et tempora dissimulare compellimur. Et nunc in hac cruciata, que omnibus christianis contra insolentissimum Turchum publicatur, nonnichil Rome operari dicitur, suosque girovagos sequaces omnibus curialibus et ipsi Sanctissimo D.no nostro ad predicandum hanc cruciatam proponere studet. Et singulis diebus cardinales omnes ambit, suos ipsis commilitones extollens. Venetias hac proxima quadragesima predicaturus fertur adventare.*

---

(1) Has epistolas B. Marci ad Capistranum citavimus, Chiappini, *Reliquie letterarie capestranesi*, p. 214, n. 423, 424; quae sunt diversae ab illis contentis in cod. *S 73*, quas hic edimus.

(2) Id est Fr. Gabriel Veronensis, S. Io. Capistrani socius.

(3) Vacuum spatium est in codice. (4) Adde: *opusculum*.

(5) Fr. Robertus Caracciolo Lyciensis: « Dicebat insuper et quandam listam ostendebat, in qua 24 praedicatores erant descripti, quos omnes asserebat cum sua opinione concordes, addens quod plerique provinciarum vicarii, quas pro meliori nominare nolebat, idipsum optabant ». B. Bern. Aquil. *Chronica*, 48 et passim. Neque iste libellus neque responsio B. Nicolai de Auximo modo inveniuntur. Cf. AFH XV, 398s. Iuxta Wadding, an. 1453, n. 18, libellus Fr. Roberti sic incipiebat: *Placet magnopere;* responsio vero Auximani: *Quidam minus scrupolosus*.

(6) Scilicet in Curia Romana inter Conventuales et Observantes, de qua diffuse B. Bernardinus l. c. p. 47ss., et Wadding, an. 1453, n. 18.

(7) Scil. Dominicus Capranica, Petrus Barbo et Iohannes Carvajal, l. c.

(8) Memoratur etiam a Fr. Nicolao de Fara apud AFH XV, 399.

Hactenus de Roberto ex multis ac innumeris pauca dixisse sat est. Perusinus noster (s. magister Angelus de Perusio, qui fuit Generalis) (1), *cum vidisset quod prostratus ac victus esset, ne ipse tante sue stragi superesset, abscessit, vel potius sublatus est e vita: quod omnibus summo ac iustissimo Dei iudicio factum videtur; et te patrem nostrum verum esse prophetam significat* (2). *Ego ut huius interessem funeri, dies noctesque Perusium cum sotiis nostris reliquorumque fratrum nostrorum stipata caterva cucurri: a nobis sepultus dici potest, cum omnes alii essent paucissimi. Irremunerabile sotiis ipsius Conventualibusque ceteris visum est benefitium, ac mihi post summam reverentiam ac prandium gratias egerunt infinitas. Paulo post a SS.º D.º N.º magister Iacobus de Mozanica, Minister Provincie Mediolani, Vicarius Ordinis electus est* (3). *Hic in nostris romanis conflictibus in nos rugiebat ut leo. Nunc etsi multa nobis facturum se bona polliceatur, tamen ab nonnullis, quorum ex numero esse nolo, ut vulpis incedere creditur, multa eum machinari, multa subvolvere, nonnunquam minori et stabili sententia summaque audacia confirmare. Non multo post hanc familiam Conventualibus uniendam, et demum in me specialiter capud nonnunquam vibrare musitans persentio. Hactenus Rome cum Roberto fuit, nunc Bononiam venire aiunt; Generale capitulum pro electione novi Generalis, ut vel Bononie vel Ferrarie fiat, statutum est in hoc proximo futuro Pentecosten celebrari festo* (4).

Ego vestri prophetici paterni consilii riminiscens, ex nostris eos patres qui auctoritate, rigore, sapientia atque animo resistere valeant, si quid in nos cuderetur, eodem tempore atque loco summa vigilantia congregabo. Pat. tuam nunc deprecans instantissime, ut me similiter omnibus in rebus que tibi veniunt similiter (5) *velis reddere cautum ac monere, hortari, impellere ad universa gerenda ut filium. In bullis nostris* (6) *nec minimum quoddam iota cassatum est nec revocatum; et de fugitivis ad conventum mihi SS. D. N.: Si nolunt bene facere, inquit, sinite illos abire* (7); *nec quidquam aliud subiunxit. Ibi ego sibi post nostrarum conclusionem rerum, quia de subversione constantinopolitana iam ad eum pervenerat* (8), *me ac totam familiam, si quid pro fide catholica sanctaque Romana ecclesia possemus efficere, obtuli. Et nunc singulis quasi diebus ad hanc predicandam cruciatam nil aliud ago quam omnes familie predicatores licteris offerre per dominum Petrum* (9) *sanctitati sue. Et si quis peritus comperuit, imbecillitate corporis, labores per-*

(1) Angelus Christofori de Perusio, Generalis 1450-53; cf. AFH XI, 132ss.

(2) Angelus de Perusio obiit 20 augusti 1453; cf. Chiappini, l. c. 192. Ipsi scripserat Capistranus, ne amplius familiae adversaretur; cf. Chiappini, *La produzione letteraria di S. Giov. da Capestrano*, Gubbio 1927, p. 95, n. 110.

(3) Cf. Wadding ad an. 1453, n. 25ss.

(4) Celebratum est Bononiae, 9 iunii 1454, ibique *Iacobus* in Ministrum est electus: AFH IV, 132.

(5) Cod. *si mentem*.

(6) Datis ab Eugenio IV in favorem familiae.

(7) Ioh. 18, 8.

(8) Haec acciderat 29 maii 1453.

(9) Scilicet Petrus de Noxeto, alias de Spinolis de Luculo, secretarius Nicolai V atque Observantiae fautor. Cf. 99s.

ferre non posset: si qui robustiores, sunt imperiti. Et ita erant in hac nostra familia universa perturbata, ut et eam diligentiam qua exardescebam, huic nostre inquisitioni adhibere nequiveram; nunc singulos omnes locorum discutiam, et primum oblatum evolare iubebo. Duos forellos fratres quos petis, venire iussi. Si qui alii venire poposcerint, cohibebo.

Reliqua omnia aut singula que aut literis aut per Fr. Bernardum mihi facienda significas, ea diligentia que in me est, prope diem executioni mandare curabo. Ego singulis quindenis vel mensibus, que agentur queque agenda videbuntur illico perscribam. Tu vero filium, pater, quid faciendum in minutissimis quoque rebus instrue. Dum adhuc essem Rome, mira Bononiensium sollicitudine instantiaque, Bononie futura quadragesima predicare sum tractus. Paucis post diebus hinc eo dirigam gressus. Sed postquam mihi de prefato Conventualium capitulo renuntiatum est, ut Bononie predicationis locus a me vel ab altero ex nostris (1) *usque Pentecosten pollicitus sum. Quo tempore ibidem Bononie placitum est patribus nostrum generale capitulum celebrare, cui illico post Pasca necessaria parari per totum futurum annum constituam* (2). *Ferrarie quoque item a nostris predicatoribus eodem prescripta curavi occupari tempore* (3). *Hec omnia modo ut statueram successere, quae ego, ne ab ipsis Conventualibus circumveniamur, sum molitus, et ne ipsis facilis sit demulciendi populi commoditas. Tu mihi, pater dulcissime, veniam da, quod propria manu hec tibi scribere non potui. Illud vero in calce litterarum adverte, me nec Vicarium Ordinis ut decet similem vel parum timere inquinata versutia sint* (4).

Ex loco nostro a Vinea Venetiis, 28 decembris 1453. Vale et pro vestris filiis ora, pater.

Fr. Marcus Bononiensis propria manu me subscripsi (5).

20. — **Alia epistola Fr. Marci ad Capistranum.**

Copia littere P. Fr. Marci de Bononia tunc Vicarii Generalis 1455. 19 ianuario missa Fr. Iohanni de Capistrano (f. 447r-8v).

Rev.de in Christo Pater, post filialem commendationem. Venit ad me presentium lator in Provincia Tussie dum Romam peterem, et vestras mihi consignavit in vigilia S. Lucie, editas tamen octobris 28 (6). *Quibus*

(1) Adde: *habeatur* vel *teneatur*.

(2) Quod Bononiae celebratum est revera anno altero sequente, scil. 1455: AFH IV, 134. (3) Sensus est: Ferrariae eadem fieri curavi.

(4) *Sua?* Sensus obscurus est et sententia male constructa. Ad quem locum et alios similiter abscuros attendendum est, scripturam Fr. Alexandri de Riciis saepe pessimam esse.

(5) Sequuntur (f. 441r-6v) epistola S. Ioannis de Capistrano S. Iacobo Piceno, ex Cracovia 12 maii 1454, pro erectione ecclesiae S. Bernardini Aquilae: et S. Iacobi responsio, Aquilae 28 iulii 1454. Utrasque edidit ex hoc codice N. F. Faraglia, *La chiesa primitiva e il monastero di S. Bernardino nell'Aquila*, Trani 1912, 23-38.

(6) Quae litterae periere.

perlectis, liquido perpendi paternitatem tuam Fr. **Philippo de Massa** *aures ymmo fidem prestasse magnifice, michi vero minimam* (1). *Credebam me melius et scire et intelligere facta Ordinis illo. Non virtute aut prudentia dixerim, sed tantum officio. Sed, ut video, tua opinione fallor. Amarum mihi videtur verbum illud, quod decreta nostra meo tempore suspensa credantur. Non intelligo, non vidi, non audivi istam suspensionem. Scio tamen D. N.* (2) *dixisse velle bullas nostras intactas permanere. Verum est quod, lite precurrente, dixit mihi Dominus noster: Ego suspendi illam excommunicationem; non amovi, non amovi. Ita bis replicavit, et addidit: Quare vultis fratres violenter retinere? Et hoc quidem humanissime referebat. Sed dicunt: eodem Domino Nostro proferente sententiam post suprascripta, etiam per plures dies, presentibus 4or cardinalibus, videlicet Rothomagensi olim Andegavensi, Firmano, Metensi et S. Angeli* (3), *astantibus pluribus episcopis et prelatis, et vocatis Generali de Perusio (s.* **Magistro Angelo**) *cum nonnullis ministris et magistris ac* **Roberto Liciensi**, *et nonnullis ex nostris ac me: dum prefatus Generalis diceret: Habent isti fratres nescio quas bullas etc., dixit Dominus Noster: Dimittas illas bullas. Et dominus Metensis post hoc dixit mihi: Bulle vestre perseverant intacte. Plures etiam cardinales idem in effectu dicunt et dixerunt. Et Dominus Noster ad me, quando, sententia lata, ab Urbe me absentavi, dixit mihi, presente Fr.* **Marco** *et Fr.* **Angelo** (4), *sotio nostro: Ubi sunt bulle tue? Et ego: Bononie, Pater, habeo Bononie. At ille: Serva tibi bene eas, ut si illis indigere contigerit, manus tuas ad illas mictere valeas. Ecce suspensionem bullarum et decretorum nostrorum! Et hec omnia et cetera per ordinem et satis prolisse illo tempore narravi.*

Non possum non mirari, non dolere quod referentibus contraria faciliter credatur, mihi vero qui vidi et interfui, qui audivi, minime. Si non Urbem petii ante tempus istud, consulte feci. Nemo enim mihi ex fratribus nostris et patribus accessum unquam consuluit ad urbem tuam (5) *preter tuum Fr.* **Philippum**; *cum tamen et ego et plures consulerem super hoc, volui magis obtemperare consiliis ceterorum patrum vel plurimorum quam unius tantum. Non veni igitur, tamen nec voluissem venisse. Nec credat P. V. quod ex causa predicationum vellem familie facta relinquere, postergare aut dissimulare. Sed nec mihi visum fuit absque necessitate Urbem discurrere et infestare. Sic fui sequtus consilium dom.* **Petri de Noxeto** (6), *utique consilium sanum, utile, necessarium etc.; qui novit quod vult et potest succurrere nobis. Video Pat. T. male informatam. Parcat illi Deus qui talia dixit aut scripsit et mentem vestram turbavit. Esto bono animo, pater.*

(1) De ipso Wadding ad an. 1459, n. 39.
(2) Nicolaus V. Cf. Wadding ad an. 1454, n. 22.
(3) Cardinales scilicet Guill. de Estouteville Rothomagensis, dom. Capranica a Firmo, Guill. Hugonis d' Estaing Metensis et Ioannes Carvajal.
(4) In B. Bernardini *Chronica*, 50s., vocatur Fr. Archangelus de Pontremulo.
(5) Nempe: Romam.
(6) Cf. de eo supra, 97.

Veni ergo Romam. Omnes me viderunt leto animo et facie. Plures dom. Cardinales et prelati et dom. de Noxeto et D. Noster volunt me audire. Ego tamen bono respectu non multum insteti habere hactenus audientiam. Sed de eo quod scripsisti, nemo est Cardinalium qui verbum faceret unquam D. Nostro; ymmo, ut audivi, nec D. Noster litteras quas misisti amodo legit (1). *Consului plures patres et romanos et aliarum provinciarum, et nemini placet quod ego faciam verbum: suspicantur enim hoc summopere SS. D. N. displicere; et quod maius est, esset causam nostram in magno periculo ponere* (2).

Pater Rev.de, si veniret tua Paternitas ad Curiam, alium et quidem novum modum vivendi reperiret. Audientia enim non conceditur, etiam plurimum magnis prelatis et dominis Cardinalibus. Nullo pacto per nos talia temptanda isto tempore videntur. Vos vero qui agitis in remotis, potestis facere quidquid Dominus inspirare dignetur. Ut video, nihil penitus profecerunt nec proficiunt lictere novissime [quae] ad Sanctitatem Suam delate fuerunt: si tamen venirent ille Imperatorum et Regum aliorumque littere quas pollicitus fuisti presto mictere, forte aliquid erit (3). *Si predicavi, si predico, etiam feci et facio, etsi secundario, ut propitios habeamus dominos temporales et dominia Ytalie; noluissem vero predicasse Mediolani pro incredibili munere atque dono. Laboravi enim mediante notitia ex predicationibus orta cum illustrissimus dominus Dux* (4) *et Ducissa Mediolani, et utilissima quidem mea sententia. Pro familia nostra Aquile predicabit Fr. Dominicus de Gonissa, olim Vicarius Provincie Marchie* (5). *Ita enim consuluit mihi Fr. Iacobus de Marchia, Romae. Propter nonnullam novellam passionem inter vicarium huius Provincie* (6) *et plerosque alios patres, Fr. Antonius de Bitonto qui debebat predicare in conventu isto* (7), *ipse Fr. Antonius non hic sed Mediolani predicabit; hic vero Fr. Bartolomeus de Colle* (8), *et per gratiam Dei bene acceptus. Predicavit tamen idem Fr. Antonius ante adventum meum. Ego vero inpresentiarum in conventu prefato, nam Fr. Antonius sepe dictus Mediolanum petit. Si superiori tempore Aquilani non habuerunt predicatorem, utique non mea incuria atque ignavia, sed illorum voluntaria Aquilanorum id actum est* (9). *Non potui omnia vobis*

---

(1) Epistola 112. Cf. Chiappini, *La produzione*, p. 95.

(2) Cf. *Chronica*, 54s. (3) Ipsas lege apud Wadding, an. 1454, n. 23ss.

(4) Legendum forte: *Duce* etc.

(5) Qui revera et optime Aquilae praedicavit quadragesimam an. 1455, uti referunt Nicolaus de Fara in AFH XV, 393. 399; cf. etiam IV, 333, et *Chronica*, 41: Wadding, an. 1458, n. 35; 1497, n. 1ss.

(6) Fr. Petrum de Anguillaria. Cf. *Chronica*, 49; Wadding, an. 1455, n. 57.

(7) De Aracaeli Romae.

(8) Cf. AFH III, 711: X, 250ss.; Sbaralea, *Supplem.* 113s.; I², 119s.

(9) Quadragesimam an. 1453 Fr. Robertus Lyciensis, quem Aquilani optabant et ad eos B. Marcus de Bononia destinaverat, noluit Aquilae illo tempore praedicare, cuiusque vice B. Antonium de Bitonto noluerunt, et sic absque oratore remanserunt. Cf. *Chronica*, 39s.; Wadding, an. 1452, n. 40: 1453, n. 33ss ; et N. Faraglia, l. c. 28s.

scribere, quare de venia confido. Ad illud de fratribus romanis, quod certe comperui, dixit Fr. Philippus quod illos faciam, videlicet mihi, amantissimos etc.; dico quod Vicarius romanus abs me maiores et pleniores gratias et auctoritates debet ceteris omnibus vicariis et quibuscumque. Nam et vicarius prefatus sibi propria manu scripsit mihique presentavit, ego vero illico concessi. Habet etiam auctoritatem procurandi omnia et singula pro fratribus suis in antea, etiam sine scitu meo vel commissarii mei. Procuravi et eis elemosinam et habuit, etsi non integram, non quidem mea negligentia aut voluntate. Nunquam negavi eis etiam meipsum. Plura mihi impinguntur, que in Valle Iosaphat clare patebunt. Si mittitis litteras secularium vel litteras pro confirmatione negotii nostri, nullo pacto ad me mictatis, quia totus mundus de nobis scandalizatur et clamat. Si Fr. Philippus de Massa non me contempsisset, sed me audisset ante adventum eius ad T. Pat., non fuisset T. Pat. gravata in scribendo plura que scripsisti. Quod autem feceritis eum clericum, totus mundus clamabit, quamprimum de hoc notitiam habuerit. Ego autem non audeo dicere: Vellem quod non fecisset P. V., saltem pro honore P. V. et caritatis sue. Sic enim aiebant plerique ante adventum nuntii vel cursoris vestri ad nos, quod ad te veniunt cupientes et intendentes clericari. Etiam hoc habui a secularibus et prelatis. Cumque me dimisso, ad te venerit, fere credere cogor. Pater mi, ne dubites, quia et alii non pauci vellent clericari. Scio ipsum sufficientem, sed iudico scandalum aliorum.

Venio ad facta nostra. Generalis Minister (1) *satis se confert ad loca nostra. Sic ego postmodum ecclesias visitare curavi, et in veritate non inveni pauca sed gravia que dicebantur: vidi et video omnes gratia magis Dei, bene dispositos etc. Cognovi tamen malitiose fraudolenter incedere nonnullos quandoque [ut] Fr. Iohannes de Columpna vel de Nexio, qui magnam portat clericam, quique adhesit Fr. Roberto nostro. De litteris quas tua scripsit Pat. Aquilanis contra eundem Robertum, magnum ortum fuit scandalum* (2). *Ut percipere potui et intellexi, Generalis est Neapolim et Robertus antedictus in conventu S. Laurentii. Et, ut aiunt, aliqui currunt ad Generalem ex nostris vel qui videbantur. Si quando conditionem illorum intelligere desideras et queris, dico: nullius. Utinam possem illos bono iure nedum de familia sed de Ordine expellere. Pridie iverunt Gaietam, ut inquiunt, prefati Generalis et Minister illius Provincie* (3) *et Robertus et nonnulli magistri, ut conventum a nobis auferrent. Sed populus turmatim post eos clamantes dixit: Nolumus vos, sed istos de observantia. Predicanteque in conventu Fr. Roberto, preceptum acceperunt mulieres a viris, quod nullo pacto ad predicationem illius vel conventum, eo illic residente, accedere presumant; quod et factum est.*

(1) Iacobus Bussolini a Mozzanica.

(2) Epistola diei 12 mai 1454 edita a F. N. Faraglia, l. c. p. 23ss.: « Quello superbissimo et ypocrita vostro condam ydolo fra Roberto, lo quale volesse Dio e la gloriosa Vergine Maria che mai dalli Conventuali foxe ad nui venuto ».

(3) Fr. Galassus de Neapoli: cf. Wadding, an. 1455, n. 54.

Sicque abierunt non sine Generalis confusione (1). *In Urbe stupenda et inaudita dicuntur etiam contra illum. In mari vero fuerunt in magno periculo constituti. Fr. Paulus de Roma, olim famosus predicator sed postea ad vomitum reversus* (2), *diem clausit extremum, et, ut aiunt, extra Ordinem. Magister Seraphinus noster de Gaieta migravit ad Dominum* (3). *Cardinalis Yspanus, senex, qui erat in Yspania, iam diu defunctus est. Soror domini nostri Pape* (4) *filium acceperat in senectute sua* (5), *sed paulo ante mortuus est. Marinensis similiter et Vicecancellarius. Fr. Mattheus noster* (6), *me inscio, Cathaloniam petiit. Voluit locum S. Crucis de Neapolim, sed non potuit habere, ymmo magnum scandalum ortum fuit ibi. Vulterranus* (7) *vellet ad nos redire, sed ego nolo eum. Cum enim fuerit contra familiam, a familia suscipietur in capitulo generali. Nunquam tamen se mihi presentavit, nec illi credo, non conversionem veram spero. Ille de Callio* (8) *conventum Narniensem acceperat, sed, ut audivi, cum uno olim ex nostris, quem sine licentia susceperat, rixatus fuit, et accurrerunt seculares, scandalumque passi etc. Dicitur quod inde ultra recessere et reliquere conventum.*

Capitulum nostrum generale paratur, omnesque nos expectamus adventum et presentiam vestram prestolantes videre, et desiderio non mediocri desideramus. Nuntius vester nec audientiam nec responsa potest habere, ut dixit paulo ante ad me. Portat vobis bonam pietantiam crochi seu zeffarani. Petiit a me pecunias dum essem apud Scitoniam (9) *provincie Tuscie, sed non illi dare potui. Continuo fuit et est et cum equo in locis nostris, ut percipere potui, et nunc apud nos est; quia nescio virum non gravare fratres de pecuniis, pro eo quod novi huiusmodi viros semper et ubique postulare pecunias. Quia etiam hora instat pro predicatione, non plura scribo. Valeat P. T. et omnino venire non postponatis. Expeditos credo magis invenire Ytalicos quam illos ad bellum contra Theuchrum. Ipsi enim semper sunt parati. Bosnenses clamitant in Vicarium suum Fr. Robertum* (10), *credo tamen nescientes vitam illius. Ego autem, ductus consilio etiam plurimorum patrum huius provincie, eos remisi sine honore; volebant enim quod intercederem pro ipsis apud Generalem, quod aperte facere recusavi. Iterum bene vale, pater patrum.*

Ex Urbe, die 19 ianuarii 1455.

---

(1) Idem refert Fr. Nicolaus de Fara; cf. AFH XV, 398.

(2) II Petr. 2, 22.

(3) De ipso pulchre *Chronica*, 43, 52, et Marianus in hoc AFH III, 710.

(4) « Domina Catharina », ut scriba adnotavit in margine.

(5) Cf. Luc. 1, 36.

(6) « *De Regio de Calabria* », additio in marg. Cf. AFH XV, 398; Wadding, an. 1453, n. 9; 1456, n. 23s., et Chiappini, *Reliquie letterarie*, p. 243, n. 414.

(7) In marg.: « *Iohannes de Vulterra* », de quo v. AFH XV, 393, 399.

(8) In marg.: « *Iacobus de Callio de Marchia* ». Cf. Chiappini, l. c. 216, n. 212; AFH IV, 128.

(9) Lege *Cetonam*.

(10) Wadding, an. 1454, n. 25.

Consilio suprascriptorum patrum, post paululum F l o r e n t i a m *petam, scio enim quod non est timendum. Protector noster est Neapolim* (1), *et ambasciatores Venetorum, Florentinorum, Senensium et Ianuensium et Ducis Mediolani, pro pace communi. Sed et plerique credunt quod nihil fiet, prout nonnulli sperant. Iudicio meo, nichil curant plures de* T u r c h o: *preparationem autem minimam non videmus. Iterum et 3° vale. Non potui corrigere litteras istas quia pulsatur pro 3° signo et ultimo predicationis.*

Filius Fr. Marchus de Bononia propria manu et festina.

A tergo: *Rev.do in Christo P. Fr. Iohanni de Capistrano Ord. Min., Verbi Dei preconi celeberrimo, locorum devotorum provincie Austrie Commissario benemerito, Patri singularissimo.*

(Continuabitur).

Aquilae. P. ANICETUS CHIAPPINI, O. F. M.

---

(1) Scilicet Card. Dom. Capranica.

IL CONVENTO DI S. ANGELO DI LEGNANO

(S. MARIA DEGLI ANGELI)[a]

La città di Legnano, che accolse ai 14 ottobre 1247 gli ultimi aneliti del Beato Leone da Perego, dei frati Minori, arcivescovo di Milano, conserva moltissime memorie francescane.

Da Legnano l'arcivescovo Francesco Fontana, il 3 aprile 1297, indirizzava alla diocesi di Milano l'appello per concorrere alle spese per la costruzione di S. Francesco in Saronno[1]. Andreoli Arimperti, ai 10 giugno 1472, rinunciava il beneficio della cappellania di S. Ambrogio di Legnano nelle mani del P. Ambrogio da Saronno guardiano del patrio convento; ma questa rinunzia veniva annullata dal vicario generale Lancellotto, per difetto delle formalità canoniche[2]. Rimaneva però a questo convento una casa in Legnano, donata ai 12 febbraio 1513 dal sacerdote Febo Lampugnani, con l'onere di celebrare una Messa alla settimana in S. Maria Annunziata di Legnano[3].

Ricordi più gloriosi ebbe in Legnano l'Osservanza Francescana, che vi teneva il magnifico convento di S. Angelo, riputato uno dei migliori della Provincia di Milano. Di esso parlano il Gonzaga[4], il Wadding[5], la *Cronaca* Pozzi[6], il P. Zaccaria da Milano, il P. Giammaria Benzi da Milano[7], il P. Bernardino Burrocco da Monza[8]

(a) Praecipuae vices narrantur conventus S. Angeli in urbe Legnani, qui inter primores fuit Provinciae Mediolanensis Fratrum Minorum de Observantia. Pro Observantibus inceptus anno 1468, ab Observantibus est detentus usque ad annum 1805, quo per eversionem gallicam expulsi sunt et conventus inde partim destructus, partim in diversos civicos usus destinatus. [NOTA DIRECTIONIS].

(1) Arch. Stato Milano, *Arcivescovi,* mazzo V; P. Sevesi, *S. Francesco di Saronno,* Milano 1927, 74.

(2) Arch. Notarile Milano, *Imbreviature Giampietro Ant. Regna,* an. 1470-1518, n. 518; P. Sevesi, l. c. 60.

(3) Arch. St. Mil., F. B. d. A. *Saronno, Conventuali,* cart. 348. Nel 1584 la casa fu venduta per lire imp. 700 a Giov. Ant. Fassi da Legnano; P. Sevesi, l. c. 23, 28, nota 15. (4) *De origine Seraph. Relig. Franc.,* 349 s. (Romae 1587).

(5) *Annales,* XIII², 441.

(6) *Chiese di Legnano* (Ms. del 700 nell'arch. preposit. di Legnano).

(7) Arch. St. Mil. F. R. Parte Moderna, cart. 1812. (8) *Descriptio Chronol. Obs. Prov. Mediolan.* II, 144-151 (Ms. Bibl. Capit. Monza).

e memorie esistenti nell' Archivio di Stato di Milano e nell' Archivio Comunale di Legnano.

1. — **Erezione del convento.**

L' iniziativa della fondazione del convento si deve a Bonifacio nob. Vismara, il quale con testamento del 3 febbraio 1432, rogato dal notaio Caprino Sommaruga, ordinò di costruire una chiesa e il convento di Legnano pei Minori Osservanti della Provincia di Milano. Il Vismara offriva casa, chiostro e giardino coll' onere della celebrazione di alcuni uffici e Messe ogni anno [1].

Forse il Vismara si decise a questa fondazione, mosso dalla santità e dall'apostolato di S. Bernardino da Siena, il quale predicò certo a Legnano, perchè ivi si conservava il pulpito del Santo, aderente al muro del giardino sul piazzale della chiesa di S. Angelo [2]. Ma quella località non fu ritenuta adatta.

Il figlio di lui, Giovanni Rodolfo, conoscendo le intenzioni del padre, fece donazione di 37 pertiche e mezzo di terreno appena fuori di Legnano, nella via che mette a Castellanza, in una località detta *Chiusura*, fiancheggiata, ai due lati dalla pubblica strada, e dagli altri della proprietà dei Vismara e della mensa arcivescovile. Comprese nella donazione anche degli stabili, e ne cedette il dominio perpetuo alla S. Sede, e ai frati l' uso pure in perpetuo. Lancellotto Sudati, notaio di Milano, ai 12 novembre 1468, ne rogò l'atto [3]. Tre giorni dopo Galeazzo Maria Sforza, duca di Milano, confermò la donazione [4].

L' Osservanza Milanese ebbe nel contempo altre offerte di fondazioni di conventi a Varese (dioc. Milano) ed a Gardone (dioc. di Brescia). Gli Osservanti supplicarono il Papa Paolo II per ottenerne la sanzione pontificia. Al 1° novembre del 1469 il Pontefice autorizzava Pino Asti, vicario generale di Milano, ad assumere le informazioni e, in caso favorevole, a dar licenza agli Osservanti di accettare i conventi di Legnano, di Varese e di Gardone [5].

---

(1) *Cron.* Pozzi cit. Le imbreviature di Caprino Sommaruga (Arch. Notar. Milano) sono mancanti. Per cui non abbiamo trovato l'atto del testamento, che ci fu riferito dal Pozzi.

(2) Burrocco cit. In Legnano fu eretta la chiesa in onore di S. Bernardino. La visita pastorale del 1566, 16 ottobre, ricorda la chiesa del Santo aperta al pubblico, che conservava il dipinto del Crocifisso con la Madonna e S. Giovanni ed i miracoli di S. Bernardino. Il Santo venne rappresentato anche sul parapetto dell'altare col Salvatore e la Madonna. Ai 20 maggio in Legnano si celebrava la festa dell' Apostolo del SS. Nome di Gesù (Arch. Curia Arciv. Milano, *Legnano*, XX).

(3) Vedi più avanti il n. I dei *Documenti*.

(4) *Documenti*, n. II. (5) *Doc.* n. III.

Mentre procedevano le pratiche, il Vismara con gesto nobilissimo incominciò a costruire dalle fondamenta la chiesa, dedicata a S. Maria degli Angeli, e l'annesso convento, dei quali daremo un cenno. Un manipolo di religiosi, capitanato dal B. Michele Carcano (1), dirigeva le costruzioni, riattava l'orto, il giardino ed il bosco. Necessitando un rivolo d'acqua per irrigare l'orto e per gli usi del convento, si ottenne con ducale concessione del 14 agosto 1470, di poter estrarre dal fiume Olona, che lambisce Legnano, un'oncia d'acqua (2). Nell'anno seguente, ai 30 aprile, Pino Asti, vicario generale di Milano, in nome del Papa Paolo II, diede esecuzione alla bolla pontificia, dando facoltà ai frati di accettare le suddette donazioni, e di erigere la chiesa, il piccolo campanile con una campana, il cimitero, il dormitorio, il refettorio, il claustro con tutte le officine, salvo i diritti della parrocchia di Legnano (3).

Nel 1 maggio 1471 il B. Cristoforo Picinelli da Varese, Vicario provinciale dell'Osservanza Milanese, ebbe la consegna della chiesa e del convento dal nobile Vismara (4).

2. — La chiesa di S. Maria degli Angeli.

Dai manoscritti Pozzi e Burrocco abbiamo la descrizione della chiesa. Un vasto piazzale, ombreggiato da alberi, elevantesi sopra un ameno poggio, metteva alla chiesa, la cui abside guardava a settentrione. Il tempio di stile lombardo, di una sola navata a volta reale, collo sfondo delle cappelle, era diviso per un terzo da grande muraglia, sostenuto da un grande arco centrale e da due archi minori, nei quali s'aprivano due cappelle. Sopra l'arco pittori distinti raffigurarono la Passione di Gesù, come si vedono ancora nelle chiese francescane di Caravaggio, di Lugano, di Bellinzona e di Varallo. Altri pregevoli affreschi ornavano S. Maria degli Angeli di Legnano.

I Padri Zaccaria, Benzi e Burrocco hanno ricordato i titoli delle cappelle. A destra entrando, S. Giuseppe, con pitture di diversi Santi francescani. Il Burrocco ricorda l'affresco del Beato Leone da Perego O. F. M., arcivescovo di Milano, coi raggi intorno al capo e la scritta col titolo di Beato, indicante che la sua salma era custodita in S. Ambrogio di Legnano. *Quorum* [sacellorum] *primum a parte dextra ingressus ecclesiae prope portam dicatum est S. Ioseph, et in ipso pictae cernuntur diversae Beatorum nostri Ordinis effigies, et praecipue illa Beati Leonis Peregi Archiepiscopi Mediolani, cum subtus characteribus indicantibus eius corpus iacere in ecclesia S. Ambrosii Legnani, inibique effigies habet radios circa*

(1) *Cron.* Pozzi cit. (2) *Doc.* n. IV. (3) *Doc.* n. V. (4) *Doc.* n. VI.

caput (1). La seconda, già dedicata a S. Antonio da Padova con la tela raffigurante il Taumaturgo, nel 1707 venne consacrata a S. Diego, ed ebbe più tardi il titolo dei Santi dell' Ordine, come riferiscono i Padri Zaccaria e Benzi, e risulta parimenti dalla pianta del tempio coll' indicazione delle sepolture, eseguita prima della soppressione del convento (2) — La terza cappella teneva il titolo di S. Bernardino da Siena, come lo indicava la pala dell' altare; ma nel 1691, rinnovandosi l' altare, fu consacrato al SS. Crocifisso. L' effigie di Gesù morente in Croce, scolpita in legno, coi cinque angioli raccoglienti nei calici il sangue divino, venne ordinata dal P. Costanzo Calvagna, guardiano di Legnano. Nel 1698 il P. Tunicelli da Milano, guardiano, completò la mistica scena, collocandovi il simulacro in legno, dell' Addolorata. — La quarta cappella, già di S. Diego, nel 1707 fu dedicata a S. Antonio da Padova. L' icone del Santo, scolpita in legno, venne benedetta nella prepositurale di S. Magno, il 13 giugno. Di là con solenne processione, coll' intervento del prevosto, del clero, dei Francescani e di innumerevoli fedeli, la statua venne trasportata in S. Angelo e collocata nel tempietto, costruito con arte. Questa cappella eccelleva per ricchezza di marmi, per dipinti vari e pel cancello di ferro battuto. Secondo la *Cronaca* del Pozzi sul pilastro che divideva la cappella, un tempo dedicata a S. Bernardino, e la cappella dedicata a S. Diego (3) vi era affrescata l' effigie del B. Michele Carcano presso l' immagine della B. Vergine.

A sinistra del tempio altre quattro cappelle. La prima presso la porta d' ingresso, dedicata a S. Pietro d' Alcantara, già patronato Breda, apparteneva al terz' Ordine, costituito da uomini e da donne. La seconda ai Santi Apostoli Pietro e Paolo; la terza all' Immacolata Concezione, in cui si venerava la sacra icone della Vergine; la quarta

Ma i guai dell'oscurità della vasta chiesa sono i convegni amorosi, onde parecchi ne rimangono scandolezzati. Prima della funzione notturna moltissimi si spargono per la campagna e asportano i pali delle viti per accendere il fuoco e riscaldarsi prima di assistere alla funzione teatrale dei frati. Tanto fu vero, che venne spogliata dai pali la vigna di una certa contessa Prato, la quale vuol sporgere querela. Si riprovano i frati, perchè fanno una grande questua per la funzione e raccolgono abbondanti elemosine dai loro terziari, loro narrando i prodigi che opera il S. Bambino (1).

IX.

1776, 10 gennaio. — Altra relazione, di Francesco Lavagna, prevosto di Legnano.

La detta funzione chiama molta gente anche dei paesi vicini, e la funzione vien descritta come nell'altra relazione, il che fa sospettare esserne egli stato autore o per lo meno il movente. Soltanto nell'ultima notte del S. Natale (25 dic. 1775) il Padre Guardiano ridusse le cerimonie, non facendo discendere dalla volta della chiesa il S. Bambino. Accenna però che nel 1774 alla contessa Dugnani-Prato vennero asportati i pali della sua vigna. E siamo infine al lamento riguardo ai frati, che per la circostanza questuano legname ed olio (2).

X.

1776, 13 gennaio. — Relazione del Cancelliere del Comune di Legnano, che descrive secondo verità la funzione della notte del S. Natale in S. Angelo.

Da qualche anno non si fa discendere il S. Bambino dalla volta della chiesa; la funzione è devota ed edificante. È falsissimo, che la chiesa di S. Angelo dei frati rimane priva di lumi, perchè durante l'ufficiatura vengono accese due lampade in tutte le otto cappelle, ed al principio della Messa nel maggior concorso dei fedeli si accendono due candele a ciascuna cappella, fisse alle cancellate. Quindi alla processione del S. Bambino, il quale vien prima incensato sull'altare, i religiosi sfilano in processione coi lumi accesi, e non i terziari, i quali non sono più di 300 di numero.

(1) Arch. Com. di Legnano, *Culto S. Angelo*, n. 1. — Ho riassunto l'informazione.

(2) Ivi, n. 2. — In riassunto.

Il S. Bambino si riporta all'altare e, incensatolo, vien adagiato nel Presepio dal celebrante. Così praticano anche i medesimi religiosi in S. Angelo di Milano nella notte del S. Natale.

Con tale funzione non si allontanano i fedeli dalla parrocchia, dove le cerimonie religiose hanno principio alle 5.30 e durano fino alle 8, dai frati dalle 11.30 alle 14. Non vi possono nascere scandali, le donne restano affatto separate dagli uomini. I danni dei pali avvengono senza le funzioni dei frati, perchè all'avvicinarsi dell'inverno molti, sprovvisti di boschi, usano appropriarsi della legna per riscaldarsi dal freddo. La detta contessa subì il danno nel 1774, ma non nella notte del S. Natale e in una località lontana più di un miglio.

Il padre Guardiano ha proibito qualsiasi questua, perchè il legname necessario vien offerto in prestito ed i lumi vengono apprestati dal convento (1).


P. Paolo Sevesi, O. F. M.

---

(1) Ivi, n. 3. -- In riassunto.



BIBLIOGRAPHIA



Little, A. G. — *Some Recently Discovered Franciscan Documents and their Relations to the Second Life by Celano and the Speculum Perfectionis. From the Proceedings of the British Academy.* — London, Published for the British Academy by Humphrey Milford, Oxford University Press, 1926. — In-8º, 32 pp. — (3 shill.).

Insignis vir A. G. Little hic eam concionem eruditam in vulgus edit, quam « in festo S. Francisci, an. 1926 » coram coetu sollemni patrum conscriptorum Academiae Britannicae habuit, occasione VII centenarii Sancti Assisinatis.

Orationem suam exorsus est, paucis adumbrando (2-4) tenorem codicum: 1) S. Isidori in Urbe n. *1/73* [cf. Lemmens, DAF III, 60-9]; 2) sui ipsius « MS. Little » = Lt [cf. supra, 3-4]; 3) MS. Perusini *1046* (M 69) = P [cf. AFH XX, 462]. — Quia, (ait), « valor et authentia » textuum in P contentorum « adhuc sub controversia est » (4), hos et consimiles textus in suo MS. Lt contentos, conferendos esse recte statuit cum opere quod « universim genuinum esse recognoscitur », nempe cum *Vita II* Celanensis. Quam comparationem perdocte instituit in sex sectionibus sive partibus huius opusculi (4-17), in quibus contendit partim in Lt, partim in P exhiberi textus, quibus Fr. Thomas usus sit qua fonte, cum *Vitam II* an. 1246-47 compilaret. In his argumentandis ob plura quoque Fr. Thomam redarguit, quod fontem suum assertum non sincere adhibuerit, etc. Singulas argumentationes supra examini subiecimus (3-19), ostendentes easdem assumptum non probavisse. Quoniam in idem caesim ferire hic non vacat, alia quaedam ab erudito auctore dicta recensebimus.

Recte animadvertit materias textusve novos in Lt vel P contenta « nihil lucis proicere in problemata genita ex *Legenda trium Sociorum* » (traditionali), utpote quae collectanea a Sociis simul cum Epistola sua 11 aug. 1246 ad Ministrum generalem missa non exhibeat (p. 5 et 17). « *Legenda 3 Soc.* (inquit) summatim [*roughly*] parti I *Vitae II* (n. 3-25) respondet, sed directe neque fons huius est, neque ita ex ea derivavit » (5). Ipsa illa similitudo summaria inter *Leg. 3 Soc.* et II Cel. n. 3-25 hic enuntiata, non quadrare nobis videtur, nam *Leg. 3 Soc.* longe plura continet.

Speculum Perf. maius, ed. P. Sabatier, non iam an. 1227 vel 1228 scriptum ac minime absolutum fuit. Nota chronologica rubricae finalis in originali « vix non, immo indubie » (6), erat *1318* non vero *1227* neque *1228*. Nam, licet aliquod posterius MS. fidelius antiquiore esse

possit (6), rubrica finalis MS. Mazarinei *1743* [et Leodiensis: v. AFH XX, 452] elementum continet (nomen *S. Kunerae* in Umbria perquam ignotae), quod annum *1228* suspicione obruit (7), et tenor *Speculi* congruit cum an. *1318*, nequaquam cum *1227* neque *1228* (7). *Speculum* hoc 'magnam molem materiae primitivae continet, cum quadam peritia litteraria denuo ordinatae [*rearranged*], probabiliter iuxta II Cel., et leviter iterum recensitae [*slightly revised*]. Quae «revisio» adeo leviter facta est, ut materia non de novo exararetur [*a rewriting of the materials*], sed, summatim, substantia et forma originales conservarentur' (18-9).

Speculum Perf. minus, ed. L. Lemmens, «collectio est extractorum sumptorum e recensione antiquiore *Speculi Perf.* [*maioris*], priusquam hoc denuo ordinatum fuit, [*rearranged*], non vero e libro [i. e. codice] Assisano Fr. Leonis» (18; item p. 9), de quo statim.

Anno 1305 Fr. Ubertinus de Casali, *Arbor Vitae*, l. V, c. 3, *Rotulos* Fr. Leonis commemoravit, quos Fr. Leo Clarissis Assisiensibus tradidisset, sed quae partim '*distracti et forsitan perditi*' essent (17). Porro an. 1310-11 Avenione secum habuit hos *Rotulos* sive *Cedulas* originalia Fr. Leonis, e quibus tamen tantummodo [ipsi hoc ita expressius notamus] allegavit *Intentionem Regulae* et *Verba S. Francisci* (17 s.). Uti tunc Fr. Ubertinus dixit: «*Haec omnia scripta sunt per manum Fr. Leonis in libro qui est Assizii et in Rotulis quos habemus*»; cf. ALKG III, 168. — Tunc Little notam chronologicam: «*circa 1310-1311*» toti codici P indebite tributam [cf. AFH XX, 464 ss.] admittens, infert «*compilatorem*» codicis P tunc Assisii laborasse, cum exordiatur «magna collectione bullarum Franciscanarum, quae in solo Sacro Conventu inveniri poterant» (18). «*Legendae antiquae* [in P] fons praecipuus (ait) probabiliter liber [i. e. codex ille Assisanus] fuit». Cum tamen principium et finis *Legendae Perusinae* deficiant, «integrum librum Fr. Leonis non habemus» in P. Tunc Little recte quaestionem movet, utrum ille «compilator... materiam extraneam interpolaverit» et merito difficile creditu censet, ipsum Fr. Leonem in P immiscuisse et interpolavisse nn. 1-3, 18 atque nn. 22-41, i. e. mediam partem trium in P. Cf. dicta hac de re supra, p. 16-7. — Prosequitur dicens, in P ordinem materiae perfectiorem esse quam in aliis MSS. similibus [id quod in dubium vocare licet], et opinatur suum MS. Lt derivasse e *Cedulis* Fr. Leonis, non e codice eiusdem, e quo P derivaverit (18).

Hypothetice proponit (19), P cohaerere cum codice LVIII bibliothecae S. Conventus notato in *Inventario* eiusdem an. 1381, quod ed. L. Alessandri, (Assisi 1906), p. 14. — Quae res erudite hic primum dicta est. Ast cum iste codex, deperditus, non eodem modo dispositus fuisse appareat, vix quidquam certi erui modo poterit [v. AFH XX, 463]. Pars praecipua (nostra in re) sic in *Inventario* illo notatur: «*Vita maior b. Francisci. Et de legendis sive dictis suis antiquis*». Dolendum quod auctor *Inventarii* illius adeo brevitati studuerit.

E dictis a Fr. Ubertino solummodo *Intentionem* et *Verba* respicientibus, vix tenor valde varius et longe ditior codicis P (seu prototypi sui Assisani i. e. codicis Fr. Leonis) induci potest. — Insuper quamvis

bullae Assisii maxima cura conservatae fuerint, plures periisse nemo negabit. Attamen mirandum est, quod e 16 bullis adnotatis in II paragrapho e P, ap. AFH XV, 3-4, nunc Assisii deficiant nn. 4, 7, 8, 10-3, 15-6, id est 9 bullae. Cf. *Bullar. S. Conventus*, editum ap AFH VIII-XIII; v. XIII, 572-5. Immo hae bullae, si unquam ibi adfuerunt, iam diu deficiunt; cf. Eubel, AFH I, 602-4, 616 et Alexandri, ib. VIII, 592s. Inde iam inferre licet, collectorem harum bullarum in P, pluribus in locis eas collegisse, non simpliciter Assisii; sicque statim etiam cohaerentia P cum codice illo Assisano sive Fr. Leonis sive cum altero anni 1381 laxior esse apparet, quam supra a Little supponebatur. Caeterum non credimus Fr. Leonem bullas et privilegia pontificia collegisse in unum.

Altera pars (22-32) opusculi eruditi constat V tabulis synopticis, summa diligentia collectis, maximaeque utilitatis omnibus easdem consulturis. In eis, relata in capitibus 1-167 sive in paragraphis 26-224 partis II *Vitae II* Celanensis componuntur cum textibus utcumque affinibus, qui leguntur in codd. P et Lt, in iis quae ed. Lemmens, ap. DAF I et III, et in *Speculo Perf.* ed. Sabatier. In ordine praenotato quodlibet dictorum scriptorum, in tabella quintuplici, primo in loco iuxta seriem rerum in eo contentarum, aliorum vero scriptorum loci paralleli, ubicumque inveniantur, apponuntur. Talium tabularum peritiam et amorem auctor ostenderat an. 1902 ap. *English Hist. Review*, XVII, 675-7, similem synopsim quintuplicem redigens inter *Spec. Perf. maius, Spec. Perf. minus, Intentionem* et *Verba, Legendam 3 Soc.* ed. Civezza, atque II Cel. Quae tabula omnibus patet etiam ap. *Misc. Franc.* IX (1902), 141-3. — Tabulae collector peritus conscius sibi est (19), istiusmodi laborem difficillime omnibus numeris absolutum iri. Ideoque aliqua, maioris utilitatis et correctionis ergo, hic subnotamus. — Ipsa methodus talium tabellarum hoc secum fert, ut numeri numeris in eis comparati, revera in ipsis textibus non aequiparentur, cum interdum non de integris numeris (seu capitibus vel paragraphis) agatur, sed de fractionibus. Consultum esset aliquo artificio typographico talem diversitatem inter numeros integros et fractiones ante oculos ponere. — Pag. 24 ad P n. 42-48 in III columna *Leg. vetus* (Lemmens), c. 1-7 praeponenda erat *Speculo min.* 24-27. — Ibid. ad P n. 21 in IV columna adde: II Cel. 216 et 217. — In quam columnam infra recte assumpsit etiam e II Cel. parte I, nn. 21, 22 atque 18, 19. — Pag. 25 in IV col. ad P n. 100a adde etiam II Cel. 163, 195, item p. 29, col. IV, ad *Intentionem*, c. 7. — Pag. 30, col. III ad *Spec. Perf. maius*, c. 2 adde Little, n. 82. — Ibid. col. V ad *Spec.* 22 et II Cel. 77 adde etiam n. 72 (quem deleas p. 31, col. V, lin. 1). — Pag. 31, col. V, ad *Spec.* 69 adde II Cel. 195. -- Pag. 32 ad *Spec.* 123 et II Cel. 214 addas etiam n. 217.

Quemadmodum sapientes venerandique patres conscripti Academiae Londiniensis prioris partis oratione erudita in consessu sollemni oblectabantur, ita alii alteram opusculi partem, numeris scatentem ac constantem, perquam utili commodo nunc adibunt.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Kleinschmidt, Beda, O. F. M. — *Die Basilika San Francesco in Assisi: III Band: Dokumente und Akten zur Geschichte der Kirche und des Klosters.* — Berlin, Verlag für Kunstwissenschaft, 1928. — In-fol. (40×30 ctm.), [VI], 133 pp. — (RM. 50).

Hoc volumine tertio, quod duobus prioribus mole et pondere materiali (id quod evolventium manus grate persentiunt) impar est, R. P. Beda Kleinschmidt opus suum splendidissimum ac magnificentissimum Basilicae Assisanae S. P. Francisci illustrandae dedicatum feliciter digneque absolvit.

Primum volumen prodierat an. 1915, secundum an. 1926 (cf. de eis AFH XIII, 602-8: XX, 168-73); tertii praefatio ab auctore subsignata est die IV oct. 1927. Qua in praefatione (p. III-IV) grati sui animi sensum pandit erga A. R. P. Richardum Breisig, qui Minister Provinciae Saxoniae (1909-15; obiit vero 30 oct. 1923) operis Maecenatem egit, « quatenus Franciscanus Maecenatis partes agere potest ». Operi etenim parando et monumentis artis in perinsigni illa Francisci humillimi et pauperrimi basilica resplendentibus et exuberantibus, digne et accurate typographice exprimendis, ope omnium adminiculorum quibus techne moderna pollet, nec impensae nec labori ullis parcere visum est: v. AFH XIII, 602-3. — Hoc autem in tertio volumine non iam monumenta illa oculis legentium sive delectabiliter spectanda sive perite describenda offeruntur, sed documenta propalantur, quae historiam permagnificae illius ecclesiae utcumque illustrent.

Documentis praemittuntur *Notitiae circa Archivum Sacri Conventus* (1-2), quae nituntur praesertim in iis quae b. m. L. Alessandri et cl. v. Fr. Pennacchi exposuerunt ap. AFH VII, 66-75, in Praefatione ad ibi edita *Inventaria basilicae Assisiensis* an. 1338 (76-90), an. 1473 (90-107), an. 1370 (294-312) atque an. 1430 (312-40). Quibus adde collecta a P. Aegid. Giusto, *Le vetrate di S. Francesco in Assisi*, Milano 1911. 35 ss.; (cf. AFH V, 766 ss.). — Exin integra eduntur 11 nova documenta circa basilicam ab an. 1229 usque ad 1330 pertingentia (3-7). Primum est donatio inter vivos, qua « *Fr. Scangno de Collemancie* [Collemaggio prope Tudertum] *recipienti pro ecclesia S. Francisci Assisinatis... petia terre silvate* » in colle huius ecclesiae datur, 31 iulii 1229. — Secundum est apocha solutionis *pro opera S. Francisci* factae vigore alicuius testamenti: 4 sept. 1232. De quo testamento « *Fr. Gentile* (sic) *arbitraverat* » (3). — In tertio, 27 maii 1239, « *Fr. Helias, dominus et custos ecclesie S. Francisci Asisinatis et Fr. Iacobus de Mera*[*gna*] *sindicus et procurator dicte ecclesie et conventus* », stipulantur circa lapides: « *tibertini magni* ». (vulgo: *travertini*) quibusdam civibus Assisiensibus restituendos. « *Actum apud dictam ecclesiam S. Francisci* », praesente cum duobus saecularibus, « *frate Ianne de Laudibus* » (3). Id est Fr. Iohannes '*pugil* ille *Florentinus*', memoratus in II Cel. 182, 15 s.

In documento quarto (3-4), 15 oct. 1241, Iohannes Angeli et 4 sui fratres ' petiam terrae ' cedunt: « *Fratri Gentili pro ecclesia S. Francisci*

recipienti et Ianni procuratori et sindico ipsius ecclesie ». E 'pluribus' Fratribus « *ipsius loci* » qui « *refutationi* » seu cessioni consenserunt, decem nominatim adducuntur; inter hos sunt duo homonymi: « *Nicolaus de Trevixio* et *Fr. Ropertus de Roma, Fr. Masseus Maringani* ». Qui proculdubio est Fr. Masseus, unus e Sociis S. Francisci, quamvis non e primis; an. 1246 inter eos fuit qui de S. Francisco memorias suas dictaverunt (cf. AFH XX, 447). Unde iam ex ipsius mora in Sacro Conventu an. 1241, divergentia inter hos Fratres et alios 'strictiores' non nimis praedicanda est. Caeterum hoc instrumentum iam allegaverat P. Sabatier, *Spec. Perf.* 168. — In quarto documento, 1 ian. 1243 pro campanis ecclesiae pecunia solvitur: « *a Fratre Ibbodone* [i. e. Oddone] *provinciale, ministratore ecclesie S. Francischi* » iuxta « *promissionem* [quam] *nobis fecit antecessor vester Fr. Albertus, olim ministrator dicte ecclesie et ordinis generalis* » (ita casus in vulgaris idiomatis forma male constructos hic restituimus). — Albertus Pisanus, electus mense maio 1239, obierat an. 1240 ineunte; successor ipsius Fr. Haymo Anglicus munus illud obire noluit; cf. bullam 13 dec. 1240 ap. BF I, 288. — Documentum VI et VII sunt an. 1246 (4-5). — Documentum VIII (5-6) est testamentum (iam saepius alibi ab aliis allegatum sed non editum) *Iohannae filiae qu. Benvenuti Bonaventurae; actum in ecclesia S. Francisci,* 8 april. 1258, in quo plurima legata pia pro ecclesia dicta aliisque constituuntur: « *Item relinquo domine Iacobae de Roma IIII libras pro indumentis et fratri Leoni pro una tunica XXXX sol.* ». Eadem summa pro tunica legatur duobus aliis Fratribus *Bartolo* et *Petro de Albe.* — Reliqua tria documenta integre edita (6-7) sunt an. 1264 (Nicolai de Carbio, O. F. M., tunc episcopi Assisinatis), 1311 et 1330.

Tunc editur e MS. *148* (seriei modernae) bibliothecae municipalis Assisiensis antiquissima descriptio basilicae, quam Fr. Ludovicus de Petralonga, O. M. Conv., († 1580), lingua vernacula composuit (8-26). Minutiosa et accurata est in pluribus, effusa interdum in alias res; magni est valoris, licet lectu haud facilis, propter sententiarum intricatam et saepe quasi neglectam constructionem, quam editor forte interpunctione abundantiore lucidiorem reddere potuisset. Cui tamen concedendum est, tale conamen in huiusmodi descriptionibus periculis non carere. — Quinto loco denuo, usus editione apud hoc nostrum AFH VII, 96ss. factam, P. B. Kl. edidit (sola) *Inventaria* basilicae annorum 1338 et 1473 (30-45), quibus aliud subiunxit inventarium ditissimum, an. 1719 confectum (45-64).

Minora sunt quae tunc sequuntur: *Elenchus sepulcrorum* in basilica et coemeterio, an. 1509 compositus a Fr. Galeotto, O. M. C. (65-7); *Elenchus eleemosynarum in festo Portiunculae* oblatorum a peregrinis, praesertim « in fovea S. Mariae » de Angelis et in « fovea S. Francisci », an. 1381, 1382, 1388, 1400, 1428, 1431-66 (68-9); *Catalogus Custodum S. Conventus,* 1228-1912 (70-2). — His statim addimus, in fine (107-12) integram bullam Benedicti XIV, *Fidelis Dominus,* 25 martii 1754 (cf. AFH XI, 239), qua ecclesia capella papalis declaratur et *Caeremoniale* in ea observandum (113-20). Succedunt in fine Index alphabeticus vol. I et II (121-8) atque specialis vol. III (129-33).

His notatis, regredimur ad num. 9: *Regesta circa historiam ecclesiae et conventus* (73-106), quae quodammodo partem centralem huius voluminis III constituunt et numeris 951 consistunt, ab an. 1228 ad 1793 pertingentibus. Haec Regesta ea universa continent, quae ad historiam et fata utriusque, videlicet ecclesiae et conventus, quocumque modo spectant. Saeculi XIII sunt priores numeri 1-98; tunc e saec. XIV, numeri 99-282; dein e saec. XV, nn. 283-682, — haec series omnium profecto ditissima est; — postea e saec. XVI, nn. 683-783. Subsequuntur nn. 784-903, qui saec. XVII sunt; subduntur denique e saec. XVIII nn. 904-951. —. Antiqui archivi Sacri Conventus (cf. AFH VII, 67 ss.) libri dati et accepti nulli e saeculo XIII ad nos pervenerunt, pauci e saec. XIV, id est inde ab an. 1352. Hinc fit, ut tempus quo ecclesia duplex aedificata est et operibus celeberrimis maximorum pictorum parietes mire exornati fuerunt, alto silentio contegatur (cf. etiam Eg. Giusto, *Le vetrate*, 25 ss.; AFH V, 767 ss.), dum econtra circa minimas expensas temporis sequioris saepe notitiae nobis suppetunt. Quarum plures lectu iucundiores sunt, v. gr. circa « *salsitias* » ad Legatum pontificium Cardinalem Aegidium Albornoz portatas (n. 192; 6 febr. 1362), etc. Hic caeterum insignis fuit basilicae benefactor. Circa reparationes factas in fenestris depictis, in tectis, in cellis etc. minutissimas res discimus. Supersunt contractus et solutiones pro sedilibus magnificis chori superioris ecclesiae, quae fieri fecit (1491-1501; n. 671, 681 ss.) Fr. Franciscus Samson, Minister generalis, qui etiam porticum fornicatam ante ingressum ecclesiae inferioris construi curavit (1486; n. 631 ss.). In ea sculpi iussit insignia Ordinis: « *l'arme de l'ordine cum la corda de S. Francesco* », una cum suo nomine (13 dec. 1486; n. 636); imaginem habes in vol. I, p. 6; cf. ibid. 82. — An. 1451 et 1452 « *orologium* » seu « *orislogium* » immo « *orislocium* » magnum (pro ecclesia) ibi construebatur (n 474 ss.). An. 1702 P. Vincentius Coronelli, Minister gen. O. M. Conv., novum horologium ex aere cyprio deaurato donavit (n. 905). — An. 1667 floreni 16 soluti sunt aurifabro cuidam, qui in statua S. Francisci caputium ad modum Conventualium adaptaverat (n. 857). — An. 1445-49 novum « *armarium* » pro libris confectum est, cum fenestris, cratibus et catenis pro codicibus catenandis (n. 431, 449, 461 ss.). — In Regesto n. 29 legas: *Iacoba de Roma* pro *Iacoba de Settesoli*, testante documento integro edito p. 5-6; de quo supra, p. 131. — Ast finem non faceremus, si omnia notatu digna vel brevissime hic recensere vellemus. — Plurimas autem notitias his Regestis addidisset auctor, si etiam *Bullarium S. Conventus* quod ap. AFH VIII-XIII (1915-20) ediderunt iam laudati auctores L. Alessandri et Fr. Pennacchi evolvisset. Ex ipsius numeris aliquot hic recolimus, v. gr. n. 141 (an. 1259): 203, 277, 286, 288, 291 (circa apothecas in platea S. Francisci, iam 1451). 292-301, 303-4, 306, 310, 313-16, 360 ss., 444 ss., 508 ss. etc.

Iuvat hic notare, ne Assisii quidem formam nominis maximi civis et sancti firmam fixamque fuisse, licet forma *Franciscus, Francisci* omnino aliis praevaleat. Documenta has formas offerunt: *Francisi*, quater occurrit in doc. 10, 16 iulii 1311 (p. 6-7); *Franceschi*, in doc. V,

an. 1243 (p. 4a); *Francissi* (p. 4b; in cit. doc.). Eadem forma genitivi adhibita est in Regestis, n. 56, an. 1271; n. 73, an. 1281; n. 98, an. 1299; n. 99 (in quo ter occurrit), an. 1300; n. 179, an. 1360 etc. Forma *Francissci* in doc. an. 1241 (p. 4a); in Regestis, n. 46, an. 1262; n. 60, an. 1275; nn. 65 (quater adest), 66, 68, an. 1278; n. 90, 92, an. 1291; n. 94 (hic sexies recurrit), an. 1294; n. 101, an. 1315; n. 104 et 105, an. 1317; n. 205 (ter repetitur), an. 1363; n. 212 et 213, an. 1372; n. 217, an. 1374 etc. Forma *Franciscci* in doc. an. 1241 (p. 4a) dubiae lectionis esse videtur. In aliquibus documentis formae variae eiusdem nominis usurpantur. — In doc. II, 4 sept. 1232 (p. 3a), nominatur *Cichus Tinguli*, Assisiensis, ut videtur. — Plurimis in Regestis actor est qua *syndicus, administrator, oeconomus* vel *procurator* ecclesiae et conventus S. Francisci ab an. 1258 usque ad 1281: n. 20 [doc. VIII, edit. 5-6], 32-7, 40-2, 44, 51, 56, 60, 63, 65-6, 70: *Picardus Angeli*, i. e. filius Angeli, fratris S. Francisci. Ultimum documentum est testamentum cuius fideicommissarius constituitur, 17 april. 1281. Munus autem illud iam tenebat 27 maii 1256; cf. *Boll. Soc. Umbra di st. pat.*, XI, (1905), 546.

Quotquot volumina tria operis istius pulcherrimi et doctissimi, in quo Assisinatis basilicae magnificentissimae monumenta digne illustrantur, evoluturi sunt, una nobiscum auctori, ob eiusmodi opus strenuo conamine audacique animo susceptum ac felici fine nunc absolutum, gratias persolvent debitas, gratulationesque habebunt sinceras.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Kleinschmidt, Beda, O. F. M., Dr. theol. — *Maria und Franziskus von Assisi in Kunst und Geschichte. Mit 1 Farbendruck, 33 Tafeln und 50 Textbildern.* — Düsseldorf, Verlagsbuchhandlung L. Schwann, 1926. — In-4°, XVII, 147 pp.; illustr. — (Linteo toto relig. RM. 18). — (*Franziskus und sein Werk in Einzeldarstellungen*, I).

Hoc volumen novam inaugurat seriem, S. Francisco eiusque operibus monographice describendis et illustrandis consecratam. Primitias seriei inspiciens, statim eam dices iconographicam. Verbis limatis et imaginibus exquisitis S. Franciscus monstratur et explicatur in suis ad B. M. Virginem multis variisque relationibus, tum historicis, tum legendariis, tum plus minusve ab ipsis artificibus inventis. Alterum volumen, eodem modo de Christo ac nostro Fundatore tractaturum, brevi addere intendit cl. P. Beda. Simile studium de principalioribus Sanctis franciscanis relinquitur aliis, e quibus Dr. Ewald Müller et Dr. Hieronymus Trumpke, uterque O. F. M., cum P. Beda nomen et manum praestant seriei. Si, ut coeptum, protrahi licet hoc opus, non solius prophetae est praedicere ipsum constituturum iconographiam franciscanam omnino singularem, sed et maximi pro historicis artificibusque momenti.

Iure merito cl. A. laborem suum divisit in duas Partes easque, pro rei discussae natura, extensione inaequales. Harum prima (1-16), quae

quasi introductoria dici posset, historia duce considerat relationes varias ac intimas B. M. Virginem inter et cultorem eius eximium S. Franciscum. Summatim ita texitur S. Fundatoris vita, ut praeprimis insistatur in omnibus quae intimum pandunt cultum ipsius erga Dominam. Res non novas tali tamen modo tangit P. Beda, quod conclusio fortius stringens et latius patens quasi omnino nova appareat. Quandoque hic certa cum incertis paululum miscentur. Quod cum ratione est factum prudenter; legendaria enim quandoque maiorem exercuerunt influxum in sanctos coloribus lineisve repraesentandos.

Secunda Pars (17-135) investigat, cur et quomodo artifices saepe saepius S. Franciscum iuxtaposuerint B. V. Mariae. Ut in tanto numero imaginum maxime variantium cum ordine procedatur, hanc Partem apte subdivisit cl. A. in duas Sectiones. Quarum prima (17-54) verbis bene ponderatis et imaginibus selectis principaliora B. Mariae in terra viventis illustrantur facta, privilegia mysteriaque, quibus Assisiatem pie assistere faciunt pictores. Enumerari liceat generatim repraesentationes Immaculatae Conceptionis, annuntiationis, nativitatis infantiaeque Pueri Bethlehemitici, fugae in Aegyptum, Virginis cum Filio et inter parentes, effigies quae vulgo *Selbdritt* dicuntur, i. e. *Mettertiae* (insimul S. Annam, B. Mariam et Iesum Infantem exprimentes), Matris Dolorosae, Pentecostes, transitus B. Mariae.

In altera vero Sectione (55-135), quae non solum longior est, sed et uberior nobis videtur, cl. A. considerat Virginem in coelis gloriosissimam, in quantum humilis Franciscus, vera arte reproductus, eiusdem gloriae vel simpliciter adest, vel B. Virginem pia mente meditatur, eidem supplicat, eamve admiratur. Primo loco veniunt numerosae imagines, in quibus s. Franciscus et alii Sancti thronum Virginis circumstant. Excipiuntur, ut statim specialius tractentur, illae picturae quae « Sacrae Conversationes » sunt dictae et personas sanctas repraesentatas intimiori quodam nexu inter se uniunt. In tertio imaginum genere S. Franciscus non solum cum Sanctis sed etiam cum Angelis throno B. Virginis assistit. Novum genus imagines illae constituunt, in quibus Patriarcha noster apud Matrem misericordiae intercedit pro sibi devotis generatim vel speciatim pro pestiferis et contagione periclitantibus. Perantiqua legenda iam habebat quod Deus saeculo XIII mundum peccatis plenum severe puniisset, nisi B. Maria duos indicasset viros, S. Franciscum scilicet et S. Dominicum, qui virtutibus, exhortationibus et sequacibus suis homines a viis pravis averterent. Quae legenda evolutionem accepit tempore pestium saeculi XIV et XV, sicque S. Franciscus inter speciales contra luem patronos coli coepit. Cui cultui correspondentes imagines prior forsan Italia produxit, ubi affines remanserunt repraesentationibus B. Mariae suo mantello devotos suos protegentis. Vix non eodem tempore prodierunt etiam in Germania, ubi xylographice minoribus tamen dimensionibus fuerunt valde vulgatae. Tandem in terra Belgarum P. P. Rubens vivacem bis pinxit S. Franciscum corpore suo totum orbem contra flagella irae divinae in tutum ponentem. Sequuntur S. Francisco factae visiones seu apparitiones B. Mariae cum Filio. Non

rarae sunt tales picturae, in quibus B. Mater Puerum brachiis imponit eximio cultori humanitatis Christi, licet hodie hoc privilegium S. Antonio magis reservetur. Saepius tamen artifices effinxerunt apparitionem Christi et Virginis in sacello Portiunculae, unde traxit nomen indulgentia illa famosissima. Inter primos fuit Hilarius a Viterbio, idque a. 1370 pro altari in ipso sacello S. Mariae Angelorum. Notissimae merito sunt huius generis a Murillo elaboratae picturae.

S. Dominico ascribitur vulgatio rosarii; ab huius autem Regina non tantum abfuit S. Fundator noster, qui, ut legenda fert, Honorio III rosas miraculosas attulit in probationem indulgentiae a Christo immediate obtentae. Influxum insuper magnum Patriarchae filii exercuerunt in hac devotione multiformiter promulganda. Hinc S. Francisci quasi ius Reginae Rosarii assistendi, quodque optime recognoverunt expresseruntque artifices. Minus obviae ac speciales sunt rationes ob quas, maxime apud artifices italos, S. Pater Assumptioni gloriosae praesens sistitur. — Pluries iam a saeculo XIII cum aliis Sanctis adest Franciscus coronationi Reginae Sanctorum. Omnibus notae sunt tales imagines, puta a B. Angelico, ab Andrea della Robbia, a Pinturicchio, coloribus vel lineis magistraliter effictae. — Tandem illustrandae describendaeque veniunt imagines, quae B. Virginem caelesti gloria circumfusam repraesentant, simulque S. Franciscum in terra vel et ipsum in coelis de tanta exaltatione meditantem.

Iure merito ubique hoc opus applauditores invenit. Quasdam facere tamen liceat observationes. Annotationes, quae non paucae nec sine valore sunt, relegantur omnes versus libri finem, ita quidem ut numeri non continui sequantur sed pluries a primo inchoent. Haec methodus non solum lectoribus studiosis incommodum affert, sed eos errorum periculo exponit, uti et ipsum cl. A. reapse in errores iam induxit. Quod cuique patebit conferenti numeros 51 ss. in textu (p. 14-16) cum iisdem in notis (p. 138). Insuper numeris 22[a] (p. 29), 27[a] (p. 32), 4[a] (p. 58) nil correspondet in numeris annotatis. Lector attentus facile corriget annum 1269 (non 1259, p. 14) capituli, missam sabbato (non dominica p. 138) cantandam praescribentis. In subscripto imagini 3 (p. 27) S. Bonaventura propter praesentiam leonis locum suum cedere debet S. Hieronymo. Pro Ioseph ab Alexandria (p. 51) leges I. ab Arimathea. In descriptione (p. 19 s.) picturae Immaculatam Conceptionem repraesentantis, quae in ecclesia S. Francisci Faesulis servatur, A. sequitur ducem Montgomery Carmichael; cf. AFH III, 159 ss. De S. Bernardo vero, ibi secundum quosdam repraesentato, dubitat. Mirari certe licet, quod tabulae inscriptionum, a sic dictis Francisco et Bernardo portatae, colore totaliter differant ab aliis tabulis. Quod correctionis suspicionem ingerit. Sed si revera inscriptiones sunt mutatae, ipsae amplius forsan non indicant personas ab artifice intentas. Finem facere oportet, ne longius observationibus ingratis inhaerere videamur, ubi tanta sunt optime illustrata imaginibus verbisque.

P. Donatus van Adrichem, O. F. M.

— — *Sociedad Española de amigos del arte. — Exposición Franciscana. VII Centenario de la muerte de San Francisco de Asís. Catálogo general ilustrado. Madrid, Mayo y Iunio, 1927.* — Biblioteca Franciscana: Barcelona, José Vilamala; Madrid, S. Fermín de los Navarros, 1927. — In-4° mai. (23×32 ctm.); 165 pp. et LXI tabulae; linteo relig. — (30 Pes.).

Rogantibus Franciscanis, illustris societas Hispana « Amicorum Artis », Matriti, aedes suas animo libenti proclivoque praestitit « *Expositioni Franciscanae* » inaugurandae occasione VII Centenarii transitus S. P. Francisci. Viris illis quibus negotium datum erat, ut expositionem pararent, a Summo Pontifice facultas facta est etiam monasteria Sanctimonialium ingrediendi, e quibus opera insignia artium colligerent. postmodum eisdem fideliter restituenda (5-8). Hinc factum est, ut 25 monasteria Sororum, 6 conventus Fratrum atque complures viri perillustres concurrerint Expositioni ditissimae ac splendidissimae adunandae, quae publicae admirationi patebat mensibus maii et iunii an. 1927. Operum collectorum maxima pars a profanis spectatoribus numquam erat visa. In exponentium elencho (135-6) primo in loco recensetur S. M. Augustissimus Rex Hispaniae.

Exhibitionis permagnificae Catalogus prodiit munificentissime adornatus, in quo singula opera artis picturae potissime, sculpturae, lignariae, texturae, etc. brevibus describuntur, numeris 258; quibus 35 aliae res, mobilia etc. subdendae sunt (139-56). Aderant quoque plures codices miniaturis eximiis exornati (nn. 178-84), bullae 4 Alexandri IV, nn. 187-90), autographa Ven. Mariae de Agreda (nn. 185, 195-6), etc. Tabulis 61 zincotypicis picturae quaedam praecipuae, statuae, aliaqua opera sive ibi exposita, sive artis franciscanae in Hispania historiam collustrantia, nitidissime lectorum oculis offeruntur. Has inter ultimas res sunt prospectus aliquorum conventuum, Compostellae, Tordessillarum, Toleti (magnificae architecturae conventus: *San Juan de los Reyes* etc.), tabulae 54-60). — Tabulae 22-24 effigies sunt sororis *Hieronymae de la Fuente*, O. S. Cl., Toleti dein Manilae, in qua pictura tandem occasione huius expositionis recognitum est signum auctoris: « *Diego Velásquez f(ecit) 1620* ». — Plurimae tabulae S. Franciscum exhibent: stigmatizationem (tab. 12, 20, 31, 38); quomodo Sanctus Angeli 'citharistae' melodias suavissimas audiverit (tab. 32, 35); in aliis S. Franciscus orans conspicitur sive coram cruce, sive calvariam in manu tenens (tab. 17, 18, 19, 30, 39); Angelus ei 7 privilegia Ordinis sui nota facit (29) etc. — In tab. 27 habes quoque effigiem S. Bernardini Senensis cum nominis Iesu tabula. — Tabula 12, saec. XV, stigmatizatio est sub triptycho gothico, expressa eo modo quo apud Pisanum, AF V, 390 et ap. *Fioretti, III consid. sulle stimmate,* (ed. B. Bughetti, 216-7) describitur, ita nempe ut mons Alverna totus illuminaretur, id quod pastores et itinerantes stupentes cernebant. — Tabulae 61 universim 75 imagines

complectuntur. — Complurium aliorum Sanctorum Ordinis imagines in expositione admirari poterant eam invisentes (nn. 60ss.).

Catalogum tabulasque selectas praecedunt sex dissertationes aliae eloquentes, aliae eruditae, eae scilicet quae de historia artium in Hispania tractant, quatenus Ordines S. Francisci attingunt. — Juan R. de Legisima, O. F. M., *Flor de los Caballeros* (9-18). Post elogium disertum S. Francisci (8-16), auctor «*epopeya del franciscanismo en España*» celebrat. — Manuel Bandin, O. F. M., *San Francisco y la Orden Franciscana en España* (19-50). A Sancto Hispaniam petente exorsus (19-24), auctor facunde disserit de Ordinis in Hispania propagatione atque de variis modis quibus in Hispanos fructiferum, salutiferumque influxum exseruerit (24-36) in patria et in vastissimis coloniis olim Hispanis subiectis (36ss.). Allegat etiam versus vernaculos (25): «*O por fraile, o por hermano | todo el mundo es franciscano*»; in quibus *hermano* designat Fratres Tertii Ordinis, ibi admodum florentis (42-6). — Paulino Mª de Cervatos, O. M. Cap., *Personajes Franciscanos Españoles* (51-76), ob nominum perillustrium catervam, copiamque plurimam, nonnisi selectum elenchum hic praebere potuit.

Marques de Montesa, *San Francisco en la Pintura* (77-108). Prius de pictoribus Italis sermo fit (77-85), deinde de Hispanis, saec. XIII-XV (86-8), tum saeculorum sequiorum, praecipue de: *El Greco* (89-92), Franc. Ribalta (92-3), de Franc. Zurbarán (92-3), de Barth. Steph. Murillo (94), de Fr. Jos. de Goya (95) etc. Subnectitur utilissima: *Apéndice: Relación sumaria de los principales artistas que en España han pintado obras referentes a S. Francisco de Asís, y lugar donde ellas están o han estado* (99-108). — Pedro del Castillo-Olivares, *La escultura franciscana en España*, (109-15). Sculptores Hispani lignum marmori praeferebant; influxum spiritus franciscani auctor recognoscit 'in realismo ascetico, qui inspiratur mysticismo quodam exaltationis spiritualis' (111). — El Conde de Cedillo, *La arquitectura franciscana en España* (117-32). Perdoctam hic habes adumbrationem architecturae in Ordinis conventibus Hispaniae, quorum plurimi breviter quidem, sed perite memorantur sive describuntur. Aliquot inter 'monumenta nationalia' computati sunt, v. gr., ipso auctore illustrissimo agente, conventus magnificus Toleti; cf. ipsius auctoris; *La iglesia de San Juan de los Reyes, su claustro y edificio anexo en Toledo; Informe académico*, Madrid 1926. — In parte antica teguminis huius libri sumptuosi, linteo contecti, prominet caput S. Francisci, in tympano portae lateralis cathedralis Burgensis, lapide exculptum, saeculo XIII. Diu imago vera S. Francisci habita fuit haec facies, quae est viri cum barba mentum paulo superfluente, caputio orbiculariter circumvoluta (cf. p. 110 et tab. 53; v. etiam AIA I, 443s.).

Universorum plausu assensensuque confratribus Hispanis, virisque eximiis, qui Expositionem istam franciscanam successu felici paraverunt, hocque insigni volumine memoriam eiusdem sollemnem servaverunt, ex animo gratulamur.

P. Michael Bihl, O. F. M.

1. **Chiappini, Aniceto,** P. [O. F. M.] — *L' Abruzzo Francescano nel secolo XIII. Ricordo storico del VII Centenario della morte di S. Francesco d' Assisi. 1226-1926. Estratto dalla Rassegna di Storia e d' Arte d' Abruzzo e Molise, Anno II, n. 3-4, 1926.* — Roma, tipogr. delle Mantellate, 1926. — In-8º, 52 pp. (con 10 illustrazioni). — (L. 5).

2. **Idem.** — *Profilo di Storia Francescana in Abruzzo dal secolo XIV al XVI. Estratto dal Bullettino della R. Deputazione Abruzzese di Storia Patria, Serie III, anno XVII (1926).* — Aquila, offic. graf. Vecchioni, 1927. — In-8º, 63 pp. — (L. 2). — Ambo opuscula veneunt ap. Auctorem: « Convento S. Giuliano presso Aquila ».

1. Ideo de ista dissertatione docta hic dicimus, quia « *Aprutium Franciscanum saeculo XIII* » et XIV, videlicet patriam regionem sive provinciam Fr. Thomae Celanensis illustrat. — Iam an. 1205, ait auctor (3-4), iuvenis Franciscus Aprutium peragrasset, si revera cinguli militaris sibi comparandi causa, ad Gentilem de Palearea, qui cum fratribus suis Gualtero et Manario contra Gualterum de Brena (Brienne) armis dimicabat, perrexisset. In eam regionem Sanctum abiisse censet statim post Concilium Lateranense (nov. 1215). Cuius itineris an. 1216 peracti vestigia deprehendi posse arbitratur, v. gr. in II Cel. 85, ubi de Tibure, de Celano et de episcopo Marsorum, item in quibusdam traditionibus et inscriptionibus plus minusve antiquis seu recentibus (5-9). Secundum iter S. Franciscus suscepisset an. 1222: cf. III Cel. 41 et *Leg. mai.* XI, 4, v. supra, 28. Tunc non solum totam Marsicam peragrasset (9-13), sed etiam in episcopatum Soranum descendisset (13-5). Quod auctor inducit e miraculis S. Francisci (sed post obitum ibidem perpetratis), praesertim Vici Albi (cf. III Cel. 72, 131, 171, 187; cf. supra, p. 31). Ibi fuisse dicitur olim antiqua [?] pictura muralis S. Francisci et Angeli ipsi ampullam crystallinam plenam aquae limpidissimae monstrantis, qua sacerdotii symbolum, unde S. Franciscus ad illud numquam ascendere voluisset (13). — Res ista ap. Waddingum non reperitur, sed in Marco Ulyssiponensi. *Croniche*, l. I, c. 41, n. 143, qui tamen rem nulli loco affigit, neque fonte mallegat. — Sanctum Corvarii fuisse infertur ex caputio suo, ibi in sui memoriam relicto (11) et e miraculo narrato a Barth. Pisano (AF V, 502), de quodam ministro *Fratrum de Poenitentia in castro Corrariae.* Hunc P. An. Ch. non dubitat eumdem fuisse cum Bartholomaeo Barone, amico S. Francisci. Sed haec res saltem valde dubia est (cf. B. Bughetti, ap. AFH XX, 560-2).

Tunc de Provincia Pennensi et de singulis conventibus eiusdem sermo eruditus protrahitur (16-47). Notitiae hic recollectae saeculum XIII et XIV attingunt, ita ut pro documentorum penuria vel copia de aliis multa, de aliis pauca proferantur. Provinciam Pennensem constitutam esse censet an. 1230, licet, ait, tantummodo documenta anni 1239 eam

tunc exstitisse demonstrent. Fuit enim e numero 32 Provinciarum an. 1239 stabilitarum. Orta esse conicitur (15-7) e Provincia Terrae Laboris, seu Neapolitana, quod revera probabilius est (quam eam e Romana provenisse), quia Provinciae territorium erat intra fines regni Neapolitani. Non tamen liquet, utrum iam inter Provincias a Fr. Helia (1232-39) 'enormiter' multiplicatas exstiterit, sed hoc in se valde est probabile. — De conventu Taliacotii agens etiam de Fr. Thoma de Celano loquitur (33-4). Eiusdem imaginem oleo depictam saec. XVIII, in municipio Celani exstantem refert (34). — Primum folium *Missali Franciscano Fr. Thomae Celanensis* in antiquo conventu Taliacotii servato, saeculo XVIII appositum est a P. Nicolao Colagreco, O. M. Conv., (33), qui etiam alia falsa perpetravit (cf. An. Chiappini, ap. *Studi Franc.* XI (1925), 187-206). Missale istud saec. XIV scriptum est et in Missa defunctorum deest sequentia *Dies irae* (33). — Recolitur aliud *Missale franciscanum*, nunc in cathedrali Sulmone adservato, quod tribuitur saeculo XIII exeunti (30-1). — Conventus Celani ecclesia fundata esset an. 1256 (35). Huius occasione auctor e *Leg. mai., Mirac.* III, 3, narrat miraculum pueri in puteum delapsi, in 'campestribus' huius oppiduli (35 s.). Animadvertit quidem puteum illum hodie adhuc ostendi, licet propiorem oppido quam narratio sinat. Ast addimus miraculum hoc non accidisse in campis Celani Marsorum, sed Celani in Capitanata, uti expresse Fr. Thomas Celanensis vicum a vico distinguendo, notaverat; III Cel. 51. — Non sine rationibus bonis defendit Fr. *Philippum Longum*, septimum S. Francisci Socium, Atriae in dioecesi Pennensi ortum fuisse (cf. I Cel. 25; v. AFH XIII, 464, 475, etc.). — De felici auctoris coniectura circa conventum Aquilanum iam supra, 51 s. locuti sumus.

De singulis Clarissarum monasteriis Aprutii paucas sed cuilibet gratas notitias adunavit (47-9). — De Tertiariis nihil certi reperire potuit (50). De Corbaro vel Corvaro iam diximus, p. 138. Maria illa cuius gratia, cum siti deficeret, S. Franciscus fontem eduxit prope Galianum, vix secure Tertiaria dici potest; cf. supra, 28. — Quoniam S. Iohannes de Capistrano codices suos undique collegit, dubitare licet, quin e famosa *Regula primitiva Poenitentium* Capistrani servata (v. AFH XIV, 109 ss.) et ex ipsius apographo Aquilano (ib. XVIII, 346 ss.; supra, 86 s.) aliquid circa initia adeo antiqua (circa an. 1221-27) Ordinis Poenitentium in Aprutinis partibus inferri possit.

Bulla allegata (18), qua Gregorius IX abbati cuidam et « *Fr. Petro custodi Fratrum Minorum Marsicano* » mandavit, ut miracula Oddonis Novariensis O. Cartus., Taliacotii requiescentis (ubi an. 1230 obierat) examinarent, emanavit 10 dec. 1239 (*sic*) et habetur ap. BF I, 273 s., n. 303. Subdimus acta huius processus edita esse ap. *Anal. Bolland.* I (1882), 325-53. Processui iam « *mense ianuarii* » 1240 absoluto subscripsit: « *Fr. Petrus custos Fratrum Minorum in custodia Marsicana* ». Eidem interfuerunt etiam duo alii O. F. M. « *Fr. Gregorius de Monte Silice* » presbyter et « *Fr. Iohannes de Castro Veteri* », diaconus. — Auctor ad plures narratiunculas sive fabellas a vulgo (adhuc vel olim) de S. Fran-


cisco narratas, brevissimis alludit; has tamen alia occasione ipse forsitan, ut speramus, in fasciculum agrestem colliget.

2. Opusculum primum, maxime diligentia et peritia rei franciscanae Aprutinae collectum, ita ut inter meliora 'studia regionalia' occasione Centenarii evulgata computandum sit, P. A. Ch. mox postea per saec. XIV-XVI prosecutus est. In hac altera dissertatione vestigia *pauperum eremitarum domini Caelestini V* in Aprutio investigavit (6-7). Isti, postea a suo antesignano *Clareni* (vel *Clareniani*) nominati, aliquas domos in illis partibus habebant (quin plura de eis innotuerint), in Maiella, Camplis, S. Mariae Pezzani, S. Nicolai Arischiae prope Pepulum atque fortasse Galiani (8). Nicolaus tribunus ille Romanus, vulgo *Cola di Rienzo,* in monte Maiella apud eos aliquamdiu latebat (10). — Plura auctor refert (11-5) e processibus contra Fr. Andream a Galiano 'spiritualem', Neapoli actis an. 1337-38, editis a P. C. Eubel, in BF VI, 597-638. Deinde dicit de Capitulo generali Aquilae habito an. 1376 (16s.); de quo cf. quae ipse An. Ch. edidit ap. AFH XX, 321-3. Postquam egit (18-20) de Fr. Antonio Angelo Vinitti a Pereto, in provincia Aquilana. Ministro generali, 1405-08, (sive ob schisma occidentale, 1405-21), orationem vertit ad initia et progressum Observantiae. In his utitur praecipue *Chronica* B. Bernardini Aquilani (ed. L. Lemmens, Romae 1902), et scriptis Fr. Alexandri de Riciis editis in hoc AFH XX, 322-30: supra, 86-103, et hic adhuc edendis (20-45), narrationemque saepius usque in saec. XVII prosequitur (45-63).

P. Michael Bihl, O. F. M.



CHRONICA



Chronica Minoritica, 1922-27.

A). — *Acta Ordinis FF. Minorum.*

Ex Actis Summi Pontificis. — Variis occasionibus Pius XI totam Familiam Seraphicam honorare dignatus est suis Litteris tam Encyclicis quam minus solemni modo datis. Quarum quasdam hic lubet commemorare. Die 17 martii 1923 S. Leonardus a Portu Mauritio constitutus est caelestis Patronus sacerdotum, qui ad sacras missiones apud catholicos incumbunt; AOM XLII, 1923, 129 s. — Die 18 aprilis 1924 directa est Epistola ad Emum D. Card. Orestem Giorgi, qui Legatus mittitur ad Loca Sancta Palaestinae; ib. XLIII, 197 s. — Item d. 13 iunii 1924 ad Emum D. Card. Bourne, Archiepiscopum Westmonasteriensem, de Minorum Ordine abhinc 700 annos in Angliam invecto; ib. 213 s. — Die 30 aprilis 1926 datae fuerunt Litterae Encyclicae semperque memorabiles de S. Francisco Assisiensi ac de septingentesimo ab eius morte exeunte anno celebrando; ib. XLV, 161-72. — Ad quem laetum eventum maiori cum fructu animarum celebrandum d. 18 iunii 1926 specialia sunt elargita privilegia et indulgentiae; ib. 189 s. — Litteris d. 25 sept. 1926 Emus D. Card. Raphael Merry Del Val, Protector O. M. Conv., Legatus a S. Pontifice mittitur Assisium; ib. 301 s.

Novi Ordinis Protectores. — Card. Oreste Giorgi demortuo, d. 5 feb. 1925 a Pio XI Protector Ordinis renuntiatus est Emus ac Rmus D. IOANNES BONZANO, Card. tit. S. Susannae; quem faustum eventum Rmus P. Bernardinus Klumper cum Ordine communicavit litteris d. 11 feb. 1925 datis; AOM XLIV, 1925, 73 s. Concrediti officii possessionem d. 1 martii 1925, in nostra ecclesia S. Antonii de Urbe, Emus Dominus solemniter assumpsit; ib. 121-3. A Summo Pontifice legatus perpetuus S. Mariae Angelorum et protomonasterii S. Clarae Assisii institutus, 19 aprilis 1925 primarium lapidem novae frontis Basilicae S. Mariae benedixit; ib. 201-4. Celebrationibus Franciscanis in Urbe adesse solebat: ib. 295; XLV, 50 s., 308. Capitulo generali anno 1927 praesedit, ib. 204. Decessus ipsius, die 26 nov. 1927, iacturam luctumque Ordini inflixit, quemadmodum litterae a Ministro Gli illa occasione ad Ordinem datae attestantur; XLVI, 328 s.

⁂ In demortui locum Pius XI novum Ordinis Protectorem suffecit Emum Cardinalem D. BONAVENTURAM CERETTI, quem Altissimus per multos annos sospitem servare dignetur. Laetum hunc eventum Rmus Minister Glis Ordini nunciavit epistola sua d. 6 ian. 1928; XLVII, 25 s.

Curia Generalitia. — Rmus P. Bernardinus Klumper sui officii sexennio sequentes dedit Litteras encyclicas. Die 15 febr. 1922, de observantia Constitutionum Generalium Ordinis; AOM XLI. 1922, 90-3. — Die 19 martii 1922, de missionibus fovendis; ib. 126-35. — Die 5 febr. 1924, de saecularibus solemniis SS. Stigmatum S. P. N. Francisci; ib. XLIII, 70-5. — Die 12 febr. 1926, de septimo ab obitu Seraphici Patris centenario; ib. XLV, 78-82. — Die 10 febr. 1926, litterae instructivae datae sunt ad omnes Superiores Regulares nostrarum Missionum ut ubique observentur *Statuta pro Missionibus,* impressa Ad Claras Aquas 1924, in-8°, 47 pp., d. 5 febr. 1924 promulgata; ib. XLVI, 77-9. — Die 6 ian. 1927, litterae instructivae datae sunt ad missionarios nostros in Sinis; ib. XLVI, 74-7.

Novus Procurator Glis Ordinis. — A. R. P. Aloysius Susa, Prov. S. Didaci in Insubria, iam Definitor Glis, canonice d. 31 iulii 1923 in locum demortui Procuratoris Glis A. R. P. Callisti Zuccotti suffectus est: AOM XLII, 1923, 247.

Novus Definitor Glis Ordinis. — A. R. P. Damianus Berti, Prov. S. Bonaventurae in Tuscia, d. 27 dec. 1923 a Definitorio Gli electus fuit Definitor Glis pro lingua italica; AOM XLIII, 1924, 45.

Capitulum Generale a. 1927. — Litteris datis 18 dec. 1926 Rmus P. Bernardinus Klumper Capitulum Generale Ordinis ad S. Mariae Angelorum prope Assisium mensibus maio et iunio 1927 celebrandum indixit; AOM XLVI, 1927, 12s. Quae comitia habita sunt a d. 27 maii ad d. 13 iunii 1927. Adfuerunt 104 Fratres Capitulares, praesidente Emo ac Rmo D. Ioanne Bonzano, Ordinis Protectore inclyto. In vigilia Pentecostes 4 iunii Minister Glis electus est Rmus P. Bonaventura Marrani, ex-Procurator Glis, Prov. Seraphicae S. Clarae ex-Minister; Procurator Glis est electus A. R. P. Antonius Iglesias, Prov. S. Francisci de Quito. Die vero 9 iunii Definitores Gles renuntiati sunt: pro lingua anglica A. R. P. Hugolinus Storff, Prov. S. Barbarae in California; pro lingua gallica A. R. P. Ludovicus Peurois, Prov. S. Dionysii in Gallia; pro lingua germanica A. R. P. Otto Keicher, Prov. Bavariae; pro lingua hispanica A. R. P. Angelus Prieto Román, Prov. S. Iacobi de Compostella; pro lingua hungarica et slavica A. R. P. Beniamin Ryzinski, Prov. B. V. M. Angelorum in Polonia; pro lingua italica A. R. P. Gabriel Ricciardi, Prov. S. Francisci in Aprutiis; ib. 203.

Sermones habiti sunt d. 31 maii ab A. R. P. Raymundo Dreiling, Ministro Prov. Saxoniae, *de S. Francisco,* editus ib 267-74; d. 1 iunii ab A. R. P. Petro Grabić, Ministro Prov. SS. Redemptoris in Iugoslavia, *de Immaculata Conceptione B. M. V.,* ib. 274-82; d. 2 iunii ab. A. R. P. Benvenuto Ryan, Ministro Prov. SS. Nominis Iesu in Stat. Foed. Americae Sept., *de Spiritu Sancto,* ib. 282-6. — Receptio novae Curiae unacum plurimis Capitularibus apud Pium XI Romae d. 18 iunii facta est.

Novi Secretarii Ordinis. — In congressu definitoriali d. 17 iunii 1927 habito instituti sunt Secretarius Glis Ordinis A. R. P. Venantius Maggiani, Prov. Ianuensis a S. Leonardo ex-Minister; Secretarius vero Missionum R. P. Marcellus Scartabelli, Provinciae S. Bonaventu-

rae in Thuscia alumnus et Custodiae Terrae Sanctae addictus; AOM XLVI, 1927, 229.

Novae Provinciae. — Antiqua sed pene extincta Provincia Imm. Conc. B. M. V. in Borussia, ab anno 1913 tamquam Commissariatus Provincialis recta, decreto Rmi P. Min. Glis die 17 martii 1922 ad pristinam dignitatem elevata est, incorporando 4 conventus ex Prov. S. Hedwigis in Silesia. Antiquo titulo simul additum est « in Polonia Maiori »; AOM XLII, 1923, 134.

*** Ob rationes politicas quidam conventus a Provinciis S. Mariae et S. Ioannis Capistrani intra priores Hungariae limites existentes decreto Ministri Glis d. 31 ian. 1924 erecti sunt in novam Provinciam sub titulo SS. Salvatoris in Slovensko; ibid. XLIII, 1924, 200.

*** Eodem modo d. 3 dec. 1925 Commissariatus Vallis Nethi a S. Antonio Patavino suppressus est ac Commissariatui a SS. Nomine adnectus; ibid. XLV, 1926, 276.

*** Decreto Rmi P. Ministri Glis d. 28 sept. 1926 suppressa fuit Provincia VII Gaudiorum B. M. V. in Chile et eius loco erecti duo Commissariatus, Chillanensis scil. et Castrensis; ibid. 275s.

*** Decreto Rmi P. Ministri Glis d. 1 febr. 1927 Commissariatus Canadensis evectus fuit in Provinciam S. Ioseph in Canada; AOM XLVI, 1927, 79.

*** Decreto Rmi P. Ministri Glis d. 18 febr. 1927 Commissariatus in America Sept., a Provincia Sloveniae a. 1912 erectus et deinceps dependens, dismembratus est. Pars separata in novum Commissariatum a Ministro Gli immediate dependentem est constituta; AOM XLVI, 1927, 103.

*** Item d. 1 martii 1927 conventus Provinciae S. Leopoldi in Tyrolio, iam politice a matre Provincia disiuncti, coadunati sunt in Commissariatum Athesis Superioris dictum atque sui iuris; ib., 103.

Novi Vicariatus ac Praefecturae Ap. O. F. M. concrediti. — Litteris Pii PP. XI, d. 18 iulii 1922 datis, nova Praefectura Apostolica de Lulua et Katanga in centrali Congo erecta est. Cuius, decreto S. C. de P. F., d. 15 eiusdem mensis et anni, nominatus est primus Praefectus Ap. VALENTINUS STAPPERS, Prov. nostrae S. Ioseph in Belgio alumnus; AOM XLI, 1922, 233s. — S. C. de P. F. decreto d. 30 oct. 1922 dato hanc Praefecturam curis spiritualibus O. F. M. Provinciae Belgicae commisit: ib. 290.

*** Litteris Apost. d. 11 iulii 1923 separatione territorii a Vicariatu Apost. Marroquiensi novus de Rabat dicendus erectus est Vicariatus Apost., cuius cura est commissa O. F. M. filiis e natione gallica; AOM XLII, 1923, 260s.

*** Litteris Pii PP. XI d. 12 dec. 1923 datis dismembrato territorio Vicariatus Apostolici de Hupe Orientali, exinde *de Hankow* appellandi, tres eriguntur in Sinis Praefecturae Apost.: *de Hanyang, de Wuchang* et *de Puchi*. Prima concreditur Societati Hibernensi a S. Columbano pro missionibus ad Sinenses, altera curis Provinciarum O. F. M. e Statibus Foederatis Americae septentrionalis, tertia clero saeculari indigenae; AOM XLIII, 1924, 65s.

*** S. Congr. de Prop. Fide dedit d. 3 dec. 1924 decretum, quo quasi omnium Vicariatum Apost. in Sinis nomina, prius generatim a provincia politica sumpta, mutantur assumunturque a locis ipsis, ubi est Ordinariorum residentia; AOM XLIV, 1925, 36-8.

*** Litteris Apostolicis d. 12 maii 1925 territorium quoddam separatum est a Vicariatu Apost. *de Changsha* in Sinis simulque erectum in Praefecturam Apost. *de Yungchowfu*. Cuius cura O. F. M. est concredita; AOM XLIV, 1925, 241 s.

*** Litteris Pii XI d. 14 iulii 1925 datis Praefectura Apostolica de Ucayali in Peruvia, « cum ... assidua praesertim ope Missionariorum Ordinis Fratrum Minorum insigne ceperit incrementum » ad Vicariatus Apost. gradum est promota; AOM XLV, 1926, 190 s.

*** Pius XI Litteris suis d. 12 maii 1926 ex dismembratione Vicariatus Apost. de Tayuanfu in Sinis duas erexit Praefecturas, quarum una de Fenyang curis cleri indigenae, altera vero de Shohchow curis O. F. M. est concredita. Huic decreto S. Congr. de P. F. 15 iul. 1927, primus Praefectus est nominatus R. P. Edgarus Haring, O. F. M., Prov. Bavaricae filius; AOM XLVI, 1927, 71 s., 229.

*** Eodem modo d. 12 iulii 1926 e Vicariatu Apost. Aegypti est separata regio Canalis de Suez, quae in Vicariatum Apost. est erecta. Dicitur Canalis Suesii et O. F. M. fuit commissa. Brevi Apost. 11 martii 1927 primus est renuntiatus Vicarius Apost. Rmus et Illmus D. Columbanus Dreyer, Epus tit. Orthosiensis, alumnus Prov. S. Petri in Francia, hactenus Vic. Apost. de Rabat; ibid. 72 s., 229.

*** Pius PP. XI d. 3 feb. 1927 e Vicariatu Apost. Lybiae, dehinc Tripolitaniae dicendo, territorium Cyrenaicae separavit atque erexit in Vicariatum Apost., quem, nomine de Cyrenaica imposito, curis O. F. M. commisit; ibid. 99 s. Primus Vicarius Apost. institutus est Rmus ac Illmus D. Bernardinus Vitalis Bigi, Prov. Seraph. S. Clarae alumnus, quem d. 27 ian. 1927 Pius XI praefecerat tit. episcopali Ecclesiae Anthedonensi; ib. 229.

*** Litteris Pii XI d. 18 martii 1927 territorium quoddam, duas comprehendens civiles praefecturas, seiunctum fuit a dioecesi Nagasakiensi in Iaponia, erectumque in novam Praefecturam Apost., de Kagoshima dicendam. Quae curis O. F. M. est concredita; AOM, XLVI, 1927, 225 s.

Novi ex Ordine Episcopi. — A. R. P. Franciscus Melchiori, Prov. S. Francisci Venetiarum filius, per plures annos in Albania missionarius, electus episcopus tit. Methon. et cum iure successionis coadiutor archiepiscopi Dyrrhachiensis, die 20 nov. 1921 in nostra ecclesia S. Iacobi Ap. de Montesilice consecrationem accepit episcopalem; AOM XLI, 41 s. Actu successit d. 22 maii 1922.

*** Decreto S. Congregationis Consistorialis d. 20 dec. 1921 titulari episcopali Ecclesiae Papianensi praefectus est R. P. Hyginus Nuti, secretarius Custodiae Terrae Sanctae, qui d. 23 eiusdem mensis nominatus est Vicarius Apost. Aegypti. Consecrationem episcopalem accepit e manibus Excellmi D. Aloisii Barlassina, Patriarchae Hierosolymitani, d. 18 martii 1922, in Basilica SS. Salvatoris; AOM XLI, 157.

*** Eiusdem S. Congregationis decreto d. 17 febr. 1922. R. P. AUGUSTINUS GIUSTINIANI, Minister Prov. O. F. M. Corsicae, praefectus est tit. episcopali Ecclesiae Enniensi et deputatus Auxiliarius Rmi P. D. Augustini Simeone, ep. Adiacensis, cum obligatione residendi in civitate Bastia. Ab eodem Rmo D. Simeone d. 7 maii consecrationem episcopalem accepit in ecclesia cathedrali Adiacii; AOM XLI, 157. Mortuus est iam 26 sept. 1923; cf. ib XLII, 307-9; AFH XIX, 127.

*** A. R. P. COLUMBANUS DREYER, Prov. S. Petri in Francia, decreto S. Cong. Consist. d. 27 iunii 1923 nominatus est Vicarius Apost. de Rabat, titularis vero Epus ecclesiae Orthosiensis. Episcopus est consecratus Parisiis die 16 augusti sequenti ab Emo Card. Aloisio Dubois. Translatus est ad nuper erectum Vicariatum Apost. Canalis Suesii d. 11 martii 1927; AOM XLII, 1923, 264; XLVI, 72s., 229.

*** Decreto S. Congr. Consist. d. 4 iulii 1924 Pius XI praeposuit titulari episcopali Ecclesiae Trapezopolitanae R. P. INNOCENTIUM ENGELKE, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Rmi P. D. Ioannis de Almeida Ferrao, episcopi Campaniensis in Brasilia; AOM XLIII, 247.

*** Eiusdem S. Congr. Consist. decreto d. 29 oct. 1924 metropolitanae Ecclesiae Bellogradensi praefectus est A. R. P. RAPHAEL RADIĆ, actu Administrator Apost. Banatus Serbi et Prov. Croatiae SS. Cyrilli et Methodii filius. Qui d. 7 dec. sequenti consecrationem episcopalem recepit e manibus Excmi ac Rmi D. Hermenegildi Pellegrinetti, Nuncii Apost.; ib. XLIV, 1925, 45.

*** Propter tristes conditiones, in quibus versabantur fideles et sacerdotes Vicariatus Siberiae, S. Congr. de P. F. d. 28 nov. 1924 nominavit Administratorem Ap. in Siberia Rmum P. GERARDUM PIETROWSKI, simulque ei pro residentia designavit urbem Harbin sitam in Mandschuria, Sinensi territorio; AOM XLIV 1925, 124.

*** In Sacro Consistorio d. 18 dec. 1924 Pius XI titulari archiepiscopali Ecclesiae Cyrrhensi Pastorem assignavit Rmum P. SERAPHINUM CIMINO, Delegatum Apost. in Republica Mexicana, Prov. Principatus alumnum et antea Ordinis Ministrum Glem. Qui d. 11 ian. 1925 consecrationem episcopalem recepit e manibus Emi D. Card. Caietani De Lai; AOM XLIV, 1925, 45. Die 3 aprilis 1926 translatus est ad Delegationem Apost. in Peruvia.

*** Per decretum S. Congr. de Prop. Fide diei 16 martii 1926 R. P. SEBASTIANUS GROSSRUBATSCHER, Prov. S. Leopoldi, renuntiatus est primus Praefectus Ap. de Iunchowfu in China; AOM XLV, 1926, 193.

*** Die 28 oct. 1926 in Basilica Vaticana Revmi P. D. ODORICUS TCHENG, Praefectus Apost. de Puchi et Prov. SS. Stigmatum in Thuscia filius, et ALOYSIUS TCH'EN, Vicarius Apost. de Fenyang, consecrationem episcopalem receperunt e manibus augustis SSmi D. N. Papae Pii XI; AOM XLVI, 1927, 13; v. etiam ib. 10.

*** Pius XI per decretum S. Congr. Consist. d. 24 maii 1927 tit. archiepiscopali Ecclesiae Tyanensi praefecit R. P. PASCHALEM ROBINSON, Prov. SS. Nominis in Stat. Foederatis alumnus; AOM XLVI, 1927, 229.

*** In Sacro Consistorio Secreto d. 20 iulii 1927 habito tit. episcopali Ecclesiae Halmyrensi praefectus est R. P. HENRICUS VIELLE, Prov. S. Ludovici in Aquitania, qui etiam Vicarius Apost. est deputatus Vicariatui de Rabat; ibid.

Lapis sepulcralis antiquus. — Anno 1920 in civitate Linzinium inventa fuerunt sepulcrum et ossa BERNARDINI DELLA CHIESA, ex Ordine Minorum, qui mortuus erat Episcopus Pekinensis a. 1722. P. Pius Trovarelli, Administrator Vicariatus Apost. Sciantun Sept., iam in AOM XL, 1921, 132-8 descripserat imaginibusque illustraverat omnia, quae de vita et sepulcro Bernardini informant; v. AFH XV, 591. Huic descriptioni duas addit (ibid. XLIV, 1925, 283-5) correctiones Illmus ac Rmus D. Adalbertus Schmücker, O. F. M., Vic. Ap. de Tsinanfu. Inscriptio scil. sepulcralis reperta fuit in latere quadrato in ipso sepulcro, stemma vero habebatur insculptum lapidi sepulcrali. Insuper annum obitus 1721 legendum putat, econtra MSS. antiqua 1722 designant.

Novi ex Ordine Consultores. — R. P. MARIANUS FERNANDEZ GARCÍA, Prov. S. Iacobi in Hispania alumnus et iam Consultor SS. Congregationum de Religiosis et SS. Rituum, per Rescriptum Secretariae Status d. 19 dec. 1921 Consultoribus S. Congregationis de Seminariis et Universitatibus Studiorum fuit adnumeratus; AOM, XLI, 1922, 42.

*** Litteris Secretariae Status d. 17 martii 1923 Rmus P. SERAPHINUS CIMINO, ex-Min. Glis, iam qualificator S. Officii et Consultor S. Congr. de Religiosis, inter Consultores etiam S. Congr. Consistorialis adnumeratus est; AOM XLII, 1923, 135.

*** Per schedulas Status Pius XI nominavit d. 14 febr. 1924 R. P. PASCHALEM ROBINSON, Prov. SS. Nominis Iesu in Statibus Foederatis Americae septentrionalis, consultorem S. Congr. de Religiosis; item d. 4 martii 1924, consultorem S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus; AOM XLIII, 1924, 147.

*** Eodem modo d. 18 martii 1924 RR. PP. ARSENIUS VERCAUTEREN, Prov. S. Ioseph in Belgio, et ANTONIUS IGLESIAS, Prov. S. Francisci de Quito, uterque actu Lector S. Antonii de Urbe, consultores S. Congr. de Sacramentis sunt effecti; ib.

*** Item d. 11 martii 1927 R. P. BERTRANDUS KURTSCHEID, Prov. Saxoniae alumnus, in Collegio internationali S. Antonii Urbis Lector Glis, nominatus est Consultor S. Congr. de Sacramentis; AOM XLVI, 1927, 103.

De viris illustribus defunctis an. 1921-1927. — Piissime, sicut vixerat, obiit die 8 martii 1921 Rochester, Minnesota, R. P. ANSELMUS WEBER, Prov. Cincinnatensis filius atque meritissimus missionarius Indianorum, quos vocant *Navajos*. Natus die 10 nov. 1862 in New Salem, Michigan in S. U. A. septentrionalis, Ordinem ingressus 1882, an. 1898 profectus est ad gentem ethnicam, ut novae missioni inter Navajos prodesset et brevi post praeesset, quod plus quam 22 annos effecit sese patrem spiritualem Indianorum et apud Gubernii officiales eorumdem protectorem atque fautorem indefessum reddendo. Linguam

Navajorum optime callens una cum alio confratre *Dictionarium* optime ab hominibus peritis receptum edidit; AOM XXVIII, 66-8; XL, 256; XLI, 81s.

*** Die 26 aug. 1921 vitam clausit vere franciscanam apostolicamque A. R. P. MICHAEL WENCESLAUS BATINIĆ, qui ortum habuerat die 25 oct. 1846, et filium et patrem sese reddidit Prov. Bosniae Argentinae. Etiam de historia optime meritus est, uti iam dictum est ap. AFH XV, 585-6. Eius potissimum opera et labore an. 1887 initium habuit primum diarium Franciscanum in sua Provincia, sub titulo *Franjevacki Glasnik* (i. e. Nuntius Franciscanus), quod sub variis nominibus editum perseveravit usque ad an. 1918; AOM XLI, 61-3.

*** Supremum diem obiit 6 ian. 1922 A. R. P. CANDIDUS MARIOTTI, Prov. Lauretanae Marchiae alumnus et decus. An. 1839 natus, nomen sibi fecit notissimum tum divulgandis gestis franciscalium tum rebus tractandis quae Dantem respiciunt. Quorum quaedam enumerantur in necrologio suo apud AOM XLI, 82s.; de aliis autem vide AFH III, 370, 563-8; V, 595-9; XIV, 283s., 335s.; XVI, 439s. Addi adhuc possunt *Il monastero e la chiesa di Sant' Angelo in Ascoli Piceno,* Ascoli, G. Cesari, 1920; in-8°, 54 pp.; et G. Tucci et C. Mariotti, *Iscrizione medievali ascolane,* ib. 1922; in-8°, 49 pp.

*** Die 11 aprilis 1922 mortuus est R. P. CHERUBINUS FASIL, Prov. Venetiarum S. Francisci filius et per longum tempus missionarius zelosus in Sinis. Reliquit *Una pagina della Cina,* Udine 1903, quod opus historicum magni ponderis dicitur ap. AOM XLII, 1923, 30.

*** Laboribus senioque consumptus diem supremum placidissime obivit d. 25 maii 1922 R. P. MICHAEL SLEUTJES, Prov. Germaniae Inferioris in Hollandia filius. Natus a. 1847, praeclaro ingenio dotatus Romae Doctor J. C. fuit renuntiatus ac singulari praemio numismatis aurei cohonestatus. Indefesse ac diversimode semper laborans plura vulgavit opera de iure canonico specialius tractantia, quae referuntur ap. AOM XLI, 1922, 228, sed melius ap. *Franciscana* VI, (Iseghem in Belgio, 1923), 63.

*** Memoria dignus est R. P. FRANCISCUS MARIA FERRANDO, qui ortum habens a. 1848, filius postea Prov. S. Iacobi in Hispania, post indefessam exemplaremque vitam est demortuus d. 26 Iunii 1922. Pluribus fungens muneribus multum etiam scriptis suis adlaboravit ad spiritum franciscanum in populo vulgandum; AOM XLI, 1922, 304s.

*** Pie in Domino obiit in Sina d. 27 Oct. 1922 Illmus ac Rmus D. MODESTUS EVERAERTS, Epus tit. Tadamatensis, Vic. Apost. Hupe Meridionalis ac Prov. S. Ioseph in Belgio dignus alumnus. Natus a. 1845, iam a. 1873 Sinas petiit. Vicarius Apost. electus est 24 dec. 1904. Nomine et re 'modestus', plurimum tamen adlaboravit ad seipsum aliosque sanctificandos, ita ut vere religiosorum exemplar, missionariorum specimen, pater paternus omnium dici potuerit; AOM XLII, 1923, 92-4.

*** Rmus ac Illmus P. HIPPOLYTUS ULIVELLI, Prov. S. Bonaventurae in Tuscia, natus a. circiter 1888, sacerdotio initiatus in Boliviam propagationis fidei gratia discessit, pluriesque rectorem egit in Tarijensi

Collegio. Die 13 Aug. a. 1919 renuntiatus fuit primus *Magni Ciacchi* Vicarius Apost., titularis vero Epus Ortosie. In quo munere iam d. 27 oct. 1922 animam efflavit; AOM XLII, 1923, 94; XLIV, 1925, 143s.

*** Die 7 maii 1923 morte subitanea correptus obiit R. P. Emmanuel das Cinco Chagas, Prov. Portugalliae alumnus, ex-Custos, ex-Definitor et missionarius in Lusitania dissertissimus ac notissimus. In 8140, quas habuit sacerdotis munere per 50 annos fungens, concionibus ne semel quidem laudes Immaculatae Virginis omisit. Etiam pii Viae Crucis exercitii indefessus promotor stationes erexit in plus quam 500 locis; AOM XLIII, 1924, 93s.

*** P. Paschalis Saura Lahoz, Prov. Catalauniae filius, cuius indolem amabilem servitiisque promptissimam pluries experti sumus, Romae in Collegio internationali S. Antonii, ubi prius discens, ab a. 1920 vero docens morabatur, d. 8 maii 1923 brevi morbo est consumptus. Licet aetatis annos 32 nondum complevisset, multum tamen iam sudaverat ut seipsum historiographum in re franciscana peritissimum efficeret suamque scientiam ac doctrinam aliis communicaret. In lucem dedit: *Una joya franciscana o sea Vida de la Vble. M. Sor Teresa del Sdo. Corazón Arguyol y Fontseca, fundadora de las Clarisas de la Divina Providencia,* Vich, Tipografía Franciscana, 1921; in-4°, 160 pp. Plura vulgavit in periodicis populo destinatis ut *Revista Franciscana* et *El Jardín Seráfico;* meliora vero in *Archivo Ib.-Americ.*, Vol. VI-XXIII. 1916-1925. Cf. AOM XLII, 1923, 207s.; AIA 1923, XX, 283-5.

*** Theophilus Witzel, Prov. Thuringiae S. Elisabeth filius, Custos et quondam Minister, subitanea morte e laboribus suis multiplicibus et vita discessit d. 27 maii 1923. Magno cum fructu studiis speciatim biblicis insudavit, lauream Lectoris Glis in Urbe ad S. Antonium Pat., gradum Licentiatus vero ibidem in Instituto Biblico promeruit. Per septem annos difficillimos 1915-1922 Provinciam administrans numquam studia sua docta intermisit, quorum uberrimos maturosque fructus verbo sparsit et scriptis. Tractans *De Fr. Rogero Bacon eiusque sententia de rebus biblicis* nostro AFH III, 1-22, 185-213 collaboravit; AOM XLII, 1923, 239s.

*** Die 18 iunii 1923 diebus ac laboribus plenam vitam terminavit A. R. P. Ioachim Maciejczyk, qui quasi semper officiis maioribus, imo pluries Provincialatus fungens in sua Prov. B. V. M. Angelorum in Polonia, non dedignatus est etiam bibliothecarum libros ordinatim disponere earumque inventaria nitide conscribere; AOM XLII, 1923, 270s.

*** Die 6 iulii 1923 totum Ordinem dolore affecit obitus A. R. P. Callisti Zuccotti, actualis Procuratoris Generalis. Qui in Prov. Bononiensi SS. Redemptoris habitum franciscanum a. 1884 induerat, Lector Philosophiae in concursu generali. Assisii habito, renuntiatus atque lauream S. Theologiae Romae in Collegio S. Antonii erat adeptus. Varia in Provincia sua munera, etiam summa, cum laude iam impleverat, cum in Capitulo generali a. 1921 celebrato Procurator Glis est electus. Magnae et multae dotes exornabant hunc virum, qui in rebus administrandis expertus semper et ubique Dei gloriam quaerere solebat; AOM XLII, 1923, 224-6.

*** A. R. P. ALBERTUS LISMONT, Prov. S. Joseph in Belgio actualis Definitor, mortuus est d. 2 aug. 1923. Qui tempore Provincialatus sui, 9 iulii 1913 usque ad 11 aug. 1922, mediis in difficultatibus Provinciam quatuor residentiis et missione Congolana auxit. Opere et scriptis III Ordinem propagare maxima erat ei cura; ib. 271s.; AFH II, 529.

*** R. P. BARNABAS MEISTERMANN ortum habuit Pfaffenheim in Alsatia d. 27 martii 1850. Sacerdotio iam initiatus habitum recepit franciscanum. Zelator animarum obtenta a Superioribus venia Sinas petivit, ibidem missionarium, quandoque etiam architectum, egit non sine merito. Nova venia impetrata Assisium adiit, ut facilius spiritu imbueretur seraphico. Tandem a. 1893 facultas ei est data in Terram Sanctam proficiscendi, quam pluries variis de causis peragravit. Non minus animarum saluti quam Sanctuariorum Ordini nostro custodiae concreditorum historiae vacavit. Ad 14 numerantur libri ab eo conscripti in elucidationem consolidationemque traditionum. Eius *Guide de Terre Sainte* plures habuit editiones et iam prostat in variis linguis (cf. AFH I, 139; XIX, 132). Requievit pius peregrinator Hierosolymis d. 29 sept. 1923; AOM XLII, 1923, 287 s.

*** Ilmus ac Rmus D. GRATIANUS GENNARO, qui d. 19 dec. 1923 mortuus est in Sinis, natus a. 1863 Insulae Vicetinae, Dioec. Vicetiae, habitum nostrum induit a. 1885. Adhuc clericus theologus a. 1891 ad Sinas appulit. Sequenti anno sacerdotio decoratus toto corde adlaboravit in vinea Domini, ita ut Ilmus Carlassare eum sibi in Coadiutorem assumpserit et d. 8 dec. 1906 Episcopum tit. Ierecuntinum sacraverit. Die 24 iulii 1909 in regimine Vicariatus Apost. Hupeh Orientalis successit. Magnis exantlatis laboribus, aedificiisque pro educatione etiam superiori constructis, sese semper exhibuit pastorem bonum, prudentem atque providentem; ib. 126 s.; XLIV, 94.

*** Romae in Collegio S. Isidori, ubi pluries Guardianus et longiore tempore incola erat, d. 19 sept. 1924 debitum mortalitati persolvit R. P. LUCAS CAREY, Prov. Hiberniae filius. Natus Dublinii 20 maii 1840, Ordinem ingressus est a. 1856. Ut erat tenacissima memoria dotatus, historicis imprimis studiis post sacerdotium susceptum se dicavit. Provinciae Chronologus renuntiatus assidue perlustravit bibliothecas. Cumque P. Fidelis de Fanna, Collegii nostri S. Bonaventurae ad Claras Aquas fondator, ad codices Bonaventurianos exquirendos Hiberniae et Angliae bibliothecas visitaret, P. Lucas ei socius erat fidelis ac laboriosus. Ab antiquitatis et rerum praeteritatum investigatoribus magni habebatur ob suam indolem et servitia tam generose semper praestita. Inter pauca, quae publicavit, speciali mentione digna est *Chronica anonyma Fratrum Minorum Germaniae*, in *Anal. Franc.*, I, 279-300, e MSS. a Waddingo olim collectis; AOM XLIV, 1925, 95 s.

*** Neo Eboraci in America septemptrionali d. 29 sept. 1924 viam omnis carnis ingressus est R. P. CYPRIANUS PAOLINI, Prov. Corsicae filius. Variis muneribus est functus, sed forsan melius notus per novas quas paravit editiones operum ad scholam sic dictam franciscanam pertinentium. Inter quae eminent Claudii Frassen *Scotus Academicus*, Hie-

ronymi a Montefortino *Summa Theologica* et Petri de Aquila *In libros 4 Sententiarum Summa;* AOM XLIV, 1925, 28.

*** Burdigalae in Gallia d. 13 nov. 1924 A. R. P. RAPHAEL DELARBRE Deo reddidit animam. Natus Aureliaci d. 13 aprilis 1843 Ordinis habitum recepit a. 1862 in Prov. S. Ludovici in Aquitania. Summis muneribus in Provincia laudabiliter functus, Definitor Glis est selectus et in Capitulo mense oct. 1889 celebrato Procurator Glis pro familia Observantium. Manum adiutricem praestitit operi providentiali « Unionis quatuor Familiarum Observantiae ». Magna etiam pars fuit fundationis, magis vero conservationis evolutionisque benemeriti illius Instituti Franciscalium Missionariarum a Maria. Scriptor tam assiduus quam pius optimum sibi fecit nomen. Exuviae eius requiescunt apud easdem Sorores in monasterio *Les Châtelets,* prope S. Brieuc in Armorica; ib. 60-2.

*** Die 30 dec. 1924 fere inopinate decessit Emus Card. ORESTES GIORGI, Ordinis nostri Protector atque Dei Ecclesiae Maior Poenitentiarius. Licet quintum annum Protector nondum complesset, omnium Fratrum Minorum tamen animum venerabundum gratumque sibi iam conciliaverat. De visu notus fuit multis e nostris, cum quibus paterne agebat, quando hospes venerat ad loca franciscana Italiae et Terrae Sanctae. Etiam nostrum Collegium S. Bonaventurae d. 31 aug.-2 sept. 1923 visitando honoravit et collaboratores non paucum verbis suis scientia ac benevolentia plenis est exhortatus. Magnum erga Ordinem meritum virtutesque Emi Protectoris iure proclamavit Rmus Minister Glis in suis Litteris encyclicis d. 6 ian. 1925; AOM XLIV, 1925, 42-5; cf. ib. XLII, 278s.; XLIII, 197-9, 223; AFH XV, 589.

*** A. R. P. PLACIDUS FABIANI, Prov. S. Crucis Sloveniae filius et Custos, mortalitatis legi obedivit d. 13 martii 1925. Natus a. 1846, Ordinem ingressus a. 1864, ab a. 1878 usque ad mortem semper inhabitabat conventum Labacensem. Qui ita fuit vicarius, guardianus, definitor, Custos et per 18 annos sexties Minister Provincialis, quod subditi hanc ei laudem dederint: praefuit et profuit; AOM XLIV, 1925, 223 s.

*** In Domino quievit d. 13 aprilis 1925 in sede Episcopali Cordubensi Reipublicae Argentinae Illmus ac Rmus D. ZENON BUSTOS FERREIRA, Prov. Assumptionis B. M. V. alumnus. In eadem dioecesi natus a. 1850, minoriticum sumpsit habitum a. 1869 in conventu Cordubensi. Variis, etiam summis in Provincia laudabiliter functus ministeriis, in Consistorio d. 7 martii 1905 habito electus fuit Epus Cordubensis. In rebus historicis valde peritus plura edidit opera historiam Americae tangentia, inter quae eminet *Anales de la Universidad de Cordoba.* Bonus pastor vastissimam explevit actionem, ut gregem sibi creditam bene regeret sanctificaretque; AOM XLIV, 1925, 239 s.

*** Die 24 aprilis 1925 Romae in transitu mortuus est R. P. IACOBUS FARRUGIA. Ordinis habitum a. 1894 ut filius Prov. Melitensis recepit. Anno 1899 ad missiones franciscales Reipublicae Argentinae est profectus, ibique sacerdotio decoratus, multum et cum fructu laboravit inter Indianos Novae Pompeiae, vulgo Matacos dictos. Quorum idioma ita didicit ut dictionarium Hispano-Mataco et Mataco-

Hispanum necnon Catechismum in eodem idiomate in scriptis relinquere potuerit; AOM XLIV, 1925, 224.

*** Die 27 aprilis 1925 e vivis ereptus est Illmus ac Rmus D. ROBERTUS RAZZÒLI. Natus a. 1863, Ordinem ingressus a. 1885 in Prov. S. Bonaventurae in Tuscia, post sacerdotium receptum brevi excellere coepit ut scriptor elegans et concionator disertus. Felix inventor codicum ac artis antiquitatisque dilucidator constituit inter alia novam ephemeridem *Luce e Amore,* cuius primas adhuc tenebat cum a. 1904 est electus Provinciae Minister. Terrae Sanctae Custos nominatus ad Palaestinae oras appulit a. 1906, inde officio suo laudabiliter functus a. 1913 reversurus. Eiusdem anni d. 27 aug. electus est Ordinarius Marsicensis et Potentinae doeceseos, cuius instaurando omnia in Christo pastor fuit zelosus; AOM XLIV, 1925, 191 s.; cf. AFH VI, 796 s.; N. Rosati, O. F. M., *Mons. Roberto Razzòli (nel 1° anniversario della sua morte),* Pontremoli, 1926; in-8°, 47 pp.

*** Repentina morte Pornic in dioecesi Nannetensi d. 27 iulii 1925 occubuit Illmus ac Rmus D. GABRIEL MAURICE, Prov. S. Dionysii in Gallia alumnus, Epus titularis Lesbitensis et ex-Vicarius Apost. Shensi septentrionalis. Natus a. 1862, Ordinis habitu recepto a. 1878, iam a. 1882 Sinas petiit. Ibidem studiis absolutis sacerdos consecratus est a. 1886, et per annos 30 strenuus missionarius multos exantlavit labores, aerumnas persecutionesque perpessus. Suae missionis Vicarius Apost. electus est d. 1 aug. 1908. Hanc autem administrationem a. 1916 resignare debuit et in patriam est reversus, ubi usque ad mortem manum adiutricem praestitit tum Episcopis, tum parochis belli tempore et causa vicario privatis. Extolluntur eius obedientia, patientia, humilitas; AOM XLIV, 1925, 255 s.

*** A. R. P. ALOYSIUS ROSSI, Prov. Neapolitanae S. Petri ad Aram, d. 14 martii 1926 in Domino requievit. Natus a. 1830, S. Francisci veste indutus a. 1850, postea Guardiani et Ministri diu explens officia non solum multum promovit charitatis opera a Ven. P. Ludovico a Casaurea instituta, sed eiusdem etiam virtutes miro modo est imitatus; AOM XLV, 1926, 218-20.

*** Die 26 martii 1926 Tangeri ex hac vita migravit Excmus ac Revmus D. FRANCISCUS MARIA CERVERA TAMARIT, Archiepiscopus tit. Pompoiopolitanus, Vicarius Apost. Marochiensis. Qui natus Valentiae in Hispania a. 1858, habitum franciscalem suscepit a. 1874. Iam a. 1880 rite in Missionem Marochianam est profectus ibique, aetatis dispensatione obtenta. a. 1881 sacerdos sacratus. Varia officia ita laudabiliter explevit, ut a. 1896 Praefectus designaretur Missionis Marochianae. Qua Praefectura a. 1908 in Vicariatum Apost. erecta, ipse Praefectus d. 15 aprilis eiusdem anni electus fuit Epus tit. Ecclesiae Fesseitanae deputatusque primus Vicarius Apost. Anno autem 1923, die 20 iulii, renuntiatus fuit Archiepiscopus tit. Pompoiopolitanus. Se reddendo perfectum Praelatorum exemplar semper tamen vixit ut verus ac pius Frater Minor; AOM XLVI, 1927, 32.

*** Die 10 aprilis 1926 mortuus est Hierosolymis A. R. P. PAULUS CHENEAU, Vicarius Custodialis Terrae Sanctae ac Prov. S. Dionysii filius. Natus Aureliani a. 1863, iam sacerdos atque iuris canonici Doctor Ordinem est ingressus a. 1894. Decem post annos ad Terram Sanctam appulit, ibi docendo et praedicando optime meriturus. Reliquit impressum: *Les Saints d'Egypte. Lectures édifiantes, instructives, agréables,* I-II, Jérusalem 1923, in-8° mai., 599 et 707 pp. cum 2 tabulis geographicis: AOM XLV, 1926, 235.

*** Die 12 aprilis 1926 Monachii in Domino quievit R. P. PARTHENIUS MINGES, Prov. S. Antonii in Bavaria alumnus. Qui natus a. 1861, Ordinis habitum petivit a. 1881. Cathedram theologiae dogmaticae conscendit a. 1891, postea laureas academicas tum philosophiae tum theologiae acquisiturus. Per annos 1906-1913 praefuit Collegio S. Bonaventurae ad Claras Aquas. Quo munere liberatus et redux in Provinciam suis studiis atque pietati iterum vixit. Plurima reliquit impressa, praesertim doctrinam B. Iohannis Duns Scoti illustrantia, quae etsi semper non sint omnibus numeris completa, maximum tamen excercuerunt et continuant influxum ad scholam franciscanam fovendam. Inter proprie historica ab eo vulgata eminet *Geschichte der Franziskaner in Bayern,* München 1896: AOM XLVI, 1927, 207 s.; cf. *Antonianum,* I, 1926, 507 s.

*** Infortunio accidente d. 20 aprilis 1926 interiit iter Nazaretho, ubi erat natus, Hierosolymam faciens R. P. GAUDENTIUS ORFALI. Novennis patre orbatus est, et in nostrum hierosolymitanum orphanotrophium receptus. Religiosa vota nuncupavit a. 1906, sacerdotio fuit decoratus a. 1912. Rebus biblicis specialem operam navavit Romae in collegio Antoniano, postea Friburgi Helvetiorum, ibi lauream adipiscens, atque iterum Romae in Instituto Orientali. Adversa valetudine compulsus ante curriculum emensum in Palaestinam rediit. Tunc Hierosolymae prius S. Scripturam docuit, a. 1924 renunciatus est Rector Superioris Athenaei Biblici et anno sequenti electus Praeses Societatis Archaeologicae Orientalis. Ipse Synagogae Capharnaitanae perantiquae deputatus restitutioni vix primam huius operis partem compleverat. Scriptis suis doctis optime vero in brevi iam meritus erat de rebus biblicis et archaeologicis; AOM XLV, 1926, 251; cf. *Antonianum,* I, 1926, 508 s.

*** Die 24 aprilis 1926 placidissime in Domino obdormivit Illmus ac Rmus D. ANGELICUS ZANETTI, Episcopus Bosensis ac Prov. S. Bonaventurae in Tuscia alumnus. Natus a. 1864, iam a. 1879 Ordinis habitum recepit et a. 1887 sacerdotio est initiatus. Variis muneribus in Provincia non sine zelo ac merito functus a. 1916 ad episcopale solium Bosensis dioecesis fuit evectus. Gregem sibi creditum ita rexit, ut boni pastoris nomen plene meruerit; AOM XLV, 1926, 216 s.

*** R. P. IOSEPHUS M. LIQUENO, Prov. Assumptionis Fluvii Platensis alumnus, d. 24 aprilis 1926 mortuus est. Qui in regione neapolitana a. 1877 natus, adhuc infantulus in Argentinam Republicam est transvectus. Praeter Ordinis habitum etiam lauream in Iure Canonico recepit. Optime de Provincia meritus est in studiis promovendis. Plura impressa reliquit opera, quorum *Vida de Fray Fernando Trejo y Sanabria,* Cor-

doba 1916, 2 voll. (cf. AFH XII, 579ss.), iussu ac sumptibus Universitatis Cordubensis prelo data est; ib. 265 s.

⁂ Excmus ac Rmus D. Martinus Garcia Alcocer est natus a. 1842 in dioecesi Toletana, Ordinem ingressus in Prov. S. Gregorii Magni in Insulis Philippinis dicta a. 1860, ad quas insulas post tres annos est profectus. Sacerdotio initiatus tam meritorie varia obivit munera, ut S. Pontifex eum Episcopum Cebuensem creaverit d. 7 iunii 1886. Iurium Ecclesiae se semper praebuit extremum defensorem, itemque erga gregem non minus magistrum quam patrem diligentem. Dominatione hispana in illis regionibus deperdita, aufugere non voluit. Anno 1901 ei insuper data est administratio archidioecesis Maniliensis et, postea, etiam dioecesis Viganensis. Talium munerum impletio, ut erat in tanta rerum adversitate contrariaque animorum commotione vere ardua, ipsi vero in maius meritum cessit. A. 1903 gravi infirmitate compulsus triplici suo muneri renuntiavit atque in Hispaniam est regressus. Brevi post Pius X eum Archiepiscopum titularem Bostrensem creavit. Ipse autem claustrale silentium ac vitam religiosam petiit, et omnium necessitatibus pro facultate sua subvenit. Tandem d. 20 maii 1926 in conventu de Pastrana morte sancta terminavit vitam laboribus, meritis, virtutibus plenam; AOM XLV, 1926, 249-51.

⁂ Supremum diem 20 maii 1926 clausit R. P. Bonaventura Dei, Prov. SS. Stigmatum in Thuscia dignus filius ac Definitor actualis. Qui natus a. 1882, Ordinem ingressus a. 1898, sacerdotio auctus a. 1904, multum laboravit in archivis conventuum ordinandis, in documentis historicis perlustrandis et prelo promulgandis. Inter ea, quae iam collegerat, memorare licet epistolas Antonii Laghi a Castrocaro (1668-1727), Vicarii Apost. in Sinis. Periodici *Studi Francescani* redactorem non sine merito egit; AOM XLV, 1926, 298s.

⁂ Die 29 maii 1926 in Tangerina civitate obiit A. R. P. Fortunatus Fernandez y Romeral, Prov. S. Gregorii M. Philipparum filius. Natus in territorio Toletano a. 1864 ac Ordinem ingressus a. 1879, laudabiliter explevit officia Lectoris, Custodis ac Ministri, imo Vicarii Glis in Hispania. Huic honori onerique tamen mox valedixit et in missionem Marochii mitti petiit. Voti compos factus iterum ibidem Lectoris munere fungebatur. Inter alia typis vulgavit *Los Franciscanos en Marruecos*, Tanger, Tip. de la Mision Católica, 1921 (vide *Arch. Ib.-Am.* XVI, 1921, 258-62); AOM XLV, 1926, 266 s.

⁂ Die 7 sept. 1926 in conventu Gorheimensi prope Sigmaringam animam reddidit Creatori Excmus ac Rmus D. Dionysius Schuler. Natus a. 1854, habitum S. Francisci a. 1871 induit in conventu Fuldensi et Custodia Thuringiae. Legibus civilibus coactus in Prov. aliena S. Ioseph in Belgio studia absolvit et a 1878 sacerdotium suscepit. Paucis mensibus moratus est in Galliae dioecesi S. Adeodati et in Alsatia, donec obedientia duce a. 1881 transivit in Americam. Alacriter variis in muneribus obeundis illic per duodicim annos laboravit. In Thuringiam vero rediit electus a. 1893 illius Custodiae Moderator et anno sequente primus Minister eiusdem noviter fundatae Provinciae. Quod munus exer-

cuit usque ad a. 1903, quando in Capitulo Gli electus est Minister totius Ordinis. Optimo isti patrifamilias imprimis cordi erant unio et charitas fraterna, bonum missionum Ordini concreditarum, educatio clericorum, studium historiae Ordinis. Ipse fundari iussit hoc nostrum AFH, et sortem materialem Collegii S. Antonii Patavini in Urbe, quod ingenti adhuc aeris alieni pondere premebatur, in tuto posuit. Pius X eum d. 27 oct. 1911 « propter merita sua erga Ordinem, bonam voluntatem spiritumque eximiae sedulitatis, quocum hunc gubernavit », nominavit Archiepiscopum Nazianzenum. Consecratus fuit d. 5 nov. Statim rediit in Provinciam suam, quindecim fere annos in conventu Gorheimensi moraturus. Episcopale et sacerdotale munus sedulo exercendo multis adhuc profuit, sed omnibus erat eius conversatio grata atque aedificatoria, et vera digna quod morte Sanctorum coronaretur; AOM XLV, 1926, 256 s. Cf. AFH I, p. VII s., 180, 496-8; II, 175; III, 363-6, 386-8; V, 175.

⁂ A. R. P. IOANNES MARQUINA OCAÑA, filius Prov. S. Iacobi in Hispania, die 18 sept. 1926 mortuus est. Qui natus a. 1844, Ordinem ingressus a. 1859, sacerdotio auctus a. 1867 ita varia etiam Ministri officia explevit in Provincia, ut eiusdem revera praecipuus restaurator dici debeat. Ipso auctore initium habuit periodicum *El Eco Franciscano*, quod aliquot annis moderavit auxitque; AOM XLVI, 1927. 125 s.

⁂ In Domino obdormivit Lugduni d. 21 ian. 1927 R. P. EUSEBIUS CLOP, Prov. S. Dionysii in Gallia alumnus. Natus a. 1861, una cum suo parocho, cui ad altare inserviebat, Ordinem ingressus est a. 1877. Persecutionis causa a. 1880 in Angliam transfretavit, ibique sacerdotio decoratus et novitiorum pro-magistri est functus officio. Persecutione aliquatenus sedata in Galliam est reversus. Varias Europae linguas edidicit. Praesertim ad cantum gregorianum restaurandum adlaboravit et antiqua quaeritans manuscripta diversas regiones peragravit. Auctor est plurimorum operum, quorum praecipua cantum ecclesiasticum et S. Liturgiam respiciunt. Sub prelo reliquit *La Spiritualité de S. François*. Multa ab ipso edita opera afferuntur ap. AOM XLVI, 1927, 157, quibus adde *Saint François et la liturgie de la chapelle papale*, AFH XIX, 753-802.

⁂ Ex hac vita d. 19 iunii 1927 migravit Rmus ac Illmus D. LUDOVICUS ANTOMELLI, Laudensis Epus et Prov. Mediolanensis alumnus. Qui a. 1863 natus habitum Minorum sumpsit a. 1885, sacerdotio vero est auctus a. 1890. Variis etiam Provincialatus in Provincia muneribus laudabiliter expletis, d. 23 febr. 1913 electus est Epus tit. Leptimagnensis et primus Vicarius Apost. Lybiae, qua missione Provinciam auxerat. Die 10 martii 1919 translatus est Balneoregium, a. vero 1924 ad sedem Laudensem. Laborem nusquam recusans imprimis adlaboravit ut clerus tam saecularis quam regularis augeretur meliusque sese haberet; AOM XLVI, 1927, 254 s.; cf. AFH VI, 795.

⁂ Die 8 aug. 1927 in oppido Tsingtao in Domino obiit Rmus et Illmus D. ADALBERTUS SCHMÜCKER, episcopus tit. Elearchiensis, Vicarius Apost. de Tsinanfu in Sinis, Prov. Saxoniae S. Crucis dignus filius. Natus a. 1878 in Olsberg Westphaliae, minoriticum habitum induit

a. 1897. Vix sacerdos a. 1905 Sinas petiit. Variis muneribus ibi est functus et d. 12 aug. 1920 electus Vicarius Apost. Indefesse et cum bono exitu laboravit ad Vicariatum, tempore belli aere alieno gravatum, liberandum; ad vivificandum spiritum et fervorem suorum missionariorum mediante periodico ab ipso fundato; ad christianorum gentiliumque instructionem fovendam pauperumque miseriam levandam. Ad mortem aegrotans se Vicarii munere abdicavit, d. 26 iulii 1927 annuente S. Pontifice. In omnibus se praebuit exemplar; AOM XLVI, 1927, 315-9.

B). — *Acta Ordinis FF. Min. Conventualium.*

Curia Generalitia. — Litteris encyclicis 31 ian. 1922 Adm. R. P. Delegati Ordini de morte Benedicti PP. XV notificatur; *Commentarium Ord. Fr. Min. Conv.* X, 12. — Die Natali in Seraphico Divi Bonaventurae Collegio de Urbe Septimum a morte Seraphici Doctoris et Quartum a morte Sixti PP. V, Ord. Min. Conv. centenaria sollemniter aguntur; ibid. 24. — Diebus 1-5 iunii 1922 in Collegio Seraphico Internationali Congregatio Generalis Intermedia habita est, Praeside Rmo P. Ministro Gli DOMINICO M. TAVANI, in quo electi sunt: P. M. FRANCISCUS DALL'OLIO e Provincia Patavina Procurator Glis; P. M. ALOYSIUS M. BONDINI, Socius et Assistens Glis, Provinciae Patavinae; Secretarius et Assistens Glis: P. M. JUSTINUS FIGAS, Provinciae Americanae S. Antonii, cuius tamen renuntiatio officii pluries repetita acceptata est; Procurator Missionum et Assistens Glis: P. M. ANTONIUS ROCCHETTI, e Provincia Marchiae; Assistens Glis: P. M. FRANCISCUS MONAY, e Provincia Hungariae; ib. 113. — De Quarto Centenario Sixti PP. V relatio festorum publicatur, l. c. 175. — Die 25 iulii 1923 Rmus P. Dominicus Tavani, Min. Glis. XXV Sacerdotale Anniversarium celebravit, XI, 49. — Advertitur ad VII Centenarium adventus Minorum in Angliam, die 10 septembris 1924; ibid. XII, 37. — Die 20 aprilis litterae encyclicae a Rmo P. Generali eduntur de proximo Generali Capitulo Romae celebrando; ib. XII, 89. — In quo Capitulo, die 3 et 4 iunii celebrato, electi sunt: in Min. Glem: Rmus P. M. ALPHONSUS M. ORLICH, Provinciae Histriae; Procurator Glis: A. R. P. FRANCISCUS XAVERIUS D'AMBROSIO, Provinciae Neapolitanae; Ius Assistens et Socius Ordinis: A. R. P. M. FRANCISCUS M. DALL'OLIO, Provinciae PATAVINAE; Assist. et Secretarius Glis Ordinis: A. R. P. M. ALOYSIUS FISCH, Prov. Americ. S. Antonii; IIIus Ass. Glis: P. TIMOTHEUS BRACHLE, Prov. Argentinae; IVus Ass. Glis: P. ANTONIUS ROCCHETTI, Prov. Marchiae; de his et actibus capituli vide l. c. XII, 136-46; ibid. 147 prima epistola encyclica neo-electi P. Generalis. — Die martii 28 1926, occasione Lmi anniversarii professionis suae Rmo P. M. DOMINICO REUTER, ex-Ministro Gli litterae congratulatoriae a Rmo P. Gli. Alphonso Orlich mittuntur; ib. XXIII, 112. — Eiusdem Rmi litterae encyclicae occasione VII Centenarii a morte Seraphici Patris publicantur l. c. XXIII, 244. — Eiusdem litteras circulares de sollemniis Beati IOH. FRANCISCI BURTÉ martyris revolutionis Gallicae, videas l. c. XXIII, 317.

Novus Episcopus. — Benedictus PP. XV die 14 ian. 1922 ad Episcopatum pro Ecclesia Cathedrali Sebenicensi evehere dignatus est A. R. P. M. HIERONYMUM M. MILETA, Provinciae Dalmatiae; *Com. Conv.* X, 13. Qui consecrationem accepit die 26 febr. eiusdem anni in Basilica Ordinis SS. XII Apostolorum; ib. 23.

Novus Postulator. — Rescripto Rmi P. Glis, die 28 nov. 1925 Postulator causarum Beatificationis et Canonizationis constituitur P. IOSEPH VICARI; ib. XXII, 167.

Novus Secretarius Ordinis. — In sessione Definitorii Glis ad hoc munus suffectus est A. R. P. M. TIMOTHEUS BRACHLE, 3 maii 1926; ibid. XXIII, 186.

Novi Consultores. — A SS. D. N. Pio PP. XI Consultor S. Congr. de Sacram. creatus est A. R. P. M. ANTONIUS ROCCHETTI, Procurator Missionum et Assistens Glis; ib. XXI, 67.

⁂ Rescripto Secr. Status die 12 dec. 1925 Consultor S. Congr. de Religiosis renuntiatus est Rmus P. DOMINICUS TAVANI, ex-Min. Glis. — Eiusdem Secretariatus rescripto diei 16 aug. 1926 consultor S. Congr. de Discipl. Sacr. renuntiatur idem Rmus Tavani; XXIII, 22, 146.

⁂ Eiusdem rescripto consultor S. Congr. de Religiosis nominatur A. R. P. M. FRANCISCUS XAV. D'AMBROSIO, Procurator Glis Ordinis, die 26 iulii 1926, l. c. 250.

⁂ Eiusdem rescripto consultor S. Congr. de Sacramentis die 14 martii 1927 renuntiatur P. M. ANTONIUS BOLOGNINI, Provinciae Patavinae; l. c. XXIV, 119.

⁂ Eiusdem rescripto diei 16 augusti 1927 adnumeratus est Consultoribus S. Congr. pro Ecclesia Orientali Rmus P. M. ALOISIUS BONDINI, Provinciae Orientis; l. c. XXIV, 228.

Missio apud infideles in Extremo Oriente Ordini assignatur. — Rescripto S. Congr. de Propaganda Fide, Rmo P. Gli ALFONSO ORLICH petente, Missio in Sinis, Provincia Scensi, concreditur, die 21 dec. 1924; l. c. XXII, 9. — Die 18 iulii 1925 primi missionarii, in hanc missionem profecti sunt; l. c. XXII, 170.

Defuncti Illustres. — In conventu Cracoviensi, in quo munere Guardiani fungebatur, die 10 ian. 1922 pie in Domino obdormivit A. R. P. M. MARIANUS SOBOLEWSKI, Ex-Procurator Ordinis; *Com. Conv.* X, 12.

⁂ Die 5 febr. 1923 in Conventu Herbipolitano pientissime in osculo Domini obiit A. R P. M. CONRADUS EUBEL, Definitor Glis Ordinis, S. Theologiae Doctor et Magister, et Seraphici Instituti ac reipublicae litterariae verum ac fulgentissimum decus. — Natus in pago Sinning (Bavaria) die 19 ianuarii 1842, litteris humanioribus in Gymnasio Villingensi studuit. Disciplinas philosophicas didicit in Lyceo Augsburgensi, die 30 iulii 1864 habitum franciscalem induit, studia theologica in Universitate Herbipolensi absolvit, die 1 augusti 1865, nondum expleto triennio votorum simplicium, cum dispensatione apostolica sacerdotio auctus est. Pluribus annis animarum saluti indefesse adlaboravit, plurimum contulit ad restaurandam ecclesiam Ordinis Herbipolensem. Interim iam studiis historicis clarere coepit et pro libro suo doctissimo *Historia Provinciae*

Minoriticae Superioris Alamanniae (edito an. 1886) a Facultate Theologica Herbipolensi doctorum laurea insignitus est anno 1889. Iam 1887 Superiores eum, ut munere Poenitentiarii apud Basilicam Principis Apostolorum fungeretur, Romam vocaverunt, ubi huic muneri adiunxit studia et investigationes historicas profundissimas. Iussu et auspiciis Rmi P. M. Laurentii Caratelli, Ordinis Ministri Glis, notissimum illud vastaeque molis opus *Bullarium Franciscanum,* cuius P. Hyacinthus Sbaralea volumina I-IV, Romae 1759-68 ediderat, continuandum suscepit idque ab anno 1303 ad annum 1431 perduxit: tribus voluminibus impressis Romae an. 1898. 1902, 1904, quibus 1909 addidit *Bullarii Franc. Epitome* [i. e. tomorum I-IV] *et Supplementum,* Ad Claras Aquas 1908; cf. AFH II, 646s. Ibidem an. 1892 ediderat *Provinciale Ord. Fratr. Min. vetustissimum.* Ex archivo Vaticano, quod pro *Bullario Franc.* necessario perlustrabat, eadem occasione collegit *Hierarchiam Catholicam Medii Aevi* (Monasterii Guestfal. 1898-1910; 3 voll. in-4°; voluminis I et II editio IIa, ibidem 1913-14) quod viris doctissimis monumentum aere perennius atque historiae ecclesiasticae studiosis indispensabile proclamabatur. Plura minora in variis foliis periodicis edidit et dissertavit; v. gr. in hoc AFH I, 601-16; II, 108-22 edidit *Elenchum Romanorum Pontificum Epistolarum quae in Archivo S. Conventus Assisiensis O. M. Conv.* exstant; ibidem V, 727-36; VI, 118-28 aliqua de *Fr. Thoma Murnero, O. M. Conv.* evulgavit, ab amico interim defuncto collecta. Ab an. 1886-1902 praeterea auctor erat *Annuarii Clerici Catholici Germaniae;* annis 1908-09 *Historiam Provinciae Minoriticae Coloniensis* conscripsit (cf. AFH III, 799) iam octogenarius 1922 *Historiam Coenobii Herbipolitani* (cf. AFH XVII, 294s.) saecularia festa celebrantis. Eius bibliographiam collegit P. Ferd. Doelle ap. *Franzisk. Studien,* V (1918), 307-13, et P. Dom. Sparacio ap. *Miscell. Franc.* XX, 28-31; cf. ib. XXI, 50. Cf. AFH XVI, 282.

Scientiae et doctrinae non imparem exhibuit vitae sanctitatem: semper obediens, religiosae disciplinae zelus qui rigorismum attingebat, humilitas profunda, castitas illibata. Quasi omnia Ordinis officia adimplevit, rescripto pontificio propter insignia erga Ordinem merita a Rmo P. Gli, Dominico Reuter, ac Generali Capitulo proponente Definitor Glis creatus est anno 1898, necnon ab Ordinario suae dioecesis primus et unicus ex clero regulari Consiliarius Ecclesiasticus nominatus. Nec in studiis nec in laboribus unquam aliud novit nisi gloriam Dei, salutem proximi, decorem Ordinis et perfectionem religiosam sibi propositam. Cuius memoria in benedictione erit; l. c. XI, 22-6.

⁂ Die 15 maii 1925 in conventu Posnaniensi pie obdormivit A. R. P. M. Hyacinthus Fudzinski, Definitor Glis, ex-Provincialis Prov. Americanae Imm. Concept., Fundator et ex-Provlis Prov. Americanae S. Antonii; l. c. XXII, 114.

⁂ Kulupae in Sinis die 3 iulii 1926 pie in Domino obdormivit R. P. Antonius Dau, primogenitus mortuorum in nova missione Ordinis; l. c. XXIII, 288.

*** Galatz in regno Romaniae die 2 aprilis 1926 animam deo reddidit A. R. P. M. ULDERICUS CIPOLLONI, veteranus missionis Moldaviae, illius Vicariatus Apostolici per plures annos vicarius generalis et, episcopo defuncto, universae dioeceseos administrator.

C).,— *Acta Ord. FF. Min. Capuccinorum.*

Cura Generalitia. — Litterae encyclicae Rmi P. IOSEPHI ANTONII A PERSICETO, Ministri Glis, principaliores edebantur febr. 1922 (De morte Benedicti P.P. XV); *Anal. Ord. Fr. Min. Cap.* [= AOC] XXXVIII, 38. — 15 martii, (De electione Pii P.P. XI) l. c. 65. — Die 15 aprilis SS. Pontifex Litteras Apostolicas misit ad Rmum P. Generalem occasione Tertii elapsi saeculi a natali S. Fidelis a Sigmaringa; (l. c. 97). — Sept. 12 Rmus P. Generalis gratulatur Rmo Magistro O. P. occasione Septimi a Transitu S. P. N. Dominici elapsi saeculi; (l. c. 583). — 29 iunii 1923 Litterae dantur FF. in Statibus Foederatis Americae Sept. (XXXIX, 214). — 18 iunii 1924 eduntur Litterae encyclicae de educatione tironum ad normam Epistolarum Apostol. (XL, 199). — Die 25 decembris 1925 De Sollemniis Septies Centenariis in honorem S. P. N. Francisci celebrandis; (XLI, 4). — Die 16 ianuarii 1926 Litterae exhortatoriae de missionibus ad instar tractatus; (XLII, 65). — 15 augusti neo-electus Generalis, P. MELCHIOR A BENISA ad Ordinem suum Litteras scripsit encyclicas; (l. c. 229). — Declaratione Supremae Congr. S. Officii, facta quae P. Pio de Pietralcina tribuuntur, incertae supernaturalitatis designantur fidelesque monentur ut huic declarationi se conforment. Quae declaratio renovatur die 24 iulii 1924 et fideles ab omni communicatione, etiam epistolari, cum dicto P. Pio arcentur; ib. XL, 232.

Capitulum Generale. — In Capitulo Generali, in Urbe celebrato diebus 24-30 maii 1926 in Ministrum Glem electus est Rmus P. MELCHIOR A BENISA; Definitores Gles Rmi PP. GREGORIUS A BRENO, ELIGIUS A FENNE, CLEMENS A TERZORIO, LAZARUS AB ARBONNE, SYLVESTER A TASSON, GONDULPHUS A TERNEUZEN; Procurator Rmus P. GREGORIUS A BRENO: AOC XLII, 84.

Novi Episcopi. — Decreto S. Congr. Consist. diei 16 febr. 1923 Episc. Tit. Claudiopolitanae Ecclesiae nominavit Rmum P. GABRIELEM A STANS, deputatum Vic. Ap. de Dar-es-Salaam, Provinciae Helveticae; AOC XXXIX, 106.

*** Eiusdem S. Congr. decreto cathedrali Ecclesiae Bovinensi in Apulia praefectus est A. R. P. CORNELIUS A MUSSOLENTE, Provinciae Venetae.

*** Novo Vicariatui Caronensi erecto in Republica Venezuelae, 10 febr. 1922. praeficitur Illmus et Rmus P. BENVENUTUS DIDACUS ALONSO ut Ep. tit. Dorylaei; ib. XL, 16.

*** Eiusdem S. Congr. decreto nominatur Vicarius Apost. Erythraeae Rmus P. CAELESTINUS A DESIO, die martii 24, 1925, qui promotus est ad sedem tit. Businitensem; ib. XLI, 88.

*** SS. D. N. Pius XI Illmum et Rmum D. Fr. FABIANUM EESTERMANS Sedem cathedralem Sahorensem sponte abdicantem ad Sedem tit. Letopolitanam benigne transtulit; ib. XLII, 63.

*** Rescripto S. Congr. Consistorialis diei 7 maii 1926 SS. D. Pius PP. XI Rmum P. IOSEPHUM ANTONIUM A PERSICETO, Min. Glem O. Min. Capp. eligere dignatus est in Pastorem Eccl. Metrop. Mutinensis. De cuius consecratione vide ib. XLII, 198.

*** In consistorio secreto die iunii 21 1926 idem SS. Pontifex publicavit translationem Illmi ac Rmi D. Fr. FRANCISCI IOSEPHI SEMINARA, hactenus episcopi Candiensis, ad Sedem tit. Echinensem. Administratorem Apost. dioecesis Candiensis nominavit A. R. P. ISIDORUM A SMYRNA; ib. XLII, 489.

Suppressio Provinciae Styriensis. — Rescripto Apostolico supprimitur Provincia Styriae et erigitur Provincia Austro-Hungarica sub nomine Viennensi ac erigitur Provincia Illyrica, 30 dec. 1921; XXXVIII, 43.

Visitatio Rmi P. Generalis in Missionibus Ordinis in Indiis Orientalibus, Arabia et Erythraea locum habuit 30 oct. 1921 - 8 maii 1922. Super qua relatio publicatur; l. c. 183-6. — Die 7 martii 1923 idem Rmus iter arripuit pro visitatione Provinciarum in Statibus Foederatis Americae Sept., quae quatuor circiter menses duravit; l. c. 80. — Die 7 nov. 1913 visitationem aggressus est Missionum in America Meridionali; l. c. 278.

Translatio Vicariatus Apostolici. — Per Breve Apostolicum Vic. Ap. de Kansù orientali committitur Provinciae Rhenano-Westphalicae, eique praeficitur Illmus et Rmus Fr. SALVATOR WALLESER, hactenus Vic. Ap. Marianen. et Carolinen. eiusdemque Provinciae alumnus; ib. XXXVIII, 186.

Novus Vice-Secretarius Generalis. — Definitorium Generale die 31 octobris 1922 nominavit Vice-Secr. Glem A. R. P. AEGIDIUM A CARAGLIA; AOC XXXIX, 26. Cui successit 5 sept. 1923 A. R. P. MAXIMUS A BEDERO; ib. 250. — Die iunii 17, 1925 nominatus est Vice-Secret. Glis A. R. P. DIONYSIUS A GANGI, Prov. Panormitanae.

Novi Consultores. — Rescripto Secr. Status die 12 dec. 1922 SS. D. N. Pius P. P. XI nominavit Consultorem S. Congr. a Negotiis Regul. Illmum et Rmum D. D. LUCAM PASETTO, Ep. tit. Gerrae; AOC XXXIX, 106.

*** Eiusdem Secretariatus rescripto Consultor S. Congr. Rituum adnumeratus est Rmus P. VICTORIUS A SESTRI PONENTE, Praedicator Apostolicus, die 15 dec. 1923; ib. XL, 33.

*** Eiusdem rescripto die 12 ianuarii 1926 inter Consultores S. Congr. de Religiosis nominatus est Rmus P. LAZARUS AB ARBONNE, Secretarius Procurae Gen.; XLII, 63.

*** Rescripto Secr. Status die martii 11, 1927 nominatus est consultor S. Congr. de disciplina Sacram. Rmus P. TIMOTHEUS AB HECHINGEN; ib. XLII, 105.

Novus Definitor Glis. — In locum defuncti P. SYMPHORIANI A MONTIBUS HANNONIAE electus est die 11 aprilis 1924 Rmus P. EDUARDUS AB ALINCONIO, Provinciae Parisiensis; ib. XL, 148.

Nova Missio Ordini concredita. — S. Congr. de Prop. Fide die 21 maii 1926. Ordini commisit Missionem in insulis S. Andres et Providencia intra fines Reipublicae Columbianae; AOC XLII, 289.

Defuncti Illustres. — Die 15 iulii 1921 diem obiit supremum Illmus et Rmus D. EMMANUEL VAN DEN BOSCH, Archiepiscopus tit. Pariensis. Natus est Antverpiae, die iun. 18, 1854, humanioribus litteris studuit in Collegio Societatis Iesu civitatis natalis. Die 24 maii 1873 Anghiae habitum Ordinis Minorum Capp. induit et post labores in Belgio ardentissimus animarum zelus ad Indias Orientales eum duxit, ubi Missioni Allahabadensi adscriptus fuit, quam die 20 iulii 1890 mutavit pro Lahorensi. Post mortem Rmi D. Monard ad sedem episcopalem evectus est die 21 nov. 1890. Die 2 maii 1892 ad sedem archiepiscopalem Agraensem promotus est, initio ianuarii 1894, praesidente Illmo Domino ZALESKI, Apostolico Delegato, Concilium Provinciale celebravit. Immodicis laboribus et anxietatibus fractus in ipso aetatis flore anno scil. 1897 administratione archidioceseos renuntiare coactus fuit, quem Leo P.P. XIII Archiepiscopum tit. Pariensem creavit. Ab hoc tempore vitam duxit tranquillam et piam, omnibus praebens profundissimae humilitatis exemplum usque ad mortem, sanctitatis fama illustris; AOC XXXVIII, 222.

⁂ Die 26 nov. 1922 post longam infirmitatem obdormivit in Domino Romae in Conventu Imm. Conceptionis Rmus P. PAULINUS A PALMA, ex-Definitor Glis; AOC XXXVIII, 329; XXXIX, 31.

⁂ Die 13 iunii 1922 mortuus est in Conventu Sarriá-Barcinonensi Rmus P. IOACHIM MA. DE LLEVANERAS, Commissarius Glis Hispaniae, Prov. Cataloniae, frater germanus Cardinalis Ios. C. Vives y Tuto; ib. XL, 46.

⁂ Die 1 aprilis 1923 animam Deo reddidit in Curia Generali Rmus P. SYMPHORIANUS A MONTIBUS, quintus Definitor Generalis, Provinciae Belgicae; ib. XL, 166; cf. AFH XVIII, 161, 420.

⁂ Die 16 octobris 1926, Andegavii in monasterio Sororum a S. Maria Angelorum vulgo « L' Esvière » improviso vita functus est Rmus P. VENANTIUS A L' ISLE RIGAULT, ex-Minister Glis Ordinis. In saeculo Paulus Ludovicus Dodo natus est die 5 oct. 1862 in pago L' Isle-en-Rigault, dioecesis Virodunensis. Studiis humanioribus absolutis, scholae iuris civilis nomen dedit et lauream consecutus in foro Parisiensi apud tribunal appellationis advocatus constitutus est. Sed die 25 iunii 1889 saecularibus honoribus valedicens, annum agens 27, seraphicum induit habitum et 29 iunii 1895 sacerdotio auctus est. Anno 1903, instante procella a Gubernio Gallico contra Religiosos excitata, in Ministrum Provlem eligitur et strenue causam suorum in iudicio persecutorum defendit. Anno 1908 in Capitulo Generali Definitor et Procurator Glis eligitur. et anno 1914 Supremus Ordinis moderator. Quo officio functus, 1920 in Provinciam rediit et Constitutionibus Ordinis, necnon Monialium institutorum, revisendis et cum novo Codice componendis, qua Consultor Congr. Negot. Relig.. operam dedit usque ad diem obitus; ib. XLII, 317; XLIII, 54; v. AFH XVIII, 422 s. **Directio Periodici.**

Sac. ANTONIO DEL SOLE Direttore responsabile.

Tipografia del Collegio di S. Bonaventura. — QUARACCHI

DISCUSSIONES

DISQUISITIONES CELANENSES

(Conclusio) (1).

De Tractatu Miraculorum S. Francisci.

Hic reliquas quaestiones *Tractatum* attinentes discutiemus, de codicibus qui opus hoc nobis servaverunt acturi, tunc de fontibus, quibus Fr. Thomas Celanensis in *Tractatu* compilando usus sit, plura dicturi atque de huius operis authentia. In fine harum disquisitionum brevis conspectus subdetur.

De codice M Tractatus.

Codex **M**, qui solus integrum (ut ita breviter dicamus) *Tractatum* nobis conservavit, est ille sic dictus codex Massiliensis Musei Franciscani, in cuius priore parte *Vita II* exstat (2).

Pro 10 paragraphis e *Vita II* in *Tractatum* transsumptis allegatae fuerunt etiam variantes alterius codicis *Vitae II*, scil. Assisani *686* (3) (= **A**).

Altera pars codicis M, i. e. *Tractatus* (f. 40r-73r), circa an. 1300 scripta est ab altero amanuensi (4), cuius litterae non solum formae maioris sunt, licet paulatim decrescant, sed etiam ductum rotundiorem prae se ferunt. Ambo librarii vix non coaevi erant, eidem codici scribendo addicti, id quod insinuant etiam qualitas membranae idemque, ut videtur, rubricator, qui utriusque operis titulos minio adiecit. *Tractatus* occupat fasciculos 4-6, e quibus IV et V sexterni sunt, VI et ultimus quinternus. Fol. 73v vacat. — Rubrica: *Incipiunt miracula beati Francisci. Quod ortus religionis sue mirabilis fuit.* Incip.: *In primo narrationis ordine.*

(1) Cf. AFH XX, 433-496; XXI, 3-54.

(2) Cf. de eo AFH XX, 433ss. Servatur nunc in Archivo generali O. F. Min. Capuccinorum, Romae, sign. *Arm. A, I, 1.* (3) L. c.

(4) Cf. Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 87-8.

Explicit: *et nostrorum perfici iussit auctoritas prelatorum. Amen.* — Haec vox ab altero scriba addita est, qui tunc in margine inferiore notavit: *Finito libro, sit laus et gloria Christo.*

Capitulorum non numeratorum tituli rubricati sunt; initiales litterae alternatim rubrae et ceruleae. Singula Miracula distinguuntur signo illo paragraphi tunc communi. Adest postilla ad n. 4 et altera ad n. 37; hanc, ad instar priorum editorum, in capituli VI titulum conversam invenies ap. AF X, 286, priorem in ipso margine (p. 273).

Deficit in initio *Epistola* dedicatoria et praefatoria, cum qua auctor hoc opus suum tertium ad Iohannem Parmensem transmisit ([1]). Deest quoque extrema operis sententia (n. 198, l. 14-5), quam ex Ast comperimus ([2]). Illa res gravis dicenda est et librario certe crimini vertenda, haec multo levior est, reprehensionis aliquantae digna, laudis omnino expers. Caeterum amanuensis M elegans simul et diligens erat neque inaccuratus, neque desidiosus. Plura menda levia vocum singularum in textum Celanensis invexit, quae hic non recensemus, quia cuilibet in apparatu critico ad manus sunt. — De relationibus, quae inter textum codicis M aliorumque fragmentorum *Tractatus* intercedant, infra, 175-6, sermo recurret.

De aliis codicibus fragmenta Tractatus exhibentibus.

Fragmenta *Tractatus* exstant in famosissimo codice Assisano n. *338*, f. 44r-8r, (= **Af**), absque titulo, nam verba: *Miracula Santi* (sic) *Francisci post mortem* praefixit saec. XVIII P. Ludovicus Lipsin, O. M. Conv.

Celeberrimus iste codex plurima circa S. Franciscum continens ([3]), maximam partem scriptus esse videtur ante an. 1279. Pars de qua hic agimus, e sequentibus exarata esse patebit post an. 1253. — Incipit ([4]) textus: *In Fanensi civitate quidam ydropisis morbo | meruit liberari,* i. e. III Cel. 70. Tunc eodem ordine quo in III Cel., etiam in Af sequuntur (f. 44r-v) nn. 71-80, i. e. totum caput IX *Tractatus.* — Reliquae paragraphi in Af tumultuarie e III Cel. excerptae sunt, nempe tunc n. 113-5, (i. e. tres ultimae capitis XIII) n. 148-9, (i. e. duae ultimae capitis XV), 107, 187, 197 (paenultima totius III Cel.), 196, 93, 59, 181.

Excerpta omnia 23 hac in tabellula conspici possunt, num. 1 = III Cel. 70; n. 3 = 72; n. 4 = 73; n. 5 = 74; n. 6 = 75; n. 7 = 76; n. 8 = 77; n. 9 = 78; n. 10 = 79; n. 11 = 80. — Deinde n. 12 = 113;

(1) Vide supra, 38-40. (2) Cf. 166.

(3) Eum descripsit Benv. Bughetti, AFH V, 237-9; cf. etiam dissertationem F. C. Burkitt, notatam ap. AFH XVIII, 164.

(4) Textum hunc integrum ed. P. Sabatier, ap. *Misc. Franc.* VI (1895), 40-3; ubi recte intuitus est hic fragmina e III Cel. haberi.

n. 13 = 114; n. 14 = 115. — Num. 15 = 148; n. 16 = 149. — Num. 17 = 107; n. 18 = 187; n. 19 = 197; n. 20 = 196; n. 21 = 93; n. 22 = 59; n. 23 = 181.

Ante n. 148 inserta est rubrica: *De duabus mulieribus a fluxu sanguinis liberatis et de quibusdam aliis infirmis;* item ante n. 93: *De eo quem a vinculis liberavit et de duobus aliis miraculis.* Qui uterque titulus excerpentem aperte indicat; titulus iste perquam pedester necessarius erat ob vocem « *infirmis* » in priore rubrica. — Hoc autem in n. 93, qui longior est, in Af incipit numeratio in margine [1], I-X, quae usque in finem producitur. Hi numeri romani respondent: II in n. 93, l. 9: *Quo comperto;* III in l. 17: *Iam omni spe;* IV: l. 25: *At ille;* V: l. 33: *Qui cum.* — Deinde sequuntur ad paragr. 59, VI: l. 1; VII: l. 6: *Sequenti;* ad par. 181, VIII: l. 1; IX: l. 12: *Cuiusdam;* X, l. 21: *Cumque.* — In fine huius par. 181 excerptor, iam fessus, subdidit: *Huic narrationi et nos iam finem imponimus, multitudine scribendorum miraculorum silentium indicente. Deo gratias. Amen.* — Conicimus scribam intendisse dicere: « his narrationibus » seu « huic collectioni ». Dimidia fere pagina (f. 48r) hic in Af vacat.

Iam e prima parte horum excerptorum (n. 1-11) manifestum fit Af *Tractatum* excerpsisse, integrum scilicet eius capitulum assumens, idque hic fideli calamo. In his numeris *Tractatus* 70-80 admodum rarae variantes ex Af adnotandae erant. Tunc binas paragraphos ultimas capitum XIII et XV vix casu plane fortuito extraxit. Nullum criterium, quo in excerpendo ductus sit collector, prehendi potest; nam plura exemplavit, quae iam in I Cel. narrata fuerant; unicum *Miraculum* e *Leg. chori* transsumptum (149) Af exemplare non neglexit; excerpta varias regiones, variaque miracula respiciunt.

In sua par. 12 = III Cel. 113, quam Fr. Thomas e *Vita I,* 144, assumpsit, eam breviando et plura mutando, e variantibus subnotatis apparet Af certo respectum habuisse ad textum originalem, scil. ad I Cel. 143; nam ubi III Cel., iuxta As et M, habet: *tota videbatur ventris congeries effluxisse,* Af legit cum I Cel.: *intestina omnia defluebant;* sed omisit *exterius.* — Item l. 3: *fluxa* As M; *ea intus* Af cum I Cel. — L. 4 e I Cel. assumpsit verbum *locare.* — Dein l. 4-5 suo modo I et III Cel. confundit, e I Cel. interserens sententiae initium: *Recurrit ad medicos.* Abbreviata e I Cel. l. 5-7 non restituit. Ultimae sententiae initium: *Cum igitur* (uti As, M legunt) mutavit ipse in: *Qui cum;* finem vero eiusdem in III Cel. a I Cel. plane variantem: *mira celeritate fracta prius et consolidata persensit et deformia reformata* (sic As, M) etiam contra I Cel. sic vertit: *statim mirabiliter sanatus, eos qui eum noverant, ad stuporem perduxit.* Haud quidem ineleganter, *cursui* veloci planum sufficiens et lusum verborum Celanensis, nescio cur, devitans.

In n. 114 nomen Iohannis laesi et sanati Af in *Ionathas* commutavit, contra As, M, Bes et CG. — Initium n. 107: *In Sicilia mulier quaedam*

(1) Similes numeros marginales in cod. Puppiensi observavimus; AFH XX, 55-6.

cum ab Af mutatum fuit in: *Mulier quaedam in eadem insula cum*, quia in Af n. 149 praecedit, in quo de « *femina quadam de Sicilia* » sermo fuit. Caeterum hac in paragrapho fidelissimum ammanuensem Af egit. — Econtra valde infidus apparet in n. 187, pro quo ad manus nobis sunt alii quatuor testes.

Tunc Af statim subiunxit n. 197, scil. paenultimum in III Cel. Sed quoad hunc clare est animadvertendum eum in III Cel. assumptum fuisse e I Cel. 143, paucis mutatis vocibus. Hae in Af deficiunt, qui revera hunc textum integrum exemplavit e quodam codice *Vitae I*, non e III Cel., unica variante graphica, immo unica littera excepta: *capsam* pro *cassam* scribens cum M et CG. Proinde variantes codicis Af ad n. 197 in III Cel. non notandae sed praetermittendae erant.

Etiam in n. 196 plura Af admiscuit e *Vita I*, 145 (uti supra in n. 113); quae admixtiones signatae fuerunt ap. AF X, 329. — Bonum textum Af offert in n. 93; in pluribus incorrectiorem et retractatum in n. 59, in quo insuper extremam partem (l. 15-8) omisit. Quae omissio duplici constat elemento: priore minimo, sed minime necessario pro narratione, atque altero maiore, sed in Af omnino superfluo. Nam hoc maius non nisi transitio est, quae in Af sensu careret.

Ultima paragraphus in Af una ex illis est, quas Fr. Thomas maiore cura et fusiore modo elaboravit, scil. III Cel. 181. Hic incipit: *Praxedis religiosarum famosissima in Urbe et orbe Romano*; in Af vero haec reducuntur ad: *Religiosa quaedam*, utroque nomine personae et loci suppresso [1]. Tunc l. 2-3 *quadraginta* (sic M, Bo), Af diminuit ad *triginta*, aliaque mutavit, *cursum* velocem in sententiae fine in tardum convertens. Sententia secunda (l. 4-6), in qua S. Franciscus refertur Praxedem ad obedientiam suscepisse, eidemque religionis habitum, tunicam et chordam dedisse, plane omittitur. — Reliquae variantes minoris sunt momenti.

In initio suae collectionis *Miraculorum* (n. 1-11), Af integrum caput IX e III Cel. valde accurate excerpsit. Iam vero in dicto capitulo nn. 70-1, 76-9 e I Cel. promanant, sed cum aliquibus variationibus in III Cel., quae eaedem sunt etiam in Af. Ita extra omne dubium ponitur, has paragraphos in Af e III Cel. exscriptas esse. Duo etenim scriptores partes eiusdem operis assumentes seu excerpentes, sed easdem in aliquibus retractantes, non ubique eamdem methodum tenent. Atqui methodus hic servata eadem est, quam Fr. Thomas etiam alibi in *Tractatu* adhibuit, ubi e *Vita I* Miracula assumpsit. E quibus consequitur, hypothesi fortassis a quopiam proponendae, in Af fontem reperiri e quo Celanensis *Tractatum* compilans hausisset, ne fucatam quidem veri speciem adfore.

E supra de Af adnotatis liquet etiam Af, videlicet hanc partem (f. 44r-8v) celeberrimi codicis Assisinensis *338*, post an. 1253

---

(1) S. Bonaventura, *Leg. mai.*, *Mirac.* VIII, 7, narrationem longe magis quam Af contraxit, utroque tamen nomine servato.

scriptum esse, vix statim post confectum *Tractatum*, cuius textum amanuensis in aliquibus variavit. Quod potius egit circa an. 1260-70 vel paulo postea; nam altera ex parte, scriptura etiam ista tempori ante annum 1279 labenti tribui potest. — Non absque ratione quispiam coniceret librarium titulum quemlibet ante haec *Miracula* praetermisisse, ob decretum Capituli generalis an. 1266 (1), atque eamdem forsan ob rationem eumdem etiam stilum ultimi sui praesertim *Miraculi* mutavisse.

Non inutile aestimamus hic expresse adnotare Af excerpta sua nequaquam e *Leg. maiore* assumpsisse. Hoc inde clare liquet, quod non solum primi numeri 11 in Af exstantes, a S. Bonaventura neglecti fuerunt, sed etiam n. 17, 19, 20 atque nn. 12-14, in *Leg. maiore, Mirac.* VIII, 2, ad pauca verba reducta sunt. Insuper lectiones variantes aliorum Miraculorum speciales in Af, non sunt in *Leg. mai., Mirac.;* cf. n. 15: ibi VIII, 6; 18: III, 12; 21: V, 4; 22: III, 8; 23: VIII, 7. Hinc liquet etiam Af ne respectum quidem ullum habuisse ad *Leg. maiorem*. Demum notes, velim, duo ultima Miracula in Af, n. 22 et 23 maiores quasdam retractationes quam in *Leg. maiore* subiisse; quibus, sub hac ratione, accedit n. 12, qui in *Leg. mai.* deest, seu ad paucula verba compressus est.

Alterius codicis *Tractatus* misere dissecti reliquiae servatae fuerunt in duobus MSS. Assisanis n. *661* (= **As**) et n. *390* (= **At**). — Codicem illum destructum siglo **Ast** signabimus. — In codice At (2) quatuor folia a compactore codicis adhibita fuerunt ad custodiam (ut aiunt), quare plicata et secta fuerunt folia, sicque particulae textus absumptae sunt. Servatae fuerunt extremae paragraphi III Cel. capitis XVIII et caput XIX seu Epilogus.

Incipiunt: *astantem comitem,* n. 182, 18. — Sequuntur n. 183, 1-5 usque: *lupi ante suum;* tunc linea in plica legi nequit et excidit; prosequitur: *bovem quod* usque in finem. — Sequitur integra par. 184. — In n. 185, l. 1: *De Interdoclo* manus quaedam posterior (= At²) in rasura male correxit: *interdum;* Af enim omiserat *de.* — Desunt ob plicam verba (3) inter *servan*[*dum*] et [*ar*]*dore* (l. 2-3). — Integer adest n. 186. — Initium par. 187 disparuit usque ad: [*ma*]*nifeste* (l. 2). In fine At² add *et sanus fuit.* — Ultima particula numeri 188 inde a *condescen*[*dit*] deest ob plicam, itemque exordium n. 189 usque *hominum* (l. 2). — Ob plicam

(1) De quo cf. infra, 177.

(2) Cf. de eo Mazzatinti, *Inventarii dei MSS. delle biblioteche d'Italia*, IV, Forlì 1894, 67; L. Alessandri, *Inventario dell' antica biblioteca del convento di S. Francesco in Assisi compilato nel 1381*, Assisi 1906, 68, 161. Hic primus haec fragmenta detexit, a P. Ed. Alenconiensi non adhibita. Codex continet *Scintillarium*, exemplatum saec. XIII.

(3) Litterae hic inter uncos positae in At deficiunt.

item deest ultima sententia in n. 190: *Nam et - specialem* et principium n. 191 usque [*hor*]*reum* (l. 1). — Legitur integra par. 192 brevis. — In media par. 193 una linea iam legi nequit et altera deest: *sancti - instructa* (l. 4-5). — Integra habetur par. 194, ad cuius finem At aliqua omiserat, quae partim sed non recte in margine supplevit. Iudicium tamen adaequatum ferri nequit, quia margo ipse hic corrosus est.

Exinde, omissis nn. 195-197, ultima paragraphus 198 subnectitur, ad cuius initium in margine corroso adhuc leguntur:..... *la sci.* Quae sic suppleri posse opinamur: *Expliciunt Miracula sancti Francisci.* Etenim epilogus nullum Miraculum continet. — In n. 198 ob plicam exciderunt *auscultent* - [*vene*]*ratione* (l. 7-8). — In fine autem integra sententia, licet brevis, in At comparet, quae M, pro more suo omisit: *Retributionem expectamus a Christo Domino, a vobis, fratres et patres, gratiam poscimus et amorem.* — De cuius sententiae authentia vix ullum dubium oriri potest, quoniam eumdem conceptum Fr. Thomas enuntiaverat in fine *Vitae I* et *II* atque in Prologo *Legendae chori* (1).

Eiusdem (2) codicis destructi cuius ultima folia modo recensuimus, alia folia non continua servata fuerunt in **As**, qui revera e plurium codicum reliquiis seu fragminibus olim compactus est (3). In As haec folia non codicis colligandi causa adhibita fuerunt, sed integra inserta fuerunt, qua folia 5, 6, 65 et 66.

Fol. 5ra incipit: *quos ab ipsa fauce mortis eduxit,* i. e. ultimis verbis cap. VII seu n. 48, scil. transitione ad caput VIII. — Statim adnotamus rubricatorem in As et At munus suum non explevisse. Librarius pro ipso in margine initiales litteras parvulas in initiis singularum paragraphorum praenotaverat, in textu spatium pro eis relinquens, per duas lineas pertingens. — Hic vero, i. e. ante exordium cap. VIII (n. 49) librarius etiam spatium pro titulo capituli vacuum reliquerat et in margine superiore parvulis litteris hunc titulum scripserat: *De hiis quos ab ipsa mortis fauce ad vitam reduxit.*

Sequuntur in fol. 5ra-vb integrae paragraphi 49, 50, 51 et initium par. 52. Textus prosequitur continuus in fol. 65ra-vb, scil. nn. 52, 53, 54, 55, 56 usque ad: *sepultus iacebat homo* (l. 8). Quod Miraculum Lentini actum sic abrumpitur.

Tunc textus, post longum intervallum, prosequitur f. 66ra-vb, quod exorditur: *frater translationis gaudiis,* n. 109, l. 19. — Sequuntur integri n. 110, 111, 112, 113, 114, 115 et 116 usque ad: *Accipiens* (l. 13). Sed textus statim prosequitur in fol. 6ra-vb, in quo (4), ultra finem n. 116, integros habes nn. 117, 118, 119, 120 (omittitur n. 121), 122, 123,

(1) Cf. I Cel. 148, 151; II Cel. 222-3; *Leg. chori,* n. 1.

(2) Sic quoque censuit L. Alessandri, *Inventario,* 161-2; ubi num. *666* corrigas in *661.*

(3) Mazzatinti, l. c. IV, 110.

(4) Patet fol. 6 et 66 quae invicem cohaerent (uti fol. 5 et 65) ordine praepostero codici *661* interserta esse.

124 et prima vocabula n. 125: *Apud castrum Plebis iuvenis quidam.* — Sic desinit As.

Ante n. 116, quocum incipit caput XIV: *De caecis, surdis et mutis*, praenotata est minimis litteris haec rubrica in margine laterali: *De cecis et mutis* (1). Hinc quoque liquet codicem hunc eamdem capitum divisionem habuisse quam M prae se fert.

Haec ergo summa paragraphorum e codice Ast nobis servatarum, in As: n. 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57; tunc ibidem: n. 109, 110, 111, 112, 113, 114, 115, 116, 117, 118, 119, 120, 122, 123, 124, 125. — In At vero exstant: n. 182, 183, 184, 185, 186, 187, 188, 189, 190, 191, 192, 193, 194, 198. — Summatim in As exstant, sive ex parte, sive ex integro, paragraphi 26; in At autem 14. Proinde e cod. olim Ast paragraphi 40 nobis conservatae sunt, dum Af solas 23, immo rectius 22 praebet.

Codex Ast cuius paragraphos 40 utcumque adhuc habemus, scriptus erat, ab amanuensi quasi calligrapho, certo saec. XIII et probabilius circa annum 1266, cuius decreti in *Legendas* antiquiores lati vi eius lacerationem tribuere licet (2), eo quidem manifestius quod etiam rubricatorem impedivit, quominus munus suum exsequeretur. Sic antequam codex perficeretur, iam ruinae traditus est. Membraneus erat, binis columnis scriptus; mensurae 25,05×17 centim., ideoque quo maior eo patentior effectui decreti praefati expositus.

Textus codicis Ast probus et fidus praedicandus est. Variantes ipsius non crebrae adnotatae fuerunt ap. AF X, 292 sqq. Pro textu III Cel. recensendo et firmando maioris utilitatis fuit quam Af. Altera manus paululum posterior (As² et At²) pauca quaedam correxit, non ubique feliciter (v. dicta de n. 185 et 194). Primus amanuensis ipse aliqua in marginibus interdum supplevit. Iam monuimus rubricatorem opus suum in titulis capitum et in initialibus minio supplendis numquam esse exsecutum, probabilius decreto illo anni 1266 impeditum. Quod decretum tamen non vetuit, quominus alius quidam Frater (As², At²) vel codicem ipsum vel eiusdem iam disiecta membra attente perlegeret et in quibusdam locis suo modo corrigere conaretur.

Ad n. 115 (perbrevem) et ad 116, 118, 119, 120, 124 (longiores) nullae variantes in Ast prostabant, id quod fidum textum in Ast et in M insinuat (3). Idem ostendit variantium defectus in parte n. 182 (l. 18-24) servata, in n. 183, 189, 190 (ubi ex At nomen urbis correximus), atque levissimae variantes notatae ad n. 54-7, 186 et 191. — Insuper Ast Epilogum integriorem nobis servavit.

(1) Quae adnotatiuncula Laetum Alessandri, l. c. 162, fugit.
(2) Cf. AFH VII, 678; XX, 51.
(3) De hoc quoad CG v. infra, 170s.

Attamen in Ast non integer *Tractatus* exemplatus fuerat, nam in serie caeterum continua, in As omissus est n. 121, itemque in At n. 195-7. Omissionum rationem coniecturamus inde petendam esse, quod n. 121 et 195-7 e *Vita I* repetiti sint; inter alias tamen paragraphos ex Ast servatas duae 113 et 125 etiam in I Cel. exstant [1].

Coniectura ergo praevie facta modum agendi in Ast servatum undique non explicat, nisi simul admiseris has duas paragraphos ab amanuensi inadvertenter transscriptas esse.

De operibus partes Tractatus servantibus.

Compilator *Chronicorum 24 Generalium,* Fr. Arnaldus de Sarnano, non solum penes se habuit *Epistolam* Fr. Thomae praefatoriam, quacum opus suum ad Fr. Iohannem Parmensem transmiserat [2], sed etiam eximium codicem ipsius *Tractatus,* cui siglum **CG** indimus.

Chronica 24 Generalium maximam partem compilatio sunt, circa an. 1369-74 collecta [3]. In ea Fr. Arnaldus plurium Fratrum Minorum *Vitas* antiquiores inseruit, circa alios narrationes modo breves modo diffusas, documenta etc. — Narrationem suam exorsus est a S. Francisco (1-10, 13-4, 22-4, 27-31), sed ibi de sancto Patre breviter potius narratis plura immiscuit, praecipue de Fratribus Minoribus in Hispania (10-3), in Marochio (15-22) et in Anglia (24-7). Post plurima alia interposita, aliqua de S. Clara dicit (182-4), dein ad Fratres in Hispania rediens (184-8). Exinde autem magnam *Chronicorum* partem *Miraculis* S. Francisci dedicat (189-209), aliqua referens quae acciderunt cum S. Franciscus ex Hispania rediret (189-91), plura vero post Sancti obitum facta in Hispania, specialiter Ilerdae in regno Aragoniae (191-99) et nominatim de Iohanne de Castris, Ilerdae (191-3), qui erat « *vir dives et b. Francisco intima devotione coniunctus* » (191). De hoc, tacito nomine, etiam in III Cel. 11-3, *Miraculum* narratum est [4].

Postea, nullo fonte nominato (uti Fr. Arnaldi mos erat), 58 *Miracula* e *Tractatu* verbotenus exscripsit, exordiens a n.° 52 et paenultimo 197 desinens. Quae *Miraculorum* series (= **CG**) tempora sive generalatum S. Francisci apte concludit; nam hinc statim ad tempus Fr. Iohannis Parentis auctor seu compilator transit.

Miracula ista compacte et continue invicem subsequuntur (pag. 199-209). Neque tumultuarie e III Cel. excerpta sunt, sed plerumque in ipsius *Tractatus* ordine progressivo, qui in initio tantum perturbatus

---

(1) Quam omittendi rationem alibi etiam in M et A, relate vicissim ad I et III Cel., adnotavimus; AFH XX, 435, 444ss.

(2) De qua v. supra, 38-40.

(3) Cf. AF III, p. VIII sqq.

(4) Cf. de eo et in *Leg. mai., Mirac.,* 1, 5, supra, 32, notam 4.

est. Hac etenim in serie haec *Miracula* excerpta sive collecta sunt [1]: n. 52, 60, 65-8, 72, 53, 55, 62-4, 69-71, 73-9, 105, 104, 107, 110. 114, 126-7, 130-45, 160, 162-7, 184, 187-8, 193-4, 197. — Melioris conspectus causa seriem continuam horum *Miraculorum* hic colligimus: 52-3 55, 60, 62-9, 70-9, 104-5, 107, 110, 114, 126-7, 130-45, 160, 162-7, 184, 187-8, 193-4, 197. — Quae universim 58 numerantur et, relata ad nn. 198 totius *Tractatus,* fere tertiam partem eiusdem constituunt, priore parte (n. 1-51) in eis penitus neglecta.

Cuius selectionis in CG factae rationem ac methodum inquirere iuvat. Quoniam Fr. Arnaldo *Vita I* ad manus non fuerat [2], elucet relationes de facto inter I Cel. et III Cel. exsistentes, hic in causa esse non potuisse. Utraque res vicissim comprobatur ex eo, quod in CG hae paragraphi e I Cel. in III Cel. repetitae leguntur: 67-71, 76-7, 130, 134, 136-42, 160, 162-7 atque 197.

Delectus *Miraculorum* in CG factus esse apparet, praecipuo respectu habito ad *Leg. maiorem* S. Bonaventurae, quam utique Fr. Arnaldus « peroptime »[3] noverat et ad quam paulo ante haec excerpta lectores amandaverat [4].

Etenim e nn. 58 in CG e III Cel. excerptis, solus n. 187 duplicatus dicendus est relate ad *Leg. maiorem,* in qua *Mirac.* III, 12 legitur, plerumque iisdem verbis, solo fine mutato [5]. Duplicati vero dici nequeunt nn. 110-15 (qui lineis 51 constant in III Cel.), quia isti in *Leg. mai., Mirac.* VII, 2 (in fine) brevissimis constringuntur; neque n. 52, qui ibidem, III, 11, una cum altero novo prodigio breviter refertur; neque n. 184, qui (una cum n. 185-6) vix paucis verbis ibidem, X, 3, recolitur. Attamen fatemur in selectu apud CG aliquot *Miracula* in III Cel. narrata, neglecta fuisse, videlicet n. 28, 34-9, 80, 90, 149, 157, 161, 168-73, 179-80, 196, licet in *Leg. maiorem* assumpta non fuissent. E quibus omissis inducere possumus Fr. Arnaldi non interfuisse, omnino universa *Miracula* a S. Bonaventura olim praetermissa, in sua collectione seu suo supplemento memoriae prodere, quin tamen criterium subiectivum quo in selectu suo ductus sit plane et secure erui queat.

Fr. Arnaldus bene noverat etiam Bernardi de Bessa (= **Bes**) *Librum de laudibus* [6], qui in hunc plerumque breviatos assumpserat e III Cel. nn. 34, 37-8, 48, 80, 111, 125, 153, 161, 168-73, in CG fortassis ideo neglectos. Si ergo eam ob rem etiam ad Bessanum ali-

---

(1) Cf. tabulas synopticas a P. Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 108-12, compositas, qui etiam de relationibus inter CG et *Leg. mai.* ibid. 93, 98, summatim dixit. (2) Cf. supra, 40.

(3) Vox est III Cel. 34, l. 6. (4) P. 193, l. 31.

(5) Suspicamur duplicatum illud involuntarium fuisse et hunc num. oculos Fr. Arnaldi scrutantis fugisse, quia in *Leg. mai.* alio prorsus in contextu legitur. (6) Cf. de eo, supra, 40; infra, 172-4.

quem respectum in selectione sua perficienda Fr. Arnaldus habebat, concedendum est ex altera parte, hunc respectum [1] nonnisi obiter consulto habitum esse. Quod elucet ex eo, quod n. 70-3, 75, 114, 126-7, 130-9, 140-3, 145, 160, 162-7, etiam apud Fr. Bernardum leguntur; inter hos saltem nn. 70-1, 73, 126-7, 130-5, 139 verbotenus vel ferme ita.

In initio et in fine collectionis e III Cel. in CG servatae singula *Miracula* rubricas sive titulos prae se ferunt, in *Tractatu*, qui in capitula divisus est, deficientes. Alibi rubricae illae plura *Miracula* complecti primo obtutu videntur, sed revera sic coadunatorum prodigiorum solum primum rubrica titulove insignitum est [2]. Duae adsunt rubricae generales: *De liberatis a caecitate* (p. 205-7), et *De contractis curatis* (p. 207-8). Prior rubrica, nn. 130-145 comprehendens, adamussim alteri parti maiori capituli XIV *Tractatus* respondet; altera mediae parti capitis XVII, sed non ita ad unguem usque, siquidem sub ea habes n. 160-7, ast praetermissus est n. 161.

Propter *Miracula* Hispanica selectum istum in CG praecedentia, mirari aliquis poterit, quod in eo *Miracula* in Hispania ostensa neglecta sunt. Omissiones hae item e duplici respectu ad Bessanum et ad *Leg. mai.* habito explicantur. Nam III Cel. 102 et 189-91 in *Leg. mai.*, *Mir.* IX, 2 et X, 2, saltem paucis adducti erant, n. 34 vero a Fr. Bernardo, c. IV relatus erat; quoad n. 11-3 Fr. Arnaldus expresse ad *Leg. maiorem* suos lectores amandaverat [3].

Textus horum 58 Excerptorum, quae nonnisi *Miracula* post S. Francisci obitum ostensa referunt, e III Cel. fideli calamo exemplatus est, quemadmodum accurata eorumdem collatio quemlibet docebit. Ideoque in editione ap. AF X, 293 sqq., maius emolumentum ex eis petitum est, quam in editionibus prioribus. Siglo CG signatae sunt lectiones variantes textus ibi ope plurium MSS. *Chronicorum 24 Gen.* constituti; interdum vero etiam ad variationes MSS. recursum est, quae siglo **Cg** adductae fuerunt; siquidem variantium illarum seges omnibus ap. AF III, 199-209, prostant patentque. Excellentia collectionis CG etiam ex eo elucet, quod in aliquibus §§ nulla lectio varians adduci potuit; v. gr. in 70, 78, 130, 134, 139, 167 (quae parvulae sunt), in 126, 164 (quae longiores sunt). — Transpositiones binorum vocabulorum in CG in apparatu signatae non fuerunt, sed tantum plurium inversiones; v. gr. in n. 68.

Verumtamen laudes maiores aequo textibus in CG transscriptis tribuere nolumus, quia quandoque errores continet (v. 52, l. 6; 53, 4; 55, 4 etc.), licet his in rebus nulli codici cuiuscumque scripti praerogativa

---

(1) Non opinamur respectum confirmari variante minima in n. 160: *applicitum* M; *applicatum* CG, Bes et I Cel. 127.

(2) Cf. p. 203, 205, 209. (3) Cf. supra, 168, et infra, 174.

recognoscenda sit. — Initium n. 73 sic in CG sonat: *In castro Arpini, Soranae dioecesis, quidam cum;* in Af et M: *In eodem castro iuvenis quidam cum.* Varietas in CG non lectio varians est, sed mutatio consulto facta, quia n. 73 extra contextum semovit, nam n. 72 iam ante 8 alia *Miracula* retulerat. — In n. 165, l. 2: *et ad obediendum et obtinendam gratiam* voces I, III et IV erroneae sunt, contra sensum contextumque, ortae e verbo V male lecto. Vix dubitamus, quin iam in MS. quo Fr. Arnaldus usus est haec adfuerint.

Excerpta in CG ab ipso Fr. Arnaldo directe e quodam MS. *Tractatus* tracta et exemplata esse, ostenditur: 1°) ex *Epistola* praefatoria ab eo solo memorata; 2°) e tota hac excerptorum serie ampla; 3°) e relationibus inter haec extracta et *Leg. maiorem,* ad quam 4°) ipse Fr. Arnaldus de Iohanne de Castris agens expresse legentes remisit ([1]).

Cum S. Bonaventura, decennio post *Tractatum* compilatum (1250–53) nondum elapso, an. 1260-63 *Legendam maiorem* conscriberet, etiam III Cel. abundanter utebatur. Longe maximam partem huius operis suo novo inseruit, plerumque verbis stiloque Celanensis conservatis. Hinc etiam *Leg. maior* (= **Bo**) codicum III Cel. penuriae maximae sublevandae et aliquatenus supplendae utile subsidium afferre potest. Quod in iis praesertim locis obtinet, in quibus textus in M ex aliquo defectu laborare apparet. Sed prudenter remedium hoc textus sanandi causa applicandum est, quia S. Bonaventura saepissime ex industria hic leviores ibi maiores mutationes in textum suum invexit. Minore, ut ita dicamus, cautela uti opus erit, ubi Bo pro aliqua lectione confirmanda affertur. Omnibus expensis et pensatis, e Bo variantes tantum sporadicae adduci possunt, non tamen sine utili profectu.

Relationes inter III Cel. et *Leg. maiorem* singulatim exponere non huius est loci, sed adnotare sufficit, ea quae facta seu prodigia vivi S. Francisci in III Cel. concernunt, in Bo suis quibusque locis inserta fuisse, quin hic inquiramus, utrum e III Cel. an e II Cel. vel e I Cel. in Bo assumpta fuerint, ea scilicet quae ex his scriptis modo quocumque in *Tractatu* repetita sunt ([2]).

Sic in *Leg. mai.* V, 9, 10 habentur III Cel. n. 14 et 17. In VII, 12: n. 15; VIII, 7: n. 31; VIII, 8: n. 29, 30, 23-4; VIII, 9, 10: n. 27, 26, 25; IX, 5: n. 33; XI, 4: n. 41; XII, 3-5: n. 20-2; XII, 9: n. 174-6, 178; XII, 10: n. 177, 124, 121, 155-6; XII. 11: n. 195, 108, (et 19); XIII, 6: n. 18; XIV, 6: 32. — Aliqua in XIII, 3, 10 recurrunt e III Cel. n. 4, 3, et in XIV, 2, 3 e III Cel. 4, 5.

Tunc transitus fit ad alteram partem *Leg. maioris* inscriptam: *De Miraculis ipsius post mortem,* divisam in 10 capita. Paucis exceptis ([3]),

---

(1) Cf. supra, 168, 170. (2) Cf. de eis, 177 sqq.
(3) Scil. I, 2; III, 4, 11 (partim); XI, 1.

Miracula hic collecta e III Cel. assumpta fuerunt. Etiam tituli horum 10 capitum partim titulis in III Cel. respondent cap. I: III Cel. cap. II; c. II: Cel. VII; c. III: Cel. VIII; c. IV: Cel. X; c. V: Cel. XI; c. VI: Cel. XII; c. VII: Cel. XIV. Caput VIII componitur paucis prodigiis selectis e III Cel. c. XIV-XVII; cap. IX item paucis delectis e III Cel. c. XII et XV. Ultimum caput X, uti et cap. XVIII Celanensis, diversimodi generis prodigia complectitur. Generatim ordo horum *Miraculorum* ex uno capitulo Fr. Thomae delectorum in Bo aliquatenus invertitur.

E *Tractatu* multa in suum *Librum de laudibus b. Francisci* (¹) transtulit Fr. Bernardus de Bessa (= **Bes**), licet in elencho fontium suorum seu Legendarum anteriorum solummodo *Vitam I*, non *II*, neque *Tractatum* commemoraverit (²). Bernardus *Leg. maiorem* supplere voluit (³), sed non stricte, nam « pauca alia vel eadem interdum » 'tangere' sibi proposuit.

Ista a Fr. Bernardo e III Cel. transsumpta, ut praefatis longe minora numero et tenore sunt, ita etiam minoris sunt utilitatis pro textu *Tractatus* recognoscendo. Aliqua tamen adminicula praebere etiam ista possunt, unde ea non negligere visum est, quamquam lectiones acriore circumspectione in Bes quaesitae, maiore adhuc cautione in apparatum criticum induci debent.

In cap. VII (p. 678, 8-11) fere verbotenus breve prodigium in III Cel. 179 exscripsit. - Ibidem, (l. 11-5), liberius transsumpsit n. 19, 1-7. — In c. IV (675, 5-10) compendiando aliquantum variavit n. 34. — In c. VIII (687, 24-35) valde contraxit n. 37-8, de Iacoba Romana; sed n. 39 neglexit. — Vix e III Cel. 48, sed potius e *Leg. chori*, 15 (aut e *Leg. mai.*, *Mirac.*, II, 8) tulit breviculam notitiam de resuscitato in Alamannia.

Caput suum IX (688-92): *De quibusdam miraculis* in V paragraphos, iuxta *Miraculorum* species divisit, quarum I prodigia 16, II vero 10, III tunc 8, IV autem 5, V demum 2 complectuntur.

Primum miraculum (I, 1) non e sola *Vita I* 127, sed etiam e III Cel. 160 hausit, ut voces *delata* (l. 25), *erat* (ib.) ostendunt; sed *plorare* (l. 27) provenit e I Cel. etc. — I, 2 e III Cel. 162 sed contractius derivat, non e I Cel. 129; v. *beato* (l. 31). — E Cel. III, 163 contractum est I, 3, ut ultima 5 verba demonstrant. — De I, 4 nihil certi dici quit, ideo quia I Cel. 132 et III Cel. 165 plane conveniunt; Bes rem contraxit. — Idem adnotandum circa n. I, 5, in Bes contractissimum, et paulum breviatum I, 6. — Econtra I, 7, 8, 9, 10, 11, 12, in solo III Cel. 153, 168, 169, 170, 171, 172, leguntur et in eodem quoque ordine. — Tunc

(¹) Ap. AF III, 666-92; edidit etiam P. Hil. [Felder] a Lucerna, O. Cap., Romae 1897.

(²) Cf. iam dicta de eo supra, 43. — Iste ergo elenchus fontium sive utcumque exstantium sive a Fr. Bernardo adhibitorum consulto incompletus est.

(³) AF III, 666, 16-7.

sequens I, 13 omnino est III Cel. 173, uti ipsum compendium ostendit (relate ad I Cel. 135) et ultima sententia. — Item omnes voces propriae III Cel. 161 recurrunt in I, 14, (non in I Cel. 128); idem dicendum de I, 16 = III Cel. 80 (non vero est I Cel. 141). — Nihil autem edici potest circa I, 15 = III Cel. 164 et I Cel. 131.

Solis textibus inspectis in § II, 1-10, anceps haerere posses, utrum 1, 3, 7-9 e I Cel., an e III Cel. promanarint; sed expendens nn. 2, 4, 5, 6, in solo III Cel. legi, et omnes hos nn. 10 eodem fere in ordine ibi contineri, videns demum n. 10 certo e III Cel. 139 (non e I Cel. 136) haustum esse, tibi facile persuadebis, universa haec prodigia e *Tractatu* exscripta esse, sed plerumque brevius, non e *Vita I*, 136-7. — En eorum series 1: III Cel. 130; 2: 131; 3: 134; 4: 132; 5: 133; 6: 135; 7: 136; 8: 137; 9: 138; 10: 139.

Haec tunc series est § III, 1-8. Num. 1: III Cel. 126; 2: 145 (valde restrictum); 3: 127; 4: 140; 5: 141; 6: 142; 7: 143; 8: 125. Ex his n. 1-3, 7 in solo III Cel. adsunt; n. 4, 5, 6, 8 etiam in I Cel. 149, 150 occurrunt. Verum n. 4 et 6 dictiones speciales *Tractatus* prae se ferunt. Num. 8 plus dimidio contractior est quam in III Cel. 125, sed quadruplo brevior quam in I Cel. 147-8. In hoc ita compendiando Bes utrumque fontem respiciebat; nam *formata protulit verba* (l. 29) e I Cel. promanant et *homines... noverant* e III Cel. Bes ipse narrationem suam compendiatam esse hisce innuit: « *de quo alibi habes* ». Quibus verbis impraecisis Bes alludit vel ad *I Cel.*, vel ad *Tract.*, vel ad *Leg. maior.*, *Mir.* VIII, 1. In hac enim *Leg.* prodigium clare e *Tract.* compendiatur et melius aptiusque quam in Bes.

Ex 5 *Miraculis* in § IV, tantummodo 1 et 2 etiam in I Cel. 141 et 142 notata fuerant, sed ambo in Bes dictionem III Cel. 70 et 71 prae se ferunt. — Tria reliqua 3, 4, 5 in solo III Cel. 72, 73, 75 narrantur.

Duae sanationes quae § V constituunt, item in solo III Cel. 111 et 114 narratae sunt. Prior narratio totius capitis IX in Bes longissima est, licet in compendium a Bes reducta sit; altera epitome multo brevior est.

Conclusio ergo patet. Bessanus *Miracula* sui capitis IX e III Cel. assumpsit [1] fere ubique breviando, modo pauca, modo multa omittens; saepe dictionem suam ideo variabat; aliquoties respectum habebat ad *Vitam I*, e qua tamen non notavit tria illa *Miracula* in III Cel. praetermissa [2]. Omnia ista *Miracula* post obitum S. Francisci ostensa fuerunt, nullum novum inter ea comparuit.

E III Cel. vicissim aliqui loci Bes corrigi poterunt, v. gr. I, 1 pro *exiit* legendum est *erexit;* in I, 10 pro *oppido Bonizi* legas *Podio Bonizi;* ibid. pro *mirabiliter* leges *miserabiliter;* in III, 7 pro *Ceperani* leges

(1) Mirabitur forsitan quis, quod Bessanus impraecise dicta in III Cel. de tumulo S. Francisci non correxerit, c. IX, § I, 2-6; v. infra, 180.

(2) Cf. infra, 180.

Arpini; in IV, 5 pro *Petrus Grelctanus* pones *Gaietanus;* in V, 1, pro *apud Venetum* scribes *Velletrum* (1), etc.

Quoad selectionis a Bes e III Cel. peractae relationes ad *Leg. mai.*, liquet ipsum in cap. IX ad hanc oculos habuisse intentos, ita ut tantummodo in § III, 8 repetiverit rem in *Leg. mai., Mir.* VII, 1, relatam. Praeterea in c. VIII paucis repetivit fusius expressum in Bo *Mirac.* II, 8. Alia in Bes c. IX, § I, 7 et V, 1, paucissimis memorata erant a Bo in *Mirac.* VIII, 3 et 2.

Codex Collegii S. Antonii (2) Urbis (= **An**) ad n. 19 et 32, ad III Cel. 12 et 104 allegatus fuit, quamquam n^m. 104, dictione in aliquibus mutata, exhibeat et n^m. 11-13 non proprie e III Cel. referat, sed prout in *Legenda S. Francisci* ap. *Leg. auream* (3) n. 5, sonat. Hic (12, l. 9) vocabuli unius formam: *domine* adduximus, lectionis in M vix dubiae confirmandae causa, illic autem (n. 104) tres variantes non inutiles, quamvis non necessarias.

« Compendium Claustro-Neoburgense » *Tractatus* ab aliis adductum (4), nihil aliud est quam praefata *Legenda aurea.*

Auctor *Legendae aureae,* e qua ergo indirecte unam lectionem adduximus, Fr. Iacobus de Voragine, O. P., circa an. 1265 immediate aliqua *Miracula* e III Cel. hausit, non e *Leg. maiore,* dictionem fontis, uti alias assolebat, in aliquibus mutando et plerumque prodigia narrata compendiando.

Leg. aurea, n. 24 patenter e III Cel. 6-7 sumptus est, non e *Leg. mai., Mirac.* 1, 6, uti iam oratio directa Rogerii demonstrat, quae in Bo obliqua est. — Num. 25 de viro « in regno Castellae » ex errore gravissime sauciato, adhuc patentius e III Cel. 11-3, compendiatus est; Bonaventura enim (I, 5), in pluribus aliter sanationem hanc narrat (5).

Oratio directa in initio et fine num. 50, uti et in III Cel. 43, item ostendit istum num. hinc promanasse, non e Bo II, 1. — Num. 52 evidenter e III Cel. 129, provenit, non e Bo IX, 3, ubi pars blasphemiarum, in *Leg. aurea* retenta, suppressa est. — Quamquam ex III Cel. 159, Bonaventura, V, 6, plurima verbotenus assumpsit, e vocibus: *super locum remansit* in *Leg. aurea,* 53, haec arguitur e III Cel. rem attigisse.

E contrario plura *Miracula* eiusdem *Leg. aureae* e *Leg. maiore,* (non e III Cel.) adaptata sunt: n. 30 et 31 e *Leg. mai.* V, 8-9 et 10; n. 54 e *Leg. mai., Mir.* II, 2; n. 57 indidem, IV, 3. — Non certo erui potest,

---

(1) Eaedem lectiones ap. Hil. Felder, l. c. occurrunt, demptis I et III.

(2) Cf. de eo AFH XX, 497ss , 510-1.

(3) Ed. Ephr. Baumgartner, ap. AFH V, 229s.

(4) Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 98-9, nomen istud erroneum invexit, quod postea correxit; ib. 174; v. Ed. Alencon., *S. Francisci Vita,* p. LXIX.

(5) Cf. supra, 168, 170; cf. AFH XX, 510-1.

ob narrationes nimis compendiatas, utrum *Leg. aureae* nn. 36, 51, 55, 56 e *Leg. mai.*, XI, 4; ibid. *Mirac.* V, 2; II, 4; II, 6, proveniant, an e III Cel. 41, 89, 42, 45. — Demum num. 49 probabilius e III Cel. 40 promanat quam e *Leg. mai.*, *Mir.* II, 1.

Expressis verbis statuendum est, fragmenta illa *Tractatus* in Af, Ast, CG et Bes nobis servata, nullum omnino Miraculum novum continere, quod M praetermiserit; immo nullam sententiam in narrationibus prodigiorum, in M fortasse omissam, nobis patefecisse. Alterius enim generis est extrema totius III Cel. sententia et glossula in fine n. 15 et 36. Ex adverso supra apparuit codicem Ast olim plura *Miracula* omisisse. Omissiones illae tres in M manifestatae cum methodo quam in *Vitae II* forma eiusdem codicis observavimus (1), omnino congruit. Quodsi haec methodus particulas paragraphorum in aliis MSS. nobis non traditarum fortassis contingit, *Miracula* tamen integra afficere iam non potest, quemadmodum hucusque dicta ostendunt.

Animadvertendum quoque est, fragmenta aliorum MSS. *Tractatus*, demptis pluribus e *Vita I* et *II* in hunc translatis, nihil continere, quod n. 1-48, i. e. fere quartam partem initii III Cel., corroboret vel confirmet (2). Hinc subsidia fert As, cui mox etiam CG accedit. Horum variantes leves, interdum nullae (3), indolem probam codicis M ostendunt atque vicissim ipsorummet horum testium. Quas singulatim hic exponere longum est, sed editionis apparatum inspicientibus quibuscumque hae statim patebunt simul cum aliquibus mendis, quibus M laborat (4).

Nullum horum codicum sive fragmentorum stemma colligi potest; elucet vero omnes unicam familiam constituere, e qua in partem secedit tantum Af, textum ab altero, non ab auctore retractatum continens. Caeteri affinitate stricta inter se coniunguntur; quod dicentes, archetypum e quo collectio in CG extracta est, hic significamus, qui codex integer *Tractatus* erat, immo integrior quam M. — Visa codicum aetate, Ast ex M non emanavit, neque vicissim M ex Ast provenire potuit, quia in Ast nn. 121, 195-7 omissi fuerant. Eamdem ob rationem neque CG ex Ast pendet, quia in CG adest n. 197. Porro neque M et CG directe mutuo cohaerent, ut variantes

(1) Cf. AFH XX, 435-7. (2) E contra alia opera (Bo et Bes) complura etiam ex hac prima parte (n. 1-48) *Tractatus* exhibent. (3) Cf. 167 et 170.

(4) Ex horum numero demas, inter alia, n. 15 et 108 *quamdam*, scil. *eremum*, uti M recte habet etc. Aliae variationes inter novam editionem et praecedentes adverbio *sic* significantur. — Lacuna in M adesse videtur n. 91, l. 6-7; e Bo suppleta est.

utriusque demonstrant; cf. praesertim n. 104-5, 107, 110, 127, 132, 188. — Omissiones aliquot *Miraculorum* in Ast familiam alteram non constituunt quoad textum ipsius auctoris, sed, ad maximum, cognationem lateralem traditionis textuum; variatio enim ista ab amanuensibus repetenda est non ab auctore.

In *Vita II* Fr. Thomas narrationum fines frequentissime glossulis diversae speciei, praecipue paraeneticae exornavit, quarum M complures omisit (1). Quoniam 10 paragraphos II Cel. in III Cel. transvectae sunt, opportunum est inquirere in talium glossularum sortem in III Cel. — Parvula glossa in II Cel. 166 exstans retenta est in M sive in *Tract.* n. 14; item in n. 25 e II Cel. 168; econtra glossula omissa fuit in n. 15 e II Cel. 46 atque pars glossulae in fine n. 36 e II Cel. 44 sumpti. In aliis numeris indidem assumptis glossae desunt etiam in II Cel.

Quoniam pro his §§ nobis ad manus sunt soli codices M et A, decidi non potest, utrum amanuensis M has, pro more suo, neglexerit, an auctor ipse eas suppresserit. Duae vero praefatae glossulae, rectius una et semis, in M servatae, suppressionem vix suadent. Sed re dubia manente, sufficiens est visum, in adnotationibus has omissiones expresse significare.

Etiam in narrationibus *Tractatui* propriis glossae non crebrae leguntur, plerumque paraenetici sive ascetici tenoris, n. 6, l. 10-5, in media narratione, et n. 7, l. 9-10, in fine eiusdem; n. 10, 1-5, apte ante exordium rei narrandae; n. 40, 21-3, in fine; item n. 41, 20-3, in fine; n. 98, 17-8, in fine (tamen non mera est glossa); n. 118, 7-9, in fine (tenoris magis historici); denique n. 188, 9-11, in fine. — Alii loci non inter glossas computandi sunt sed inter transitiones, n. 3, l. 12-5; n. 5, l. 19-21; dicta in initiis nn. 40, 3-6 et 41, 1-4; n. 48, 5-6, in fine; n. 59, 16-7, in fine; demum n. 171, 1-2, in initio. — Notes, quaeso, in aliorum codicum fragminibus nullibi glossas aliquas comparuisse, quae M omisisset. Optandum sane est, ut alter codex *Tractatus* integer e bibliothecarum latebris sit proditurus, si ullus in eis adhuc delitescat.

Quandoquidem vix octavo anno post *Tractatum* compositum praeterlapso, S. Bonaventura, Minister generalis (1257-74), Iohannis Parmensis successor, *Legendam maiorem*, maxima suimet auctoritate suffultam, an. 1260 exarare coepit (2), *Tractatus* vix multoties exempla-

(1) Cf. AFH XX, 435-7, sed etiam 438-45.

(2) Cf. S. Bonav. *Opera*, X (1902), 53. Cf. etiam statutum Capituli generalis, probabilius 1257, in *Caeremoniali vetustiss. Ordinis*, ed. H. Golubovich, ap. AFH III, 76, n. 74: « *Item ordinetur de Legenda b. Francisci, ut de omnibus una bona compiletur* »; cf. ib. 492.

tus est. *Legenda* enim *maior* et hoc tertium Fr. Thomae opus et duo alia priora eiusdem, plurima ex eis assumens et transfundens, substituebat, quem finem postea ordinatio illa Capituli generalis anni 1266, in *Legendas* S. Francisci anteriores lata, explicite ac valide urgebat. Sic an. 1260-63, praeter auctoris spem, ut opinamur, operi triplici Fr. Thomae Celanensis, studio et voluntate novi Ministri generalis, id obtigit quod anno 1246 Socii sancti Institutoris, collectanea sua ad Fr. Crescentium Aesinum, tunc temporis supremum Ordinis moderatorem mittentes, de his factum iri frustra speraverant (1). Hi etenim in *Epistola* sua, 11 augusti 1246, ad «*Legendas*» priores explicite alludentes, Crescentio id suggesserant, scribentes: «*quibus* [Legendis] *haec pauca quae scribimus poteritis facere inseri, si vestra discretio viderit esse iustum*».

Ignoramus autem, quid Fr. Thomas de honore isto suis operibus an. 1260-63 tributo senserit, quo animo decretum subsequens anni 1266 in opera eadem exitiale tulerit, si adhuc inter vivos tunc degebat. Quo enim tempore vita functus sit, nos omnino latet. Quodsi modus agendi an. 1260-63 a S. Bonaventura observatus aliquatenus innuere potest, Fr. Thomam Celanensem tunc iam supremam obiisse diem, edictum illud anni 1266 hoc multo magis suadet. Ast si haec definitio Capituli generalis iam senescentis Fr. Thomae aures animumque perculit, censemus ipsum humili mente se ei subiecisse atque obtemperasse, licet operis sui interitum trepidanter praesagiret praesentiretque. Profecto prope perniciem ventum est; attamen neque opera Fr. Thomae neque operum partes occiderunt (2), quoniam etiam partes quaedam minimae *Vitae II* hactenus delitescentes infra in lucem prodeunt (3).

De fontibus, praesertim Vita I et II, in Tractatu adhibitis.

Supra iam, e novis quae in *Legendam chori* inseruit *Miraculis*, Fr. Thomae «signorum S. Francisci» novorum colligendorum studium ostendimus (4); recoluimus quoque (5) ipsum in *Vita II* eadem, paucis demptis, consulto praeteriisse; deinde digessimus (6), quomodo Celanensis in *Tractatu de mirac.* apertis verbis dixerit, se aliquas narrationes ab iis didicisse, qui rebus interfuerant (n. 8-9, 37-9, 54, 109), quomodo etiam ipso narrandi modo ubere idem insinuaverit (n. 42, 49, 181; v. etiam n. 16, 41, 158, 184), quomodo aliorum *Miraculorum* fontes (7) expresse indicaverit (n. 7: documentum publicum; n. 48: bullam Gregorii IX). Quotnam alia *Miracula* utcumque scriptis tra-

(1) Cf. AFH XX, 417.
(2) Excepta, hucusque, sola *Epistola* praefatoria ad III Cel.; cf. 162.
(3) *Legenda S. Francisci Neapolitana*, infra inter *Documenta*.
(4) P. 23-4. (5) P. 28. (6) P. 25-9. (7) P. 37 et 32.

dita Fr. Thomas ab aliis acceperit, quotnam fama ad ipsum attulerit, quotve ex *Elencho Assisano* nobis impervio hauserit, discernendi facultas nobis iam non suppetit.

Verumtamen tertiam partem *Tractatus* auctor e suimet *Vita I* et *II* assumpsit, quae proinde inter praecipuos fontes *Tractatus* computandae sunt. Nam e *Vita I* paragraphos 54, dein e *Vita II* alias 10, demum e *Legenda chori* unam (n. 149) in novum suum transtulit opus. E 198 ergo paragraphis saltem 65 e proprio penu suo auctor traxit ac transtulit; 65 ter ducta numerum 195 efficiunt.

Paragraphos 8 *Tractatus* e sui ipsius *Vita II* assumptas nonnisi in paucis vocibus auctor variare studebat; sed duas reliquas paragraphos nonam (n. 5 e II Cel. 217a) et decimam (n. 28 e II Cel. 169) magis retractavit. Econtra paragraphos e *Vita I* maximam partem verbotenus transtulit, plerumque breviatas, aliis transpositis, aliis mutatis, sive e proprio sensu aut calamo, sive etiam ope *Legendae* Fr. Iuliani Spirensis, e qua verba et dicta quaedam in 10 paragraphos III Cel. immiscuit. Quoad rem in his nihil novi additum est iam narratis in *Vita* utraque anteriore. — Omnia ex operibus antiquioribus in *Tractatum* translata, in editione ap. AF X, 272 sqq. typis minoribus expressa sunt, adiecta in margine fontium adnotatione accurata (¹).

Numeri praefati diversimode computari possunt. Nam in n. 16, l. 18-21, plura verba tenoris generalis ex I Cel. 120 et 121 translata sunt. — In n. 19, paucis verbis *Vitae I* servatis, huius nn. 63, 64 et 87 compendiosissime relati sunt et alluditur etiam ad II Cel. 35-6. — In n. 29 eadem res (de lepusculo apud Graecium) refertur, quae in I Cel. 60, legitur stilo omnino diverso. — Insuper in n. 2 et 3 ad plura, cum in I Cel. tum in II Cel. narrata et exposita, valde obiter alluditur. Immo in n. 3, l. 3-4, *Vita I*, 48, sat explicite allegatur. — Etiam modo generali in n. 1 exposita (²), aperte in pluribus locis *Vitae I* nituntur. — Si quis omnium harum rerum summam computare vellet, non ad 65 paragraphos utcumque e *Legendis* prioribus sumptas deveniret sed saltem ad 75-80, i. e. sic plus quam tertiam partem *Tractatus* ex operibus praeviis suimetipsius Fr. Thomas aliquali modo, sive quoad res, sive quoad verba, mutuatus esse dici non absque ratione posset.

Artificium typographicum, quo vocabula aliunde repetita characteribus minoribus exprimuntur, variationes et mutationes ante legentium oculos apte ponunt; sed non omnes mutationes ostendunt,

---

(¹) Excipe eas paragraphos (16, 19, 29), quae pauca verba aliunde assumpta continent; haec ad paginarum calcem significantur.

(²) Expresse adnotamus in n. 1, l. 15 reperiri allusionem levem ad secundum Ordinem, nullam vero ad tertium; sicque corrigas dicta supra, 46. Res momento tamen caret, quia allusio valde obiter fit et locus in n. 1, l. 13-4 ad solos filios, id est ad I Ordinem, attinet.

cum omissiones seu breviationes atque transpositiones ita non significentur. Nihilominus defectibus eiusmodi methodo ipsi sive artificio inhaerentibus in adnotationibus expresse ac singulatim supplere operae non est pretium, quia spatium aequo largius haec occuparent consumerentque. Sufficiebat in adnotationibus breviter, ubi res istae obtinebant, easdem declarare. In paragraphis integris e *Vita II* assumptis in III Cel. auctor verborum tenori strictissime inhaerebat, exceptis (uti diximus, 178) paragraphis 5 et 28. Haec paragraphus in II Cel. 169 diffusior est; unde variantes codicis A in hac paragrapho adnotandae non erant.

En modo conspectus paragraphorum diversimode e *Vita I* assumptarum. Asteriscos iis indimus, quae tantummodo pauca verba *Vitae I* continent, et nn. 1-3 hic praetermittimus. Num. 4 = I Cel. 94, 95; n. 16* = ibid. 120-1; n. 17 = ibid. 61, l. 12-5 (ubi brevius est); n. 19* = ibid. 63-4 et 84-6; n. 20 = ibid. 58; n. 21 = ibid. 59; n. 24 = ibid. 61 (pars prima); n. 29* = ibid. 60 (cuius pars prior valde contrahitur); n. 30 = ibid. 60 (pars altera); n. 33 = 55; 67 = 139; n. 68 = 140, II; n. 69 = 140, IV; n. 70 = 141, IX; n. 71 = 142, XI; n. 76 = 141, X; n. 77 = 142, XII; n. 78 = 141, VI; n. 79 = 141, VIII; n. 80 = 141, VII; n. 108 = 63; n. 113 = 144; n. 121 = 67; n. 125 = 147-8; n. 130 = 136, I; n. 134 = 136, II; n. 136-39 = 136, III-VI; n. 140-1 = 149, II et III; n. 142 = 150, IV; n. 146-47 = 146, I et II; n. 150 = 137, I; n. 151 = 138, II; n. 155-56 = 69 et 70; n. 160-66 = 127-33; n. 167 = 134, IX; n. 173 = 135; n. 175-77 = 65-67; n. 195 = 68; n. 196 = 145; n. 197 = 143.

Quae summa, videlicet 54, plus quam quintuplo ea 10 superat, quae e *Vita II* in III Cel. translata fuerunt. — Num. 5 = II Cel. 217a; n. 14 = ibid. 166; n. 15 = ibid. 46; n. 23 = 167; n. 25 = 168; n. 26 = 170; n. 27 = 171; n. 28 = 169; n. 35 = 43; n. 36 = 44. — His hucusque 64 recensitis adde demum n. 149 = *Leg. chori*, n. 16, l. 5-6 [1].

Repetitio brevissima huius prodigii in *Leg. chori* item perbreviter insinuati magis quam narrati ostendit Fr. Thomam postea nullam ampliorem notitiam de eo comperisse seu frustra eam quaesivisse, dum econtra plura alia in *Leg. chori* carptim dicta in *Tractatu* fusius enarravit [2], illic brevitati studens, iuxta *Legendae* illius indolem ac finem, hic vero *Miracula* pluribus digerens et saepenumero ad vivum depingens.

In tertio suo opere oppositam rationem auctor tenebat relate ad primum, cuius fusiores narrationes saepius arctabat, quemadmodum praesertim demonstrant III Cel. n. 33, 67, 125, 146, 155, 173;

---

(1) Vide etiam infra 180, nota 2.
(2) Cf. p. 24 et notas ad calcem *Leg. chori*, n. 14-6, ap. AF X, 124-5.

in aliis finem contrahebat, in aliis aliqua adiuncta praetermittebat. — Immo quaedam *Miracula* post S. Francisci obitum ostensa et in I Cel. notata, in III Cel., nescio cur neglecta fuerunt, scilicet: I Cel. n. 134. VIII; n. 140, III et V atque n. 150, V. His accedit dictum genericum in I Cel. 137, 5-7, de daemoniacis S. Francisci intercessione liberatis.

Miracula universa in *Vita I* n. 127-150 narrata ante canonizationem (16 iulii 1228), in qua « *perlecta sunt et populo nuntiata* » (1), contigerant, ideoque ea quae ad S. Francisci sepulcrum facta esse explicite ibi narrantur, in ecclesiola S. Georgii obtenta fuerunt. Huiusmodi Miracula in III Cel. repetita, quin ullo verbo insinuetur eadem iam anno 1228 ita scripta esse, si auctori cura fuisset bene locum a loco distinguere, alio modo narranda erant, saltem verba quaedam praesentis in perfectum mutanda erant, ne lectores *Tractatus* iam an. 1250-53 putarent, eadem in nova ecclesia S. Francisci accidisse, in quam Sancti corpus 25 maii 1230 translatum est (2).

Sed talis cura distinctionis topographicae (quam nostri aevi viri non negligerent) auctorem non sollicitabat, utpote qui sibi curae non habebat saltem pro « *requiescit* », in III Cel. « *requievit* » vel « tunc requiescebat » substituere. Ita n. 140 denuo, non sine socordia, scripsit: « *ad locum, in quo beatus pater Franciscus requiescit* » (3). Eiusdem generis dictiones repetuntur etiam in n. 141: « *ubi requiescit... corpus* »; sic etiam n. 166; n. 130: « *ad sepulcrum viri Dei* »; item n. 134, 150, 160, 162, 163, 165-7 (4). — In n. 147 legitur: « *ad ecclesiam beati Francisci a parentibus deportatus* », dum in I Cel. 146 scriptum est vagius: « *a parentibus suis b. Francisco devote oblatus* ». Ob quam novam dictionem praecisiorem Fr. Thomas non protinus falsi est arguendus, quoniam correctio haec explicita esse potest. — Non praecisiorem sed vagiorem dictionem auctor invexit in n. 160, hic silens *Miraculum* hoc evenisse ipso die exsequiarum Sancti.

In n. 67 Celanensis omisit nomen pueri Tudertini, Sancti intercessione convalescentis; item n. 196 posuit: *alius quidam frater*, omittens: *in Marchia de Ancona* (sic in I Cel. 145); item n. 113 praetermisit sanati nomen: *Imperator* (5); etiam in n. 19. l. 7-9, nomen Graecii exprimere neglexit. — Perplexos nos paululum reddunt mutationes tres, quantumvis parvuli sint momenti; n. 164, 3, Fr. Thomas scribit: *beati patris Francisci* et n. 161, 4 ac n. 165, 2: *beati Francisci*, dum in *Vita I*, 128, 131-2, in eisdem locis bis scribebat: *beatissimi*. — Ad quod animadver-

(1) I Cel. 127, 6-7.

(2) *Leg. chori*, n. 13 et 17 et notam 7 ibi suppositam. Addimus e *Leg. chori*, n. 7, duo vocabula translata esse in III Cel. 21.

(3) Ita legunt M et CG. Bes verba quidem mutavit, rem vero clariorem non reddidit, sicuti neque in n. 141. (4) Cf. 173, nota 1.

(5) De nomine Fr. Heliae suppresso in n. 4, 31, 39 atque 155, v. supra, 31.

tendum, adiectivum gradus positivi *beatus* adhiberi tam in I Cel. 130 quam in III Cel. n. 163, (cf. etiam n. 167 etc.) et superlativum *beatissimi patris* etiam in III Cel. 166, 4 ex I Cel. 133, 4 retentum esse (¹). — Iam adnotavimus (²) in III Cel. 140, quemdam *iuvenem* dici, qui in I Cel. 149, *puer* dictus erat; item in III Cel. 147 alium *virum* dici, qui in I Cel. 146, *iuvenis* dictus fuerat. Eodem modo *puer* in I Cel. 147, interim apud III Cel. 125 factus est *iuvenis*.

Etiam relate ad *Vitam II*, 44, adiunctum topographicum: « *iuxta Reate* » omissum est in III Cel. 36. — In num. 28 legitur: « *in quodam paupere loco* »; sed in II Cel. 169 scripserat paululo explicatius: « *in monte quodam* ».

Propriam adnotatiunculam sibi n. 5 vindicat, qui aliquo modo compendium strictissimum *Vitae I*, n. 112-13 dici posset, ast reapse maiorem partem (l. 3-11) proprie e *Vita II*, n. 217a assumptus est, simul respectu habito ad *Vitam I*.

Alibi adnotatum fuit (³), num. 217a in cod. A *Vitae II* omissum esse, sed de huius *Vitae II* loci in codice M servati authentia dubitari non posse. Mutationes quaedam apud III Cel. 5 in hunc locum *Vitae II* consulto invectae genuinitatem utriusque mutuo confirmant, cum sic appareat amanuensem M locum hunc non e III Cel. in *Vitam II* transtulisse. — Accedit, quod talis modus transferendi methodo in aliquibus paragraphis II Cel. a M servatae omnino contradiceret, quoniam e contrario aliqua e II Cel. in III Cel. transtulit, ut rectius dicamus, haec in II Cel. omisit, quia in *Tractatu* occurrebant, ad quem expresse legentes remisit (⁴). — Quare autem librarius M hunc locum sic bis praebeat, facile explicatur ex eo, quod in III Cel. 5 locus *Vitae II* non simpliciter, i. e. non sine aliquibus variatis refertur, et quod propter loci utriusque tenorem, scilicet sacra stigmata post Sancti obitum a pluribus visa, eumdem servare studiose voluerit. Caeterum nulla aderat pro M ratio firmissime se adstringendi methodo a seipso arbitrarie invectae ea omittendi in II Cel., quae postea in III Cel. recurrerent.

Inter fontes a Fr. Thoma in *Tractatu* compilando adhibitos recensenda est etiam, at sensu limitatiore *Legenda S. Francisci*, quam Fr. Iulianus Spirensis, *Vitam I* Celanensis modo suo retractans, exaraverat (⁵). Ex hoc opere Iuliani Fr. Thomas in 11 *Miracula* a S. Francisco vivo perpetrata (⁶) et e suimet *Vita I* in *Tractatum*

(¹) Supra, 39, nota 4. (²) Animadvertas ap. AF X, 322, in III Cel. 166, 2, ante *sancti Francisci* vocem *corpus* e typothetae oscitantia excidisse.
(³) AFH XX, 442-3. (⁴) Cf. de his, l. c. 435-7. (⁵) Ed. Van Ortroy, ap. *Anal. Boll.* XXI (1902), 160-202. Iterum prodit ap. AF X, 332 sqq.
(⁶) Miracula post mortem S. Francisci ostensa Iulianus omiserat, eadem « *prolixiori tractatui* » reservans; *Legenda*, n. 46. — Qui *Tractatus* nullibi comparuit; unde plane dubitandum, quin Iulianus propositum suum exsecutus sit.

assumpta etiam aliqua vocabula interseruit. Quae sunt [1] in III Cel. n. 4: in Iuliano, n. 61-3; Cel. n. 20: Iul. n. 37; Cel. n. 21: Iul. n. 38; Cel. n. 24: Iul. n. 40; Cel. n. 108: Iul. n. 51; Cel. n. 155: Iul. n. 50; Cel. n. 156: Iul. ibid.; Cel. n. 175: Iul. n. 47; Cel. n. 176: Iul. n. 48; Cel. n. 177: Iul. ibid.; Cel. 195: Iul. 49.

Voces Iuliani immixta Celanensibus multa non sunt numero; relata ad totum singularum narrationum tenorem pauca dicenda sunt etiam in iis paragraphis in quibus magis abundant: III Cel. 4, 21, 155-6. Explicitis verbis statuendum est, Celanensem nullibi narrationum harum fundamen sive stamen atque tenorem e Iuliano mutuatum esse [2], sed ex suiipsius *Vita I* [3].

Hic agendi modus varius erga suas *Vitam I* et *II* atque erga *Legendam* Iuliani a Fr. Thoma observatus, vicissim etiam quodam modo ostendit *Tractatus* genuinitatem, sive hunc opus proprium esse eiusdem auctoris qui antea *Vitam I* et *II* exaraverat, quarum partes fato modo in Opus tertium transtulit; ex alieno vero Iuliani opere nonnisi maioris ornamenti causa, ut videtur, elementa quaedam formalia et sporadica selegit.

De quadam parva collectione Miraculorum in cod. Little exstante.

Nunc alia nobis inspicienda est parva collectio *Miraculorum*, quae in saepe memorato [4] codice cl. A. G. Little (= **Lt**) exstat, n. 170-83. Collectio ista nullo titulo in Lt, MS.º admodum vario, a praecedentibus et sequentibus rebus distinguitur. Titulus prodigii primi plane erroneus est [5], sumptus e prima particula n^{i}. 170. Quae tamen prima particula aperte Collectionem hanc a rebus praeviis discernit et exordium speciale sylloges istius constituit [6], etsi haec in fine nullo epilogo concludatur. Revera haec *Miracula* attente perlegens non potest, quin intelligat eadem compactum quid efformare [7], minus tenore suo admodum dispari quam forma sua litteraria, etsi omnes istae narrationes quodammodo sub titulo *Miraculorum* comprehendi possint. Prius narrantur *Miracula* intercessione S. Francisci iam defuncti perpetrata (170-8), dein a vivo Sancto peracta vel mira in eo ostensa (179-83). Omnia variae speciei sunt, liberationes, sanationes, signave monstrata. In omnibus his *Miraculis* regulae « *cursus* » optime servatae sunt [8], abunde et aperte praeemi-

---

(1) Ap. AF X, 273sqq., singula vocabula in adnotationibus significata sunt.

(2) Quod Thomas fecerat pro sola par. 41a *Vitae II*, quam discussimus ap. AFH XX, 438s.

(3) Nihil e Iuliano transiit v. gr. in n. 17, 29, 30, 55 atque 121.

(4) Cf. supra, 3sqq. (5) Cf. infra, 186. (6) Cf. infra, 186.

(7) Ap. OCH III, 13-103 et ap. *Collectanea Franc.* I, 1914, 9-113.

(8) Uti recte dixit P. Ferd. Delorme, AFH XV, 328, nota 4.

nente « *cursu* veloci » (1). — Non omnia *Miracula* relationem habent cum *Tractatu;* unum (n. 179) de Fr. Pacifico magis refertur ad *Vitam II,* 106, et partim ad III Cel. 3, l. 10-3.

Cum *Tractatu* Celanensis affinitatem habent in Lt n. 170: III Cel. 90; n. 171: ibid. 88; n. 172 et 173: ibid. 82; n. 174: ibid. 83; n. 175: ibid. 84; n. 176: ibid. 194; n. 177: ibid. 193; 179: ibid. 3. — Neque cum III Cel., neque cum I vel II Cel. cognatione ulla componi possunt in Lt n. 178, 180-83.

Ipse cl. A. G. Little omnia haec *Miracula* integra edidit, exceptis nn. 172-4, quia nullius momenti diversitates inter Lt et III Cel. in his intercedunt, nisi quod alia elocutione enuntiantur, quemadmodum iam exordia et fines a Little edita quemlibet statim docent.

Haec a Little non edita prius adeamus. — Num. 172-3 paucis absolvuntur, uti etiam in *Tract.* 82. — In Lt 174 nomen Fratris Iacobi Reatini, quod *Tract.* 83 praebet, omissum est, etsi in Lt res accidisse dicatur « *Reate* ». — Cum praecedenti prodigio cohaeret etiam id quod statim sequitur tam in Lt 175 quam in *Tract.* 84, quippe quod factum est in lacu Reatino. Non multa vocabula in Lt et Cel. plene consonant, totaque narratio alio stilo in utroque narratur. Quae dicta in genere etiam valent pro aliis *Miraculis.*

In Lt n. 175, lin. 2 media sententia praefert cursum velocem *(navícula vehebántur);* desinit cursu tardo cum tmesi *(áquis repléta est).* Sequuntur veloces in l. 5 *(perículum imminére)* et in sententiae fine *(mánibus invocáre).* Ultima sententia cursibus scatet, velocibus in l. 9, 9-10, 10 et 12 (in fine), quibus (l. 11-2) interseritur planus. — Similis cursuum abundantia in reliquis his Miraculis recurrit, quod singillatim hic ostendere longum est. Sufficiat v. gr. animadvertere in n. 178 in singulis lineis cursus deprehendi, qui omnes — numero 8 sunt — veloces sunt; in l. 1 eos praecedit tardus; nullus horum cursuum tmesim habet. — Item in n. 176 densi sunt cursus, sed triplicis generis sunt aptius permixti.

Iam ergo res inspiciamus narratas. Non solum in n. 172-3, sed etiam in n. 174 et 175 res eaedem referuntur iisdem cum adiunctis, sed, uti innuimus, hic et ubique variata dictione. Celanensis hic et infra, generatim concisior est quam Lt. — Num. 172-5 etiam in *Leg. mai., Mir.* IV, 2-4, leguntur; sed illuc manifesto assumpta fuerunt e Cel., non e Lt. Series horum prodigiorum in Lt, Cel. et Bo eadem est; rectius: in Lt et Cel. eadem est, nam Bo sequitur III Cel.

(1) De « *cursu* » cf. AFH XX, 457 s., praesertim, 458, nota 3. Addimus in *cursu plano* perfecto ultimum vocabulum constare debere e tribus syllabis, in *tardo* et *veloci* e quatuor syllabis. Sed haec vocabula 3 aut 4 syllabarum aliis brevioribus substitui possunt, (accentu tamen immoto permanente), quo in casu adest *tmesis* (i. e. dissectio), quae licita est, sed minus perfectus tunc cursus aestimatur.

Quae observata etiam in Lt n. 176 obtinent, sed demptis adiunctis quibusdam. In Lt prodigium fit in viro fistulam patiente; in III Cel. 194 econtra in filio eiusdem viri, utrobique anonymi, pro filii sui sanatione S. Franciscum implorantis. Post preces effusas, secundum Cel.: « *Repente fracto desuper* [i. e. super ulcus] *opertorio, coram cunctorum oculis stuellum erúpit de vúlnere* (1), *caroque pueri... éxstitit solidáta* »; in Lt: « *Quibus* [i. e. ligaminibus] *remotis, et licinium de vulnere extráctum appáruit, et fistula* (2) *tam mirabili módo sanáta* » etc. — Sic sanatio alio modo facta esse narratur, in Cel. coram cernentibus, in Lt sub opertorio. *Licinium* in Lt, quae vox alibi in III Cel. 146, occurrit: *candelae licinium* (3), est filum lanae contortum quodlibet, hic fistulae seu vulneri immissum ad saniem guttatim ex eo extrahendam.

Stuellum vox rara est, quam in Ducangii *Lexico*, frustra quaeres. In CG substituitur voce *coenum*, cuius significationi dubii inhaesimus in AF X, 329, nota 2. Attamen *stuellum* non idem significat, quod *coenum*, sed varii sensus est vox (4): *playella (plagula), emplastrum, malagma, tenta.* Haec ultima vox significat linum vellicatum, dein leviter contortum, quod olim in vulnere poni solebat, hocque Celanensem intendisse putamus. Sic *licinium* in Lt, ad *stuellum* in Cel. iam proxime accedit, neque hic Lt et Cel. dissonant.

Inter Lt 177 et III Cel 193, quoad sanationem ibi relatam discordia non est. Sed Cel. *libellum* exactius indicat: « *S. Francisci vitam et miracula continentem* », i. e. proculdubio suam *Vitam I*, vel saltem *Leg. chori*, quoniam in *Legenda* Iuliani *Miracula*, paucis exceptis, deficiunt (5). In solo Cel. mulier aegrota ad veritatem *Miraculorum* illius *libelli* expresse appellat; in Cel. solo etiam nomen oppidi seu castri « *Galete* » panditur, quod caeterum definire non est datum, etsi conventus Fratrum tunc ibi fuerit (6).

Num. 178 in Lt, nullibi in Cel. relatus, tangit Fratrem: *in terra Sarracenorum*, qui dentium suorum dolorem curavit: *crucem factam de tunica* S. Francisci genis applicans.

Sequens n. 179 de Fr. Pacifico nonnisi valde laxe cum III Cel. n. 3, l. 12-5 cohaeret, ubi manifesto II Cel. 106 compendiatur. Tota elocutio ostendit etiam n. 179 et II Cel. 106 non directe cohaerere. Praeterea gravis adest hic differentia inter II Cel. 106 et Lt. Iuxta Lt Pacificus simpliciter « *vidit super caput eius* [Francisci] *Thau quasi ensem fulgidum et praefulgens* », iuxta Cel. aspexit Sanctum « *duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus*

---

(1) Est cursus tardus cum tmesi; sequitur velox.

(2) Virgula propter constructionem et sensum transferenda est post *apparuit*, et Lt mendose hic habet: *fistulam*. Praecedit cursus tardus; sequitur planus. (3) In eodem loco, *Vita I*, 146 (*sic*) legitur: *papyrus*, quocum filii « longitudo mensurata » est.

(4) L. Diefenbach, *Glossarium latino-germanicum mediae et infimae aetatis*, Francofurti ad Moenum 1857, 557, s. v.

(5) Cf. supra, 181, nota 6. (6) V. supra, 31.

a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus » tendebatur. — Nulla prorsus cognatio intercedit inter Lt 179 et *Leg. mai.* IV, 9, cuius locus nititur in II Cel. 106 et III Cel. 3; additur ibi obiter allusio ad I Cel. 78.

Num. 180, de fulgore in capite S. Francisci apparente, novus est [1] uti etiam n. 181, in quo S. Franciscus: *tempore cuiusdam capituli generalis* Fratrem quemdam e naribus sanguinem copiosum emittentem signo crucis curavit.

Neque ullis paragraphis *Legendarum* Fr. Thomae respondent n. 182 et 183. In illo: *capilli S. Francisci* redintegraverunt *murum... turris... cuiusdam medici Reatini;* in hoc Frater alius magnis contorsionibus cruciatus, in Portiuncula sanatur a S. Francisco dante ei: *anthericum* [2] *quem coram se habebat dum comederet, cum offa et vino,* quamquam: *minister... id fieri prohibébat* (sic sententia explicit cursu veloci).

Ad Lt 182 paucis revertamur necesse est. Hoc enim prodigium comparet in *Leg. mai.* VII, 11, ubi expressius accidisse narratur medico S. Franciscum tunc curanti. In Lt medicus reliquias quasdam S. Francisci a Fratribus postulat, quia sua « *turris ex una parte ' a summo usque deorsum '* [3] *deformiter erat scissa, cuius ruinam* » verebatur. Iuxta Bo eiusdem « *domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat* [4], *parietum patula scissione ' a summo usque deorsum '... de proximo minabatur ruinam* ». Capillis S. Francisci in ea positis, scissura penitus conclusa est, adeo ut medicus, iuxta Bo: « *nec reliquias... posset extrahere, nec scissurae prioris vestigium áliquod invenire* [5] ». In Lt hoc idem fusius dicitur et pluribus vocibus assonantibus locus desinit: « *quod nec capillos medicus nec scissurae illius vestigium potuit ultérius invenire* » (c. velox). — Hi loci utriusque a nobis exscripti, ii sunt qui utrobique maxime consonant quoad verba, sed dissonant quoad rem. Ast verborum consonantia partim fundatur in textibus admodum vulgatis S. Scripturae, ita ut ad paucissimas voces reapse restringatur. Econtra quoad rem principalem, i. e. obiectum miraculi: *turris* hic, *domus* illic, Lt et Bo invicem discordant. Nulla ergo ratio est asserendi alterum ex altero pendere, sed probabilius inferimus alterutrum in varia traditione niti. — Si quis quaestionem moveret, uter alterum correxerit, responderemus hoc, quoad hunc locum, de alterutro saltem eodem iure dici (sed non probari) posse. Verum ex aliis infra notandis de relationibus inter Lt et Bo, nos censemus textum in Lt antiquiorem esse quam Bo; e supra autem dictis asserimus,

---

[1] Subdimus ap. *Actus*, c. 9, n. 41, Fr. Leonem vidisse « *flammam ignis pulcherrimam et valde splendentem* » caelitus « *usque ad caput* » Sancti descendere in Alverna. Cum Lt 180 textus *Actuum* nullo ligamine cohaeret; ex his *Actibus* rem repetivit Barth. Pisanus, AF V, 83, 219.

[2] Lt habet: *anthiacumque quem.* — *Anthericus* est medicina e quorumdam florum bulbis extracta.

[3] Est textus vulgatus Matth. 27, 51. [4] Qua de re nihil in Lt.

[5] Cursus tardus. Est locutio biblica: Sap. 5, 10 et Eccli. 13, 32.

Bo nequaquam pendere e Lt, neque hic (¹) Bo ullum respectum ad Lt habuisse, sed rem a Fratribus Reate didicisse.

Idem prodigium Reatinum, Celanensi incognitum vel ab eo consulto omissum, comparet in compilatione saec. XIV collecta et inscripta: *Actus S. Francisci in valle Reatina* (²). Subdimus igitur in his *Actibus* hic verbatim exscribi *Leg. maiorem*, nullum autem vestigium textus Lt 182 in eisdem inveniri.

Demum duo priora prodigia aggredimur, Lt n. 170-1. Primum fere triplo, secundum duplo textum III Cel. 90 et 88 superant; ut reliqua eminent elocutione culta et numerosa, in qua item cursus velox praeeminet. En modo ipsum parvulum exordium nⁱ. 170 et totius collectionis, triplicem cursum praeferens: « *Postquam gloriosus confessor Franciscus de presenti liberátus misória ad celum cum angelis perhenniter regnatúrus pervénit, multis magnisque diversis temporibus cepit miráculis chorusсáre. Nam V officiales* ... ».

Hic tibi occurrunt cursus tardus, planus, veloxque, ostendentes hoc exordium non simpliciter a librario quolibet conscriptum esse, sed ab eo qui haec *Miracula* collegit et exaravit. Si exordium hoc stricte interpreteris, urgebis illud ad solos nn. 170-77 pertinere, utpote *Miracula* post Sancti obitum ostensa continentes, sequentia enim signa a vivo S. Francisco peracta aut in eo exhibita aliis fuerunt (n. 179: Pacifico, n. 181: cuidam Fratri). Proinde e tenore exordii nihil inferri potest circa amplitudinem huius collectionis, rectius collectiunculae, cuius etiam epilogus prorsus deficit, fortassis quia collectori inutilis videbatur. Revera neque exordium illud utile necessariumve a quopiam reputabitur.

Stilo suo proprio collectiuncula a praeviis et sequioribus narrationibus aperte discernitur; eam eodem immo maiore iure integram hic adesse quispiam censebit, quam alius eam mutilam esse et e copiosiore collectione extractam reputaret (³), viso dicendi modo impraeciso exordii, visa etiam huius brevitate, quae potius parvam quam magnam collectionem inaugurat et auspicatur. Tituli quoque absentia in tractatuli huius initio idem insinuat, unde factum est, ut nⁱ. 170 titulus in Lt inepte sonet: *Qualiter S. Franciscus liberatus est de presenti miseria et cum angelis perhenniter regnat.* Haec dictio proculdubio amanuensis Lt (seu archetypi) est, assumpta fere ad verbum et valde imperite ex illo exordio minimo atque sic innuens ipsum exordium plura non exhibuisse; aliis verbis: haec praefatiuncula nobis integra in Lt est servata, nec inconsequenter inferes, etiam collectiunculam integram exstare in Lt.

(¹) Ex infra dicendis addere licet: « neque alibi ».
(²) Ed. Fr. Pennacchi, ap. *Misc. Franc.* XIII (1911), 19-20.
(³) Sic P. Delorme, ap. AFH XV, 328, nota 4.

Lt n. 170 exorditur: « *Nam V officiales cuiusdam magni principis... capti* », et carceri mancipati S. Franciscum invocant. Sanctus uni eorum apparuit; qui « quodam osse » arcis murum perfodit; exeunt captivi et praecipitium horrendum circa arcem miro modo, licet vincti essent compedibus, superant. Hoc praesertim, quod in Lt minutatim describitur, in Cel. paucis innuitur, maximam variationem utriusque narrationis constituit. Adde in Cel. vincula seu compedes ante difficillimum descensum 'comminui'; quod in Lt soli V° viro « *gravioribus quam ceteri compedibus* » illigato, ideoque descensum et in hoc « *crurifragium* » formidanti evenit; eius « *compedes cum magno impetu et vehementi strépitu crepuérunt* » (est cursus velox).

Plures diversitates adsunt inter Lt 171 ac Cel. 88. Ille incipit: « *In quadam insula Romanie, Grecum quemdam servientem unius domine contigit de furto falláciter accusári* [adest cursus velox]. *Quem dominus insule capiens* » ergastulo clausit. En Celanensis exordium, quod insimul exscribimus tamquam locum cuius vocabula continua plura quam alibi (in his Miraculis) cum Lt plene consonant: « *In Romania Graecum cuiusdam domini* (¹) *servientem contigit de furto fallaciter accusari. Quem dominus terrae in arcto carcere mandat includi* (²)... *postmodum... pede truncandum. Laborat apud dominum uxor pro innocentis liberatione* » (³), sed obstitit « *viri obstinata duritia* ». — In Lt ipsa « *domina miserie serviéntis compátiens, cum non posset illi prece vel prétio subvenire* » [adsunt cursus tardus et velox], vovit S. Francisco « *pedem cum crure cereo* » (⁴) se esse oblaturam, si servum liberaret. Hoc votum in Cel. postea innuitur (⁵). S. Franciscus insontem e carcere, voragine abrupta non obstante, eduxit, quod in Cel. (⁶) paucis insinuatur, in Lt (ut in num. 170) pluribus describitur. Iuxta Cel. « *imago cerea* », iuxta Lt « *crus cereum* » ex voto ad S. Francisci imaginem in ecclesia suspenditur. Quod secundum Lt: « *dominus insule illius, credens hoc dolo aliquo potius quam b. Francisci méritis contigísse* [cursus velox]... *baculo quem gestabat in mánu percútiens* [cursus tardus]... *gravissima infirmitas ipsum arrípuit* [c. tardus]... et *compulit confiteri miráculi veritátem* » [c. velox]. — Econtra in Cel.: « *turbatus propterea vir iniquus, dum uxorem manu percutit, morbo ipse percussus, gráviter infirmátur* [c. velox]... *donec culpam confessus... Sanctum... láudibus éxtulit* » [c. tardus].

In Lt ergo res narratur de servo cuiusdam *dominae,* quae apud dominum insulae eius liberationem tractabat. In Cel. servus erat cuiusdam *domini,* cuius uxor insontem liberare satagebat, quique

---

(¹) Notes: *domini.* Solus M ad manus hic est, sed ex contextu liquet revera *domini* esse legendum, ut etiam *Leg. mai., Mir.* V, 1, habet, quae hanc sententiam ad litteram e Cel., non e Lt exscripsit, uti et infra plura alia.

(²) Hucusque in Bo ad litteram.

(³) Hic Bo habet: « *Domina vero domus miseria servi... apud virum precibus insistebat* ».

(⁴) Lt habet *cereis.*

(⁵) In Bo penitus siletur.

(⁶) Etiam in Bo iisdem verbis.

suo interventu et venia data servum libertati reddere poterat. Dominus insulae legem urgere poterat et erga *dominum* et erga *dominam*. *Dominus* servi nova est persona in Cel., quae in Lt deficit; *domina* vero in neutro est uxor domini insulae (¹). Neque video, cur huius *domina*, non uxor *viri* cuius erat servus, intervenerit. Insuper servus e carcere liberatus « *ad dominam suam* » iuxta Cel. reversus est, quae utique eum liberare studuerat; quod vix intelligitur, si haec erat uxor domini insulae. — Hinc contradictio vel varietas in fine narrationis, ubi iuxta Cel. *dominus* servi verberat uxorem suam, sed secundum Lt dominus insulae percutit imaginem ceream, minus stridens apparet, quamvis eam ullo modo neque negare velim, neque auferre vel explicare possim.

Circa quem finem explicite notandum venit, S. Bonaventuram, qui in hac paragrapho liquide secutus est exclusive *Tractatum*, (non textum codicis Lt), totum illum finem omisisse, postquam servus e carcere « *rediit ad dominam suam* » (ut etiam *Leg. maior* habet), omnino silens de imagine cerea. Qui agendi modus S. Bonaventurae nobis collectionis huius indolem aliquo modo pandere videtur. Diversae traditionis huius *Miraculi*, quod in longinquis actum erat, Bonaventura conscius erat, sive e Lt, sive potius aliunde, sed quia nullum de eo authenticum documentum sibi ad manus erat, mediam quamdam viam tenuit, contradictoriam partem plane omittens. Alibi etenim vidimus Bonaventuram veritum non esse Celanensis *Tractatum* corrigere, scilicet in Miraculo quodam in Hispania facto (²).

Hac ratione praelucente, intelligitur etiam, cur S. Bonaventura penitus omiserit III Cel. 90, i. e. Lt 170, de quo paulo antea diximus. Nam in *Leg. mai.*, *Mir.* V, 1 5, ex eodem cap. XI *Tractatus*, n. 88-94, assumpsit eodem in ordine n. 88 = 1; 89 = 2; 91 = 3; 93 = 4; 94 = 5; id est, praeter 90 etiam 92 brevissimam harum paragraphorum omisit. — Ex his non consequitur S. Bonaventuram de facto collectionem hanc prodigiorum cognovisse, quia e solo n. 182 = *Leg. mai.* VII, 11, quem hinc sumpsisse putari poterat, contrarium potius elucebat (³). Uti Lt, ita etiam Bonaventura haec prodigia aliunde noscere poterat earumque variantes recensiones. Quaelibet dependentia S. Bonaventura e Lt sive immediata (quoad n. 182), sive mediata (quoad n. 172-5, 179) tuto excludenda est.

E praemissis iam inducere licet, parvulam istam collectionem Miraculorum (de qua sola hic sermo fit, et quam brevitatis ergo Lt dicimus) post *Tractatum* scriptam sive compositam esse, ut etiam A. G. Little censuerat (⁴), non vero eam coadunatam esse

(¹) Hoc Little, ap. OCH 79 nota 1 et ap. *Collect.* 90. nota 2, insinuare videtur. (²) Cf. supra, 22, nota 4. (³) Supra, 185.

(⁴) Ap. OCH 11; ap. *Collect.* 16.

post II Cel. et ante III Cel. (1). Si Fr. Thomas hanc collectionem penes se habuisset, saltem hic, uti in iis quae e suis *Legendis* prioribus in *Tractatum* transtulit, « *rotundis quadrata mutare* »(2) non debuisset, non parvum « *studium* » et « *laborem* » 3) in haec impendens. Has enim narrationes eleganti stilo exaratas, iuxta « cursus » regulas perite dictatas iam repperisset dignas quae in *Tractatum* integrae insererentur.

Neque hic appellare licet ad transsumpta in III Cel. e *Vitis* suis antiquioribus, quos textus Celanensis etiam denuo retractasset. Nam modus agendi quem erga hos in *Tractatu* tenuit, penitus differt ab eo quem erga hanc collectionem tenuisset. Formae litterariae diversitas tanta est, ut haec capitula Lt ab imis retractata sint in III Cel., ex integro alio modo elaborata; ne « cursibus » quidem, qui in Lt abundant, neque in sententiarum colis neque in earum finibus Fr. Thomas usus esset. Praeterea in paragraphos e suis *Legendis* prioribus in III Cel. assumptas nullibi res novas invexit, in has vero plures introduxisset, de quibus iam partim diximus partimque adhuc dicemus.

Neve obicias ex adverso: Si Lt (i. e. illius collectionis auctor verus, nobis incompertus) stilum Celanensis in his retractavit, novosque « *cursus* » in eius narrationes profuse infudit, etiam Fr. Thomas hoc agere potuit. Potuit utique, sed nescimus, utrum talem operam laboremque sibi assumere tunc voluerit. Parvulae huius collectionis in Lt auctor, et ipse scribendi eleganter et numerose peritissimus, talem laborem pro minore, immo minima collectione sua impendere poterat, consilio eiusmodi semel capto: labor *Tractatus* magni compilatorem deterrebat. Memineris quoque Fr. Thomam in fine *Tractatus* suam scribendi lassitudinem satis aperte professum esse (4). — Addamus oportet auctorem Lt nova habuisse quae *Tractatui* adderet, nova *Miracula* (n. 178, 180-3), et nova adiuncta quibusdam iam in III Cel. narratis Miraculis (170-1). Cur autem (alia n. 172-7) iam ibi narrata, immo unum (179) in III Cel. 3 paucis tactum, sed iam in II Cel. 106, digestum, in parvulam suam collectionem transtulerit, divinare nos non posse fatemur. Ast linquamus mittamusque huiusmodi considerationes generis vagioris, ut rebus iam dictis alias superaddamus.

Comparatio solius formae litterariae inter III Cel. et Lt instituta, in sententiam securam, ut saepius fit, nos deducere nequit Attamen consonantiae aliquae (in initio n. 171 praesertim) relationem quamdam potius directam inter Lt et Cel. insinuant. Elocutio utriusque diversa est, licet culturae litterariae similis; verborum plene consonantium copia non multa est, aliquos locos, in quibus plura vocabula continua invicem congruunt ex industria significavimus (5).

(1) Sic obiter coniecerat P. Delorme, ap. AFH XV, 528, nota 4.
(2) III Cel. 198, 10. (3) Ibid. l. 9. Cf. supra, 43s.
(4) III Cel. 198, 11-4; cf. supra, 44. (5) Supra, 187.

In n. 170-1 praesertim, narratio Celanensis concisior est; in n. 172 vix brevior; in n. 175 aequalis; in n. 176, 177 et 179 e contrario in aliquibus diffusior seu explicatior, novaque Celanensis hic inserit. Cum insuper adiuncta quaedam varient, ne dicas contra verum Celanensem collectionem illam compendiavisse. Altera ex parte item Lt hic brevius, illic prolixius quam Thomas res dicit.

Etiam ordo in quo *Miracula* ista in Cel. et Lt invicem subsequuntur, nos aliquid docet. *Tractatus* iuxta ordinem quemdam logicum et manifestum dispositus est; talis series in Lt 178-83 certe deest omnino; sine *Tractatu* praevio vix quidam ordinem ullum deprehenderet in Lt priore parte n. 170-7, praesertim si ad titulos horum capitum in Lt attenderet. Sed isti ab amanuensi repeti possunt, ideoque eos urgere nolumus. Rebus narratis inspectis, in n. 170-1 duo liberantur e carceribus; in n. 172-5 tres diversimode in navibus periclitantes adiuvantur; in n. 176 et 177 duo a fistula sanantur. Reliqua *Miracula* valde varia sunt, unde in toto suo complexu consideratum, opusculum revera dispositionis expers potius dicendum est. — Sed in III Cel. haec prodigia hunc tenent ordinem, 90, 88, 82, 83, 84, 194, 193; reliqua ibi desunt. Sic ipse ordo, ubi in Lt adest, nobis innuere videtur collectorem istum hic *Tractatum* prae oculis habuisse, quem forsan corrigere et supplere intendebat, licet illud propositum iam in n. 172 deseruerit, hoc vero tantum in n. 178 exsequi ceperit, in n. 179 utrumque neglexerit et secundum tandem n. 180-3 executus sit. — Seriem partim similem utriusque mero casui tribuere non ausim, sed neque pervideo cur Celanensis, si hoc opusculum novisset, eius ordini in his capitibus prioribus se utcumque adstrinxisset, nihilominus n. 170 et 172 aliter narrans, et cur plura horum Miraculorum iam numerosae et cultae dictionis neglexerit.

Complexus opusculi etiam topographice consideratus dispositione caret; plures regiones pluraque loca in eo memorantur; sed neque res Reatinae (174-5, 182), neque Portiunculanae (181, 183), neque Romaniae (171, 176) coadunantur.

Textus hos suos edens cl. A. G. Little recte censuit [1] Celanensem, si eosdem penes se scribentem habuisset, vix verborum adnominationes seu lusus, quales sunt in Lt 170, l. 9: *arce arciori,* 171, 8: *prece vel pretio* neglexisse. Altera tamen ex parte cum praelaudato auctore [2] non sentiam, Lt 171 cum III Cel. 88 comparando, Fr. Thomam rem male implicuisse; implicatio minor est quam doctissimo illi viro videbatur [3]; sed stridens contradictio in fine: hic de uxore verberata, illic de imagine cerea in ecclesia item baculo percussa, neque negari neque conciliari potest. Existimamus in altero alteram relationem huius Miraculi adhiberi, ideoque hic Lt Celanensem expresse 'correxisse', quin probe sciamus, utrum iuxta relationem certo

---

(1) Ap. OCH 11; ap. *Collect.* 16. (2) L. c. (3) Supra, 187-8.

magis genuinam hoc egerit, an secundum narratum, quod Lt tale aestimabat.

Quaestio moveri potest: sintne illae discrepantiae revera correctiones dicendae? In verbis: « in insula Romaniae » et: « V officiales imperatoris » quaedam in III Cel. vagius dicta saltem explicitius in Lt enuntiantur. — Utrum servus ille « *unius domine* », an « *cuiusdam domini* » fuerit, quis modo decidere poterit? Narratio ipsa in Cel. logicae magis consentanea nobis quidem videtur; ira mariti in uxorem, quia servus suus, quem vir sontem reputaret uxor vero insontem, sic liberatus sit, facile intelligitur. Difficilius concipitur ira domini insulae in « *crus cereum* », quod in ecclesia baculo percussit, exclamans: « *Ecce mendacium b. Francisci miraculis attributum* ». Nam dominus insulae carceris « super altissimum rupem aedificati » situm pernoscens, quomodo evasionem servi 'mendacio' attribuebat? Dominus insulae in rem inquirere ex officio apud custodes carceris poterat, et fraude liberatum illic denuo recludere.

Rebus sic perpensitatis, e contrario quis concludere aliquali cum iure posset, hic Celanensem correxisse alterum, id est narratorem in Lt. — Etsi haec hypothesis, solis num. 170 et 171 in Lt inspectis, veri speciem quamdam praeferat, ei plura graviora ex aliis prodigiis in Lt officiunt, videlicet, quod Fr. Thomas, in illis quae diximus adiunctis, nullum omnino prodigium directe in *Tractatum* assumpserit; quod in his ipsis num. 170 et 171 adiuncta « imperatoris » et « insulae » neglexerit; quod e contrario in n. 174 et 177 nomina inseruerit; quod in n. 175 adiunctum filii et in n. 179 signi *Thau* usum superaddiderit, quod demum plura Miracula, in solo Lt exstantia, n. 178, 180-3, penitus praetermiserit.

Porro si auctor tenax fatae opinionis adeo infirmae consequenter et logice, forma litteraria aliisque modo recensitis non obstantibus, simpliciter arguere vellet Celanensem usum esse collectione illa in Lt, sed res illas utique addidisse, a sic instante hic quaerimus, unde Fr. Thomas haec nomina, hasque res habuerit? Si ipse studium adhibuit, ut ea comperiret, certe non nuda haec nomina solaque illa adiuncta didicit, sed narrationum harum totum tenorem. Unde iam superfluum habuit textus adeo incompletos exscribere, ut hos *Tractatui* suo insereret. Ast nequaquam hos textus exscripsit, sed eosdem sua forma induit, quam ipse componendi adeo peritus rebus sibi tunc integrius narratis certe indere potuit, sine his textibus ita emendandis et supplendis.

Ex his ergo rebus quas Celanensis sic supplevisset et correxisset, manifestum fit, ipsum certo haec saltem Miracula e Lt (seu ex huius primo archetypo) haurire non potuisse. Insuper ex ipsa forma elocutionis penitus diversa atque e quibusdam prodigiis in Lt exstantibus sed in III Cel. omissis iure inferimus Fr. Thomam neque ullum Miraculum e Lt hausisse, neque ad Lt respectum habuisse. Neque est, cur

cum cl. Little coniecturemus, ipsum Fr. Thomam hanc parvulam collectionem, nomina et adiuncta quaedam in n. 175, 176, 177, 179, omittens, quae expresse edixerat in suis *Miraculis,* denuo et de novo exarasse, post suum *Tractatum* an. 1253 (vel 1252) repugnanter et faticose tandem absolutum et eumdem dein mox a Iohanne Parmensi ex officio approbatum atque publicatum.

Hinc collectio ista parvula censeri merito potest adunata inter annos 1253 et 1263, scilicet post *Tractatum* compilatum et ante conscriptam *Legendam maiorem.* Auctor sive collector iste peritia scribendi et etiam numerose componendi pollens, nobis omnino incompertus, est, opusculumque suum privatum scriptum remansit.

Sententiam hanc proponentes expresse concedimus, rem dirimi non posse. Difficultas moveri posset, obiciendo hac in sententia collectorem in Lt non eamdem methodum secutum esse, cum in n. 170-1 addiderit et correxerit, in aliis (172-3, 175) eadem aliter dixerit, in aliis (176-7, 179) quaedam omiserit. — Sed obiectio gravis non est, quia in quamcumque partem res verteris, eadem obiectio e non logico procedendi modo petita exsurgit, si ex adverso coniceres (contra superius exposita) Celanensem cognovisse Lt. Hoc in casu quoad n. 170-1 Celanensis omisisset designationes accuratiores et plura adiuncta; res quoad n. 171 mire confudisset; quoad n. 174, 176-7, 179, econtra alia addidisset atque 178, 180-3, plane omisisset. methodo pariter illogica. Quo in nexu tamen etiam animadvertas, in Miraculis novis (relate ad III Cel.), scil. in Lt 178, 180-3, nullibi nomina eorum prodi, qui sanati aut alias adiuti sunt, quorum nomina neque in 170 et 171 collector supplevit. Immo in totius collectionis unico num. 179 eiusmodi nomen occurrit: scil. Pacificiensis visionem cernentis.

Longe difficilius est creditu, hanc collectionem post *Leg. maiorem* conscriptam esse, quia n. 171-5, 179 atque 182 in hac vulgatissima *Legenda* iam omnibus patebant, etsi aliis cum adiunctis in 171, 179 et 182 proponantur. Sed adversus *Leg. maiorem* hoc scriptum parvum et privatum invalescere iam non poterat. — Non tamen credimus aliquem Fratrem, elegantis stili compotem, haec mere calami exercendi causa composuisse, quia et adiuncta nova aliquibus narratis inserta et Miracula nova ex integro hic addita propriam colligentis industriam manifestant.

Quidquid demum his de cohaerentiis fuit, una res constat, nempe collectionem illam partem non fuisse Collectaneorum a Sociis die 11 augusti 1246 ad Crescentium Aesinum destinatorum. Hoc etenim alte proclamant vetantque elocutio culta illorum Miraculorum atque eorumdem compositio numerosa (1).

Duo *Miracula* narrata in n. 60 et 117, iam occurrunt in opere quod ante *Tractatum* scriptum est an. 1244-47, nempe in *Dialogo*

(1) Cf. supra, 5, 10, 16.

de vitis (alias: *de gestis*) *sanctorum Fratrum Minorum* (1). Forma litteraria utriusque narrationis in III Cel. et in *Dialogo* prorsus diversa est, unde ex hac nulla dependentia Celanensis induci potest (2). Accedunt quoque in ambobus Miraculis aliquot adiuncta diversa.

Lapides Pasquitii miraculose comportati pro ecclesia construenda, iuxta *Dialogum*: « *laborantibus... octo dierum spatio suffecerunt* »; iuxta III Cel. 60, iidem « *usque ad complementum operis indefectibiliter* » successerunt (3). In solo III Cel. ecclesia illa S. Francisco dicanda fuisse notatur. — In altero Miraculo locus Fratrum « *miliaria sex* » distabat secundum III Cel. 117; « *V miliaribus* » iuxta *Dialogum*. Verum haec differentia forte scribae tribuenda est. In *Dial.* et Cel. duo Fratres a milite quodam Girardo benignissime recepti et tractati fuerunt; sed in solo Cel. « *de hospitis caecitate nihil advertunt* ». His inde profectis S. Franciscus « *nocte... insequente* » iam apparet iuxta *Dial.*; in Cel.: « *nocte... quadam* (4) ». In *Dial.* Frater hospiti peccata in confessione omissa singula recitavit: « *talia enim et talia peccata commisisti* »; tale nihil in Cel. refertur. Iuxta Cel. « interiore homine renovato » in confessione. « statim exterior lumen recipit oculorum »; secundum *Dial.* vir ille confessus vovit etiam, se S. Francisci sepulcrum visitaturum esse ac dein tantum oculorum lumen « *reaccepit* », quod « *per menses quatuor perdiderat* (5) ». Quod temporis spatium in Cel. non circumscribitur. Ultima sententia in Cel. (in *Dial.* deficiens): « *Miraculi huius magnitudo circumquaque diffusa* » etc., innuere nobis videtur, Celanensem ipsum hoc narratum audivisse, praesertim quia res accidit « *in Zancato, quod est castrum iuxta Anagniam* ». Ibi enim erat conventus Provinciae Romanae, cuius res Fr. Thomas bene noverat (6). In *Dial.* prodigium evenerat: « *in castro namque Campaniae, quod Zanchatum dicitur* »; Anania in *Dial.* non recolitur.

---

(1) De quo cf. supra, 45ss. — Edid. L. Lemmens, Romae 1902, 99s. et 108; ed. Ferd. Delorme, Ad Cl. Aquas 1923, 258, 273s. Uterque editor relationem cum III Cel. adnotavit.

(2) Sic etiam P. Delorme, l. c. XVIII. Iuxta eum, *Dialogum* « legisse videtur Fr. Thomas de Celano » cum *Vitam II* exararet. Ast « *gesta* » S. Francisci huic narranda iniunxerunt Fr. Crescentius et Capitulum generale (Prolog. n. 1), unde hoc dictum Fr. Thomae nihil cohaeret cum *Dialogo*, ex eiusdem Crescentii praecepto compilato. Alterum vero dictum: « *ad auctoris notitiam minime pervenerunt* », utpote commune, eamdem cohaerentiam non firmat. Ad alibi (p. XI) inducta circa *Dialogum* compositum an. 1244-46, notamus: in *Dialogo* (p. 2) alluditur ad *Vitam I*, sed Miracula in hac omissa, non suppleta fuerunt in II Cel. verum in III Cel.

(3) Sic secundum M; 'suffecerunt' iuxta CG.

(4) Iuxta solum Cel. Fratres « *per octo dies* » in vicino conventu Ananiae tunc morabantur.

(5) Quod in *Dial.* bis repetitur, in initio et in fine capitis.

(6) Cf. notata supra, 25-8. De conventu v. AF IV, 517.

Quibus omnibus perpensis, revera ratio nulla sistitur admittendi, Celanensem haec duo Miracula e *Dialogo* mutuatum esse, sed plures rationes suadent aperte ipsum haec aliunde habuisse.

Quaenam relationes inter Tractatum et Compilationem Perusinam intercedant.

Tractatu illo parvulo Miraculorum in Lt servato (et *Dialogo*) sic tandem expeditis, ad nobilem matronam Romanam, Iacobam de Septem Soliis eiusque filium Iohannem, de quibus iam pluries sermo est factus [1], revertamur oportet.

Quomodo primis diebus mensis octobris an. 1226 Iacoba nobilis « *cum filiis et... scutiferis* » Assisium equitaverit, ut Sanctum Patrem extrema aegritudine consumptum ultimo vivum inviseret, quaenam ei attulerit, quomodo Sancto hortante, obitum ipsius ibi exspectaverit, quomodo Fr. Helias « inter brachia » Iacobae 'madidae lacrimis' 'amici corpus proiecerit', super quod « *flebiles voces et singultus* » ingeminavit, monens Fratres, ut caeteris quoque certatim accurrentibus « *quinque margaritas ... Omnipotentis ... caelaturas* » spectandas exhiberent, quomodo, inquam, omnia haec Fr. Thomas qui his non intererat [2], minutatim et mente commota descripserit, vix ullus *Tractatum* perlegens non est miratus. Celanensis ipse auctorem rerum narratarum prodidit: 'Iohannem Frigia Pennates' (vulgatiore nomine: *de Frangepanis*), generosae Iacobae procerum natum. Subdere fas est probumque ius, Fr. Thomam non semel Iohannem sibi Romae in aedibus suis flebiliter ac graviter, sed nonnihil etiam laeto animo haec narrantem audivisse.

Recte testimonio isto aestimato, necessario non cogimur diutius immorari iis quae partim similia praebet *Compilatio Perusina*, de qua alias diximus [3]. Haec compilatio anonyma in codice Perusino (= **P**) exstans, manca in initio, absque ulla rubrica quae ipsius indolem prodat, immo quibuslibet rubricis carens, cui nonnisi manus valde posterior titulum vagiorem « *Legenda antiqua* » indidit, non collectanea Sociorum, quae 11 augusti 1246 ad Crescentium Aesinum transmissa fuerunt, genuina et sincera exhibet, sed iam plurimis posterioribus textibus permixta et retractata. Quoniam integra Compilationis istius secunda pars (e tribus) e *Vita II* Celanensis, scripta an. 1246-47, hausta est non secus ac initium, prout nunc exstat, atque textus isti aliique [4] iam aliunde infecti apparuerunt, consequitur Compilationem hanc ante 11 augusti 1246 conscriptam non esse. Praeterea ea quae allata fuerunt, ut ex eis eliceretur saltem ali-

(1) Supra, 25, 49-50. (2) Supra, 25.
(3) Ap. AFH XX, 461-96; vide etiam supra, 4 sqq.
(4) Cf. v. gr. etiam supra, 16-7.

quot *Compilationis Perusina* partes ante fatum diem exaratas fuisse, hoc probare non potuerunt (1). Neque id effecerunt alia criteria interna ex ipsa *Compilatione Perusina* atque e narrationibus affinibus in codice Little contentis inducta (2). — Etsi proinde maior pars istius Compilationis (minime vero integra) Sociis sive per metonymiam Fr. Leoni tribui aliquo modo potest, haec collectio, qualis in P exstat, neque an. 1246 compilata est, neque partibus evidenter posterioribus inde eiectis, reliquae formam genuinam illorum Collectaneorum prae se iam ferunt (3), quae Celanensis in *Vita II* adhibuisset.

Quae hic paucis erant rememoranda, ut hoc in nexu appareret, capitula Compilationis, hic in specie examinanda, qualia in P iacent, neque anno 1246 neque anno 1250 vel circiter iure ac ratione affigi posse. Quae cum, stricte loquendo, sic se habeant, necesse non haberemus caput 7 in P (4) per singula examinare.

Textus iste iam notus erat e *Speculo Perfectionis Minore* (5), c. 11 ac e saepe laudato MS. Little, n. 157. Textus *Speculi Perf. maioris* (6), c. 112, in pluribus variat, dum locus Bernardi de Bessa (7), in *Tractatu*, n. 37 et 38 nititur, quem compendiavit, num. 39 plane praetermittens. — Nihilominus locum III Cel. et aliam illam narrationem quam a Fratre Leone sive a Sociis quomodocumque repetendam esse minime dubitamus, hic invicem conferemus (8).

Statim ac III Cel. cum Lm, P vel Sp contuleris, tibi apparebit illius narrationem cum narratis in his minime congruere. Nam sola dimidia pars prior narrationis Celanensis cum his aliquomodo consonat, scil. n. 37, l. 3-18 et n. 38, l. 1-6. Quae tunc in III Cel. subnectuntur, n. 38, 7-16 et 39, 1-21, relata ad Lm, sive P sive Sp, penitus nova sunt. E qua altera dimidia parte nova, quam Celanensis e nullo alio scripto allegato (aut modo quocumque nobis cognito) haurire potuit, nascitur proculdubio praesumptio gravis ipsum etiam partem priorem ab eo habuisse, quem testem et auctorem (sive fontem) adhuc vivum totius suae narrationis appellat et allegat.

Cl. v. P. Sabatier distinctionem illam in n. 38, 7, clare perspexit (9), sed eius momentum ultra aequum extulit, censens ipsum Celanensem in-

(1) Cf. AFH XX, 488-96. (2) Supra, 3-19, et 127-9.

(3) Tantummodo de relationibus inter *Vitam II* et P data opera egimus, relationes inter *Specul. Perf. maius* (Sp) et *minus* (Lm) atque P nonnisi obiter tangentes.

(4) Cf. AFH XV, 32-3; editur integrum in *Par.* n. 101 (p. 58-60).

(5) Ed. L. Lemmens, DAF II, 35-7 (= Lm).

(6) Ed. P. Sabatier, p. 220-3 (= Sp). Plures variantes in P n. 7 cum Sp consonant. (7) Ap. AF III, 687. Cf. supra, 172.

(8) Cf. etiam dissertationem cl. P. Sabatier, *Examen des récits concernant la visite de Jacqueline de Settesoli*, ap. OCH II (1910), 298-332.

(9) *Examen*, 305.

dicium quoddam praebuisse, se fontem suum scriptum et quidem Sp. c. 112 (quod Fr. Thomas certo non adhibuit) hic deserere. Sed hoc dicens, non attendit ad fontem et auctorem totius narrationis in fine (39, 17-8) a Celanensi expresse allegatum, communiter caeterum a modernis neglectum (1), et nuper tandem in loco suo debito positum (2).

Quoniam totum hoc capitulum summa cura et elegantia exaratum est, Celanensis in n. 38, 7 ss., post recensitas res a Iacoba ad Portiunculam allatas, eventuum ordinem decora locutione prosequitur, sine ulla scissura seu stili distinctione: « *Prosequar certae* (3) *huius peregrinatiónis evéntum* (4), *ne sine consolatione dimittam nóbilem peregrínam* ». Nam Iacoba qua peregrina, sensu quolibet sive veterum sive christianorum, ad Portiunculam properaverat. « Peregrinam » mox denuo Thomas recolit (38, 16), et in fine eam acclamat, metaphorice iam mortuam alloquens, postquam natum eius adhuc vivum compellavit: « *Redeat iam peregrína in pátriam* (5), *praerogativa grátiae consoláta* » etc. Sic Fr. Thomas narrationem cum « *Iacoba de Septem Soliis* » quam ita semel in ipsius exordii primis vocabulis pleno hoc nomine nuncupaverat, aptissime concludit.

Quibus expensis, nonnisi perquam arbitrarie aliquis testimonium Iohannis de Frangepanis ad solam partem posteriorem narrationis Fr. Thomae coangustaret, quasi haec non vero illa Iohannes Thomae narrasset. Revera enim his minus Iohannes interfuerat quam illis; immediatus adstiterat dictis n. 38, 7-16; ea quae in n. 39 referuntur, a genitrice sua, quae sola cum Fr. Helia interfuerat, certe didicit, vix semel tantum.

Rebus sic stantibus et verborum consonantia inter Cel. et P rariore quam crebriore personante, hic aptius aliquae dissonantiae inter utrumque significandae sunt, quae melius relationem inter ambo scripta produnt.

In P (et Lm et Sp) tenor *Epistolae*, qua Iacoba Roma Assisium arcesseretur, pluribus in initio expanditur; in Cel. tenor postea refertur, cum res a Sancto desideratas Iacoba coram eo et Fratribus expanderet; secundum Cel.: « *ut nil desit miraculo, invenitur mulier sancta portasse quidquid ad patris portandum exsequias facta prius littera conti-*

(1) Adeo, ut P. Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 100, asseruerit: « *La tournure du récit, montre que Celano l'écrivit à l'intention de la dame romaine* ». Non ad « dominae Romanae » sed ad huius *filii* intentionem haec Celanensis scripsit. Van Ortroy l. c. asseruit: Iacoba « *était certainement encore en vie en 1258* », citans documentum quod *aliam Iacobam Romanam* spectat: cf. de eo supra, 131. (2) Supra, 27, 49 sq.

(3) Forte aptius legendum *certe*.

(4) Est cursus planus; sequitur velox.

(5) Tardus, moxque velox cursus est.

nebat. Nam cinerei coloris pannum, quo recedentis corpusculum tegeretur, cereos quoque plurimos, sindonem pro facie, pulvillum pro capite et ferculum quoddam, quod Sanctus appetierat et omnia quae viri huius optaverat spiritus, suggesserat Deus ». — Iuxta P advexit Iacoba: « *pannum pro una tunica... colori(s) cineris* (1)... *etiam de illa comestione quam pluries fecit* (Sancto)... *apud Urbem* (2) »; infra vero in P additur oratione directa Iacobae: « *Dictum fuit mihi in spiritu, cum orarem: Vade et visita patrem tuum beatum* (3) *Franciscum et festina...* (porta duas res iam dictas), *similiter pro eius luminaribus in magna quantitate de cera tecum apporta et de incenso similiter* (4) ». E qua cera postea candelas in Portiuncula Iacoba fieri curavisset, dum iuxta Cel. cereos ipsos attulisset.

Patet Celanensem res plures quam P recensere allatas, quae proinde certo certius e P qua fonte non didicit, sed facillime discere poterat a Iohanne de Frangepanis, qui rerum istarum parandarum particeps fuerat, vel a compluribus Fratribus, qui die 3 octobris 1226 in Portiuncula aderant; nam Thomas ipse longe probabilius abfuit (5). Celanensis incensum praetermisit, q u i a revera in Epistola illa hoc non petebatur afferri, iuxta P (Lm et Sp); quodsi hoc adiunctum in P (Lm et Sp) proculdubio testem ocularem innuit, incensi omissio etiam in Cel. talem suggerit.

Sed miranda venit d i s c r e p a n t i a inter III Cel. et P quoad t e n o r e m ipsius Epistolae (6), quia Fr. Thomas asserit epistolam etiam res alias a se recensitas comprehendisse, scilicet s i n d o n e m (7) et p u l v i l l u m (8), quae etiam Roma allata fuisse Iohannes de Frange-

(1) P et Lm addunt: ad modum Cisterciensium ultramontanorum; quod Sp omisit.

(2) Lm add.: « *Illam autem comestionem dicunt* (*vocant* P) *Romani mortariolum, quae fit de amygdalis et zucaro vel melle et aliis rebus* ». Eadem habet P; eadem ferme Sp. Quodnam ferculum hoc fuerit, P. Eduardus investigat l. c. 26, nota 3, contra Sabatier arguens non agi de « *mostaccioli* » vulgo Romae dictis, sed de cremore amygdalorum ibidem « *frangipane* », nuncupato, fortassis a Romanae huius stirpis nomine. (3) Sic etiam Lm.

(4) P addit: incensum defuisse in Epistola. In Sp aliis verbis idem innuitur. In Lm textus hic confusus est. Sequitur glossa in P et Lm longa, in Sp breviata, nixa in Magis Christo munera afferentibus; Matth. 2, 1-12.

(5) Cf. supra. 25.

(6) Haec nobis servata non est; v. S. Francisci *Opuscula*, 181. Forma enim ap. *Actus*, c. 18, n. 16-9, valde suspecta est. Tenor ibidem ea comprehendit quae P, Lm et Sp indicant.

(7) Non plane constat eamdem hanc esse cum « *sudario S. Francisci* », quod in basilica S. Francisci Assisii exstat; cf. A. Fosco, ap. *S. Francesco d'Assisi*, V (1925), 158 et ap. Ed. d'Alençon, *Jacqueline*, 57-60; in utroque adest eius imago.

(8) Quod modo C o r t o n a e servari traditur; v. d'Alençon, l. c. 56-7; Sabatier, ap. OCH I, 135s.

panis optime recordari poterat, et uti e loco Celanensis liquet, recordabatur. Sic testem hunc ocularem contra alium testem ocularem, quem simpliciter Fr. Leonem dicere licet, testantem habemus. Quae cum ita se habeant, nescio cur alteri fides detrahatur, alteri vero absoluta praebeatur. Certo non ideo, quod hic res et viderit et scripserit, ille vero narraverit, quas alius scripserit; nisi constaret, uter omnes res omniaque adiuncta hic comprehendere voluisset. Tunc huic alteri standum esset. Opinamur in his minutis rebus nos vix umquam, quid proprie actum sit, noscituros esse. Sed tales discrepantiae P fontem fuisse, e quo Fr. Thomas hanc narrationem hausisset, nobis persuadere non possunt; immo hoc censere potius vetant.

Levis est differentia inter cereos Roma allatos et ceram ex Urbe advectam, e qua Iacoba in Portiuncula « *fecit fieri multas candelas* » iuxta P, Lm et Sp. Res utraque vera esse ex parte potest, non absolute; quodsi hoc renueris, nolim de ea plura verba facere, concedens ceram facilius Roma advehi potuisse quam cereos. Nihilominus rem etiam istam Iohannes de Frangepanis accurate in memoriam sibi revocare poterat.

Celanensis quidem, ut vidimus, scripsit: « *Ut nil desit miraculo... quae... suggesserat Deus* ». Qui loquendi modus apud hagiographos valde communis sed in se vagus, discrepat ab iis quae distinctius P (Lm et Sp) sic de Iacoba habent: « *dictum fuit mihi in spiritu, cum orarem: Vade et visita* » etc. His verbis interventus supernus clarius enuntiatur quam in III Cel., etsi hic agatur de Iacoba et Iohannes haec facilius a matre sua discere poterat, quam quilibet alius, Fr. Leone non excepto, sive quando Iacoba iussit iter Assisium versus parari et institui, sive quando postea rem narrando recolebat.

Altera ex parte apud III Cel. dies obitus sui a S. Francisco clare et accurate praedicitur: « *Ego sabbato recedam* », qua de re nihil hic in P (neque in Lm, Sp) [1]. — Thomas « *miraculum* » dixit, quod Iacoba omnia a Sancto desiderata attulit; in P dicitur: « *mira res* [2] ». P. Sabatier in elementa miraculosa, quatenus in his narrationibus paulatim excreverint, inquirens, gravem differentiam « moralem » adesse censuit inter « *mirum* » (in Sp) et « *miraculum* » (in Cel.). Quod tamen negandum est, quia in Sp et P (atque Lm) tunc sequitur locus ille de manifestatione divina Iacobae oranti facta, de qua Sabatier tamen nihil adnotavit. Celanensis iam propter *Tractatus* titulum hic *miraculum* consequenter posuit. — Quod Sanctus apud Cel. quodammodo Iacobam iam advenisse divinaverit, levem reputamus rem, postquam equorum sonus auditus est, postquam socius exivit et iam rediit, dicens: « *Bona tibi, pater, nova denuntio* ». His in adiunctis intuitione psychologica adventum

(1) Ad quod cf. II Cel. 217: « *Audacter, frater medice, proximam prognostica mortem* » et ibid. 220a, 3: « *die quo praedixerat* » obiit; item Lm 5: Sp 122; P 97 (*Par.* 65).

(2) Lm habet: « *mirantes* »: error pro: « *mira res* »; Sp: « *mirum* ».

Iacobae a se auspicatum perspicere Sancto difficile non erat. — Sed hoc quoque adiunctum ostendit Thomam e P minime pendere.

Denique subdimus Thomam in P nomen quidem gentilitium Iacobae, sed non nomen filii sui Iohannis legere potuisse. Iuxta Thomam Iacoba advenerat « *cum filiis* », qui etiam ibidem cum matre sua permanebant; secundum P (Lm et Sp): « *cum filio* ». Verum hac in re testi Celanensis, scilicet fratri alterius, qui ergo ambo Assisii adfuissent, magis crediderim quam aliis testibus E documentis scimus tantummodo alterum fratrem Iohannis ante 28 april. 1230 obiisse (1).

E praelibatis inducimus, Celanensem fonte illo asserto hac in narratione usum non esse. Explanate etiam addimus, eo quod Tr. Thomas hic auctorem et testem narrationis suae Iohannem de Frangepanis appellat, concludi posse, matrem Iacobam anno 1253 (vel 1252) iam e vivis decessisse (2).

Praeter n. 37-8 duae aliae in *Tract.* adsunt paragraphi quae cum P relationem quamdam praeferunt, scil. n. 32 et 18. — Expresse hic addimus inter paragraphos e II Cel. in III Cel. transsumptas tantummodo III Cel 14 = II Cel. 166 cum P 83, dein III Cel. 27 = II Cel. 171 cum P 105 atque III Cel. 36 = II Cel. 44 cum P 61 modo quocumque cohaerere, videlicet nonnisi immediate, utpote ex II Cel. in *Tractatum* translatae, quare hic discutiendae non sunt, sed in complexu quaestionum inter P et *Vitam II* reponuntur (3).

III Cel. 32 nexum quemdam habet cum P n. 13, id est cum solo initio (4) et III Cel. 18 cum P n. 90 (5). — In III Cel. 32 narratur alaudas paulo ante S. Francisci transitum super tectum domus magno strepitu rotasse, et quidem fusius quam in P et in aliis. Additur etiam custodes a municipio Assisiensi missos hunc avium volatum ac strepitum magnopere miratos, caeteros quoque ad admirationem invitasse. — Hinc ratio deest asserendi Thomam haec e P hausisse; ea habuit a pluribus qui tunc ibi aderant Fratribus. — Alia quaedam huius n. 13 in P Thomas iam retulerat in *Vita II,* 200, l. 1-5.

In n. 18 Celanensis de pestilentia « *in provincia Reatina* » inter boves grassante dicit, quae lotura manuum pedumque S. Francisci exstincta est. Haec relatio Celanensis brevior est quam altera in P, quae etiam duas notas topographicas exhibet. Paucae voces consonant, pauciores quam ut tales significatae sunt; v. gr. *lavatura* et *lotura;*

---

(1) Cf. supra, 49, nota 7. Neque P. Fedele, neque Ed. Alencon. quidquam in contrarium protulerunt, sed in mera voce « *filio* » apud Sp et P nituntur.
(2) Cf. supra, 50, nota 4. (3) De quibus actum est ap. AFH XX, 468ss.
(4) Idem habes in Lm 18 et Sp 113. In *Par.* c. 110.
(5) Editur ap. AFH XV, 308; in *Par.* c. 57.

in visione et *per visionem; surgens* et *surrexit* certe non plane consonant. Ex paucissimis ergo aliis quae remanent consonantiis, nihil induci potest; neque ullae rationes particulares suadent Fr. Thomam hunc textum P adhibuisse. Rem facile Reate transiens [1] ipse Fr. Thomas narratam audiebat.

De authentia interna Tractatus de miraculis.

Quamquam experientia plurima et multiplici constet perquam difficile esse, solo stilo duorum triumve operum medio aevo scriptorum inspecto, secure et aperte probare eadem auctoris eiusdem foetum esse [2], subsidio isto prudenter uti fas est atque commodum. *Tractatum* perlegens facile eamdem dictionem in eo percipiet, quam olim tum in *Vita I* tum in *Vita II* miratus erat, idem eloquium excultum, eamdem sententiarum constructionem implicatam, idem studium adnominationum sive eumdem verborum lusum; eamdem compositionem numerosam, secundum « *cursus* » normas, tunc temporis a « *dictatoribus* » inculcatas. Haec eloquii ornamenta quae et inter hagiographos et inter alios scriptores ex officio opera sua componentes tunc magno in usu erant, Fr. Thomas peritia praeclara abundanter adhibebat, delectatus etiam in paraeneticis admonitionibus. Tales paraeneses praesertim in *Vita II* narrationibus suis creberrimas subnectebat qua virtutum admonitiones, qua morum bonorum adhortationes tum Fratribus suis tum saecularibus quibuscumque utiles vel quandoque necessarias. In *Vita I* parcius eisdem usus fuerat; in *Tractatu* methodum suam priorem in his item servabat [3], eo quod, aestimamus, totius *Tractatus* indoles ac tenor talia minus aperte suggerebant.

Eiusdem *Tractatus* materies ipsa auctori difficultates facessebat, quoniam eiusdem speciei Miracula, sanationes praesertim, eadem vel plerumque similia adiuncta praeferebant. Hinc inter narrationes ita uniformes elocutionis modus difficilius variari poterat, et revera auctor in plerisque, aperte brevitati studens, saepe planiore usus est stilo, quin ornamenta supra dicta vitaret, nedum negligeret. Sed aliquot tantum Miracula fusius exaravit, in eis dictionis ornatus profundens, qui legentium animos ad talia propensos et attentos haud parum oblectare possunt (v. gr. n. 1-5, 6-13, 16, 37-9, 40-7, 49-61, 81-2, 93-8, 116-20, 158-9, 181-8). Non tamen fuci decorisve dictionis suae cultum effusiorem Fr. Thomas affectabat, secus enim Miracula e sua *Vita I* in *Tractatum* assumpta vix coarctasset, licet alia ex parte e Iuliani *Legenda* aliquot vocabula interdum (non autem ubique) suo eloquio

(1) Cf. supra, 25s. (2) De criteriis externis authentiae *Tractatus* egimus supra, 38-44. (3) Cf. supra, 176.

immisceret [1]; circa quae dubitari potest, fueritne hoc factum maiore studio ornatus an variationis, quae caeterum et ipsa species quaedam est ornandi delectandique.

Ut aliqua singula adnotemus, lectores hortamur ut, v. gr. duo prima capitula, in stilum animadvertentes perlegant, sive unam e paragraphis supra notatis, quibus aliae non immerito addi possunt. Pauca et brevia hic excerpimus, quae quam cupidus Fr. Thomas figurarum et troporum quorumdam, antithesis praecipue, fuerit, palam faciunt [2]. — Num. 5, 20-1: *increduli satisfaciat indevotis et ipsos devotos efficiat certiores* [3]. — 7, 10: *Mirabilis Dei benedicta potentia, quae in Potentia civitate magnifica demonstravit.* — 8, 10: *in pictura non erat, quod pictor omiserat* [4]. — Num. 10 cultu eloquii praestat estque ex integro hypotyposis, ut et pleraeque aliae narrationes; in eo S. Franciscus cuidam *Fratri Minori* qui coeperat: *de sancti miraculo dubitationis scrupulo titillari* [5], apparuit: *humiliter durus et patienter iratus.* — 11, 15: *insurrexerunt filii tenebrarum in filium lucis,* scil. nocte rabidi sicarii in virum probum. — 17, 7: *ut mirae sanationis mira illa conversio causa foret et mirae conversionis mira sanatio testis esset;* qua in particula inversionem habes trifariam, ultra assonantiarum cumulum. — 19, 7: *fugabantur morbi, fugiebant febres;* allitteratio talis creberrima adest in III Cel. — 32, 5: *flebilis iubilus et iubilans fletus.* — 34, 3: *hospitio hospitis rusticitate pulsus.* — 37, 13: *quam absentem quaerebat, praesentem invenit,* antithesis est in omnibus Fr. Thomae operibus communissima. — 38, 4: *solvit velamen ut videat revelatum.* — 40, 20: *trementer ergo sacerdoti trementi confessa* est a mortuis solius confessionis causa resuscitata. — 42, 9; *de foro Dei factus, iudicari a medicis poterat, iurari non poterat.* — 43, 12: *Redde, sancte, iam poenitenti, quem abstulisti impie blasphemanti.* — 45, 3: *qui... puerilibus lusibus alludebant.*

51, 5: *dum terrestre naufragium patitur, caeleste suffragium deprecatur.* — 52, 3: *et recedente iam anima, pravum accedere successorem;* ubi aliae plures dictiones essent notandae, uti et in n. 54: *cuius pater et patruus...* ibid. 17: *Fusioni confusio et luctus moerentium succedit epulis convivantium... Successit confusioni refusio gaudiorum* etc. — 56, 2: *vulnera vulneribus superaddunt... donec vel exstinctum crederent vel protinus exstinguendum.* — 63, 2: *rupto fune, de rupe praecipitatus.* — 81, 10: *Aderat nauta quidam Perfectus nomine, nullo bono perfectus;* 17: *consenserunt irrisori caeteri cum timore, et irrisorem obiurgantes* etc. 83, 7: *Cum ore non posset, corde clamabat ut poterat.* — 89, 5: *et sancti amorem velut inane quid inaniter vilipendit... Tali te, ait, loco recludam et tali retrudam carcere.* — 91, 3: *sanctum inter sanctos speciali venerabatur affectu.* — 94, 4: *gravissimis vinculis aggravatus;* 8: *poena poenae succedens.* — 95, 6: *ut prolis futurus ortus praesens videretur matris oc-*

(1) Cf. 182. (2) Cf. supra, 43.
(3) Explicit cursu veloci, uti etiam sequens in n. 7, 10.
(4) Velox est cursus. (5) Item velox ; subinde planus sequitur.

casus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi exspiraret e vita; nec tali nisu parere sed perire; ibid. 12: *Finis dicendi finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium;* 14: ecclesiam... *construi fecit et constructam... Fratribus assignavit.* — 96, 6: *ut sepulcrum facta conceptus, sepulcrum... exspectaret;* 11: *mortis causa mortuus foetus emissus.* — 97, 11: *vita vivet;* iuxta Ezech. 8, 9, 19 etc. — 98, 6: *assecuta quod voluit, obliviscitur quod promisit;* 16: *et membra poenitenti restituit, quae abstulerat contemnenti.* Tales antitheses in toto opere frequentissimae sunt.

100, 8: *praevaluit timor humanus divino timori;* cf. ibid. 6-7. — 104, 4: *spoliata nomine, spoliata fuit protinus sanitate.* — 107, 6: *Poenitet mulierem fecisse quod fecerat et votum vovet.* — 109, 7: *defluentibus quae... in arcanis natura locaverat, ad loca non sua;* cf. ibid. 10-1. — 110, 2: *peracerbo dolore et monstruoso pudore.* — 112, 11: *filia... pro patre orat ad patrem* [Franciscum]. — 113, 6: *deformia reformata.* — 117, 9: *honorem reddite honoranti;* cf. ibid. 16-7. — 118, 7: *reversa est... propria luce duce.* 123, 2: Caecus: *lumen accepit, qui nomen ab eventu sortitus, Illuminatus est dictus.* — 124, 3: *hospitium S. Franciscus hospitatu suo... honorabat.* — 129, 9: *peccatum peccato addidit et blasphemiam blasphemiae cumulavit.* — 182, 12: *solita pietate miseris miseretur.* Tota haec paragraphus excultae dictionis est: *querula anus,* a cuius: *nemo est a clamoribus liber... dum curva senectus iuvenili calore virescit,* etc. — 189, 7: *cerasus... viruit, floruit, frontesque... produxit.* — Asyndeton plenius est in n. 198, 9: *sed fidem, sed studium..., sed laborem.*

Praehabitae selectiones Fr. Thomae eloquii qualitates quasdam abunde ob oculos ponunt. Ut earumdem vis probandi aperta fieret, necesse esset e *Vita I* atque *II* similes loquendi modos iuxta eas ponere, quas licet facile collectu esset (¹), modo non adunamus, alias hoc praestituri. Utramque *Vitam* anteriorem evolventibus caeterum tales dictiones similes creberrimae protinus occurrent.

Neque hic omnes proprietates stili Fr. Thomae expendere intendimus, cum istae e compluribus locis longioribus insimul positis eliciendae essent, id quod huius loci disquisitiones prolixiores redderet.

In *Tractatu* unica in *Legendis* Celanensis occurrit citatio explicite et nominatim facta alterius auctoris, n. 59, 5: *beati Augustini verbum illi protulit, dicens: « Crede, et manducasti ».* Quod in eiusdem *Tract.* 25 *in Evang. Iohannis,* n. 12, revera legitur. In *Vita I* Fr. Thomas plurium auctorum dicta adhibuerat, sed nullius nomen facerat (²). — Nonnihil miramur, quod auctor rem quamdam breviter expressam in *Tractatu,* 3, l. 8-9 et 159, 14-5 bis dixerit, videlicet quod S. Franciscum signo Thau « *missivas chartulas consignabat* ». — Animadvertere quoque praestat, Celanensem ideam conformitatis inter Christum et « *Christi signiferum* » (149, 173), paucis adumbrasse:

(¹) Aliqua collegit Van Ortroy, ap. *An. Boll.* XVIII, 90-1.

(²) Cf. *Vita I,* p. VI sq.

« *configuratus in corpore mortis huius corpori Crucifixi* » et: « *quatenus ut mens eius intro Dominum crucifixum induerat, sic totum corpus eius crucem Christi foris indueret* » (2, l. 5 et 19) (¹).

Authentia *Tractatus*, ut supra exposuimus, etiam ostenditur e modo agendi quem erga tria sua opera priora in hoc tertio Celanensis observabat (²), tot in hoc illorum paragraphos transsumens, et quidem in pluribus diversam omnino methodum erga alienam *Legendam* Fr. Iuliani consequenter observans.

Genuinitas *Tractatus* fulcitur etiam iis, quae non verbotenus vel fere e *Vita I* et *II* assumpsit (n. 1-3, 19), sed obiter tantum tetigit, quia in aliis suis operibus res iam tractatae erant. Quam quidem rationem Fr. Thomas non aperte declaravit, nedum singula sic perstringendo enuntiavit. Semel autem hoc expresse egit in n. 3: « *Scriptum est* (ait) *et fideli relatione probatum, qualiter ille Fr. Monaldus* », S. Antonio de crucis titulo praedicante, S. Franciscum in longinquis agentem, praesentem intuitus est. Quibus verbis dilucide allegatur *Vita I*, num. 48, ubi res diffuse est narrata. Nihil allegationi duo prima vocabula: *Scriptum est* officiunt, quia locus Matth. 4, 4, sint; locutio ista biblica rei fidem eo distinctius in *Vita I* ponit, quae sic implicite sed haud dubie allegatur.

Statim simili citatione prosequitur: « *Nonne mos erat et primis filiis* » sanctae cruci ubique locorum debitam impendere reverentiam? Qua interrogatione rhetorica Fr. Thomas perspicue relata in *Vita I*, n. 45, rememorat. — Neve hic, extra locum remque obtrudas haec quoque in *Legenda* Fr. Iuliani, n. 27 et 30 referri, nam e mox superius dictis liquet Celanensem his solis in locis certe non istam *Legendam* respexisse, utpote alibi nonnisi perquam obiter adhibitam.

Quam vane modo fata obiectio fieret, liquet e sententia quae citationem illam immediate praecedit, eodem rhetoricae interrogationis modo proposita: « *Nonne Fr. Silvester ... vidit ex ipsius ore crucem auream prodeuntem ...?* ». Haec enim visio in sola *Vita II*, 109, relata est, et consequenter in Iuliani *Legenda* nullibi exstat (³).

In *Tractatus* quoque Epilogo (n. 198) non obscuram deprendimus allusionem ad eiusdem auctoris ambas *Legendas* antiquiores, cum Fr. Thomas ibi scribat et argumentetur: « *Cum... Christi Domini pietas, ea quae de sancto suo et patre nostro scripta sunt et vulgata, sequentibus signis vera esse confirmet* » etc.; id est « sequentibus signis » hoc in *Tractatu* narrata, ea quae prius de actis et gestis vitae Patris nostri narravimus (in I et II Cel.), vera fuisse

(¹) Cf. etiam *Vita I*, 119, 11-3; 115, 1-18; *Leg. chori*, 10, 9-10: « *studens humili Iesu humiliter conformari* ». (²) Supra, 177 sqq.

(³) In n. 38, 14-6: « *Transeo populorum concursus* » etc. *Vitam I* vagius allegari putamus quam ut hoc loco in argumentatione uti possimus.

demonstrantur. Quae illatio manifesto in hic allegati loci: Marci, 16, 20, sensu et tenore innititur atque insuper *Tractatum de miraculis* a Legendis duabus praecedentibus discernit et distinguit ([1]).

Verbis praefatis auctor se explicate Fratrem Ordinis a S. Francisco instituti profitetur, quod paulo inferius denuo eloquitur: « *rogo supplex ego et humilis dicti patris filius* ([2]) *universos, quatenus* » etc. Veruntamen huiusmodi testimonium non in fine *Tractatus* quaerendum est, cum iam prima eiusdem sententia hoc aperte declaret: « *sanctissimi patris nostri Francisci miracula scribenda suscepimus* ». Totius quoque *Tractatus* tenor idem vix non indubie suggerit.

Quodsi modo exordium primi capituli hoc expresse proclamat, ea quae nos deficit *Epistola praefatoria* operis, et hoc et alia olim dilucide propalabat, scilicet auctorem esse Fr. Thomam, qui olim (1246-47) iam *Vitam II* eiusdem Patriarchae composuerat et tunc (1250-52 vel 53) denique « *multiplicatis litteris* » Fr. Iohannis Parmensis generalis adactus, hunc *Tractatum* exaravit ([3]). Quo *Tractatu* signis mirificis S. Patriarchae Assisinatis dicato, Fr. Thomas eximiam suam trilogiam iam an. 1228 componi coeptam, duodeviginti annis transactis in opere secundo maiore resumptam et ampliatam, tandem post quinque et viginti annorum spatium praeterlapsum, digne complevit atque absolvit. Una cum *Epistola* illa opus suum novum ad Ministrum generalem destinavit, quin sciamus quotnam alia in ea *Epistola* de se auctor dixerit, de intento operis, de causis ob quas tamdiu opus protelaverit, instantiis superioris sui non tempestive obtemperans.

Quas rationes neque ex tripode rescire neque coniectura aliqua assequi possumus. Indirecte etiam inducere tantummodo debemus Fr. Iohannem Parmensem *Tractatum,* Miraculorum gloria famaque Sanctum Institutorem celebrantem, ex officio approbasse, probabilius in proximo quod secutum est Capitulo generali, die 31 maii 1254 Metis in Lotharingia celebrato ([4]). Attamen qualecumque decretum huiusmodi nos latet, nullumque de hoc testimonium antiquum memoriae proditum est. Eiusmodi defectu silentiove non obstantibus, approbatio illa arguenda est e modo quo S. Bonaventura in Fr. Iohannis Parmensis locum munusque die 2 februarii 1257 suffectus ([5]), pro *Legenda maiore* an. 1260-63 componenda *Tractatus* tenorem, non plurimis mutatis, paucisque additis, abundissime adhibuit, plenos floridosque ex ipso manipulos colligens et in suam *Legendam* novam transferens.

Essent adhuc plures aliae disquisitiones disputationesque circa Fr. Thomam Celanensem eiusque opera instituendae, quae aliis occa-

(1) Cf. supra, 39 sq.

(2) Neque hoc testimonio codicis At infirmatur, hic habentis: *filios*.

(3) Cf. exposita, 38-40. (4) Cf. AFH IV, 425-35. (5) Supra, 38.

sionibus, prout res efflagitabunt, moveri atque haberi poterunt: modo autem ac interim huic disquisitionum Celanensium seriei exitum imponere malumus.

Ne harum Disquisitionum Celanensium valde variarum nec brevium conspectus utilis desit, quamvis diversorum capitulorum inscriptiones iam materias pertractatas manifestent, paucis singularum quaestionum tenores hic complectimur. — Primum de unica recensione *Vitae II* a Fr. Thoma de Celano auctore exarata egimus, ostendentes maiores discrepantias inter huius *Vitae II* codices A et M in omissionibus consistentes, non ab auctore sed ab amanuensibus repetendas esse (AFH XX, 433-45). — Tunc de fontibus *Vitae II* in genere diximus, pro his e varietate textuum ab aliis qua fontes propositorum eruendis aliqua criteria discutientes, quaedam vero, v. gr. momentum « *cursui* » tributum renuentes (ibid. 445-61).

In secunda parte textus *Compilationis Perusinae* qua fontes *Vitae II* propugnatos ad examen vocavimus (ibid. 461-96) in aliosque textus affines (supra, 3-19) inquisivimus. — Cuius secundae partis paulo superius, 194-5, conspectum obtulimus.

In parte tertia in *Tractatum de miraculis S. Francisci* hucusque a scriptoribus modernis magis neglectum quam perlectum discussumve inquisivimus. Paucis de huius indole praemissis (supra, 20-1), quid circa vitam S. Francisci contineat collegimus (21-3), tunc de Miraculis S. Patris post transitum in genere et quaenam ex eis ipse Fr. Thomas Celanensis adunaverit exposuimus (23-9); dein tenorem geographicum *Tractatus* expandentes (29-33), quosnam etiam Fratres Minores in eo auctor commemoret (33-5), quid de veneratione et cultu S. Francisci manifestet (35-8), recensuimus. — Exinde e criteriis externis Fr. Thomam de Celano auctorem *Tractatus* esse ostendimus, quem qua opus separatum, Fr. Iohanne Parmensi Ministro Generali, iterato iubente, composuit (38-44) et quidem inter annos 1250 et 1253 aut iam ante finem anni 1252 (44-54). — Deinde codices *Tractatus* descripsimus (161-8), simul auctores qui plures partes eiusdem in operibus suis nobis servaverunt recolentes (168-77). Posthac fontes praecipuos in *Tractatu* adhibitos esse monstravimus *Vitam I* et *II* ipsiusmet Celanensis (177-82); inter *Tractatus* fontes non computandam esse parvam *Collectionem Miraculorum* in cod. Little contentam exposuimus (182-94); neque *Compilationem Perusinam* inter fontes istos numerandam esse ostendimus (194-200). Denique authentiam *Tractatus* etiam e criteriis internis eruimus (200 sqq.).

P. Michael Bihl, O. F. M.

LA MAITRISE DU Bx. JEAN DUNS SCOT EN 1305

SON DÉPART DE PARIS EN 1307

DURANT LA PRÉPARATION DU PROCÈS CONTRE LES TEMPLIERS[a]

L'histoire de la scolastique a beaucoup à gagner à ce qu'on s'efforce de fixer des points de repaire et d'établir certaines dates, qui puissent guider les historiens et leur apporter de précieux renseignements pour les aider à poser sous leur vrai jour des questions disputées à un moment donné. Mr. l'abbé P. Glorieux remarque judicieusement qu'un maître, s'il s'imposait tant soit peu, exerçait nécessairement une influence que ses collègues subissaient ou combattaient [1]. Le bienheureux Jean Duns Scot fut un maître puissant et avisé, sur qui a marqué une profonde impression la bulle et décrétale de Boni-

(a) SUMMARIUM. — Ex Epistola a Fr. Gundisalvo, Ministro generali 18 novembris 1304 data, elucet Fr. Iohannem Duns Scotum tunc pro licentiatu et magisterio Parisiis obtinendis propositum fuisse. Ex adiunctis aliis infertur Ioh. Duns Scotum magisterium revera assecutum esse anno 1305 post pascham. — Scoti successor, Fr. Alexander ab Alexandria, in documento 25 oct. 1307 comparet. Unde liquet ipsum saltem 14 sept., id est in initio anni scholaris Parisiis adfuisse, immo iam duos menses antea Ianua a Gundisalvo Parisios destinatum fuisse. Hinc Ioh. Duns hoc tempore Coloniam missus erat, scilicet quando scelestus ille Gullielmus de Nogaret, minister Philippi Pulchri regis Franciae, in Bonifatii VIII memoriam infensissimus, processum illum infamem in Templarios parabat, libertatesque gallicanas (quas dicunt) astruebat, Clementi V minitatus et magistros Universitatis Parisiensis vi atque fallaciis in partem suam trahens atque quosdam Spirituales O. Min. et Inquisitores O. Pr. Ili tunc tres Cardinales habebant; Minores vero duos tantum, e quibus unum, Iohannem Minium, in Ordinis Protectorem Gundisalvus a Clemente V postulavit et obtinuit (1307). Subtilis noster, etiam qua Scotus natione, iurisperitis gallicanis infestus erat; uti isti Bonifatium VIII, Templarios, Gualterum episcopum Pictaviensem, O. Min., ipsum etiam Clementem V haereseos incusare satagebant, ita etiam Iohannes de Polliaco, magister theologiae Parisiensis et gallicanus Scotum haereseos insimulabat propter doctrinam suam de Immaculata Conceptione. Ita undequaque circumstantibus discriminibus, caput scholae franciscanae Parisiis impares habuit conditiones in turpissima lite tunc inter Ecclesiam et regem Franciae acta et agenda, quare prudenter, sed inopinate Gundisalvus Fr. Alexandrum Parisios vocavit et Scoto Coloniae refugium paravit, circa medium anni 1307. [NOTA DIRECTIONIS].

(1) *La littérature quodlibétique de 1260 à 1320*, Paris 1925, 59.

face VIII : « *Gloriosus Deus in Sanctis suis* »(¹) du 20 sept. 1295, qui proposa en exemples et comme guides les Evangélistes et les quatre docteurs de l'Eglise latine au moment où les légistes de Philippe le Bel travaillaient à ressusciter le paganisme. Mr. le Prof. E. Gilson écrit du philosophe métaphysicien : « Scot reste inébranlablement attaché aux traditions les plus authentiques de la psychologie franciscaine, et sous le revêtement dialectique qui la voile à nos yeux, l'inspiration mystique de son œuvre se laisse enfin découvrir »(²).

Les deux lumières du XIIIe siècle S. Thomas et S. Bonaventure, tout en restant intimement unis en matière de foi, semblent deux chefs irréconciliables dans leurs systèmes, dont ils ne sont nullement les créateurs, mais d'éminents représentants. Quelque chose, en somme, de ce qu'on voit pratiquer par les saints Evangélistes: Jean chante les gloires du Verbe, Mathieu exalte l'humanité du Christ. Les apparentes contradictions existent bien moins dans l'objet qui est l'Homme-Dieu que dans le verbe humain qui bégaie. Le Bx. Duns Scot est dans la tradition de S. Bonaventure ce que son collègue dominicain Hervé Nédélec est dans celle de S. Thomas. Il n'est donc pas surprenant qu'on les trouve sur leurs positions tout comme restèrent sur les leurs les docteurs Angélique et Séraphique. Hervé, « logicien non moins subtil que Duns Scot », quand les deux écoles sont d'accord, n'a rien à dire dans son Commentaire sur le Lombard. « Mais dès qu'il constate quelque différence entre leurs sentiments, il croit devoir expliquer et défendre... » l'école dominicaine ou plutôt son chef (³). Nous ne retenons de ce témoignage d'Hauréau que ce qu'il faut pour l'opposer à celui de son collègue E. Renan, qui ne sert que de vieux clichés. Pour ce dernier, en effet, l'influence de Scot fut plutôt posthume et l'œuvre de l'envie des Franciscains! (⁵).

Attribuer à Scot, comme Renan (⁴), la bassesse de créer une école pour l'opposer à celle de « fr. Thomas » c'est reproduire un vieux cliché archiusé, qui fait sourir tout historien tant soit peu avisé. — Lorsque le conseiller de Philippe le Bel montait le procès contre les Templiers, à la fin du séjour de Scot à Paris, le Maître des Templiers, Mollay,

---

(¹) Le P. Ferd. Delorme a découvert l'original donné au Ministre général Raymond Gaufredi (*France franciscaine*, VIII, 451), échappé jusqu'ici aux historiens franciscains. La bulle cependant avait été incorporée au livre VI des Décretales, titre XXII et le *Bullar. Ord. Praed.* II, 44, avait publié l'exemplaire adressé à l'Ordre des Prêcheurs: cf. Potthast, n. 24188.

(²) *La philosophie franciscaine*, dans *Saint François. Son œuvre, son influence 1226-1926*, Paris 1927, 171.

(³) *Hervé Nédélec, général des Frères Prêcheurs*, par B. Hauréau dans l'*Histoire littér. de la France*, XXXIV, 315.

(⁴) *Hist. littér.* l. c. XXV, 404. (⁵) L. c.

pour éviter qu'on réunit ses Templiers aux chevaliers de l'Hôpital, présenta au Pape et aussi au roi un mémorial dans lequel il apporta parmi ses arguments celui de l'émulation entre Prêcheurs et Mineurs en ces termes; il est de 1306-1307:

« *Item apparet exemplum inter fratres Predicatores et Minores, qui multos habent meliores clericos et magis famosos quam si ambe religiones essent in unum, quia quelibet religio studet excellentiores viros habere et magis exercitat suos ... quod totum redundabit in honorem et commodum populi christiani* » (1).

Bien que Mollay se dise « *illiteratus* » et ne touche pas directement la question de l'enseignement universitaire, il eût pu ajouter que les Supérieurs des Ordres Mendiants étaient jaloux de leurs chaires universitaires et particulièrement de celles de Paris. Les constitutions dominicaines le prouvent à toute évidence et chaque année elles le répétaient en une formule qui changeait fort peu. Nous choississons celle de l'année 1304: « *Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacallariis ordinet et disponat, prout utilitati et promotioni studiorum viderit expedire* » (2).

Les Mineurs n'agissaient pas diversément pour le recrutement du haut personnel de leur chaire de Paris, S. E. le Card. Ehrle en a fourni la preuve, il y a longtemps déjà (3). Que les Supérieurs des Prêcheurs ne laissèrent pas impunément violer leurs prescriptions, Gentile de Rome l'éprouva en 1293 (4) et Réginald provincial de France en 1303 (5); le premier fut privé de ses droits, le second les vit suspendus temporairement; le provincial d'Angleterre, qui dut reprendre ses cours à Paris, fut sévèrement puni par le Maître général pour n'avoir pas obtempéré aux ordres reçus (6).

La lettre du Général franciscain, datée d'Ancône le 18 nov. 1304, est un document unique, croyons-nous, qui règle la succession de la chaire franciscaine de Paris. Pour permettre aux lecteurs de contrôler l'usage que nous en ferons, nous la republions ici:

---

(1) Lizerand, *Le dossier de l'affaire des Templiers*. Paris 1923, 10.

(2) Reichert, *Monumenta Ord. Fr. Praed. Histor.* III, 7; pour 1305, p. 15: pour 1306, p. 20: en 1307 on ajoute: « *Et quantum nostra interest, ordinamus expresse quod Magister ipsam ordinationem circa bacalareos valeat et studeat, prout expediens viderit, prevenire* »; p. 27.

(3) « *De fratribus lecturis sententias et ad magisterium presentandis Parisius minister provideat generalis* »: ALKG VI, 107.

(4) Reichert, l. c. III, 268.

(5) Denifle, II. 100, n° 632: « *nec recepta* [*licentia*] *uti valeat* ».

(6) Reichert, l. c. II, 242, 246.

In Christo sibi carissimis Patribus Guillelmo Gardiano Parisius vel eius Vicario et Magistris, frater Gondisalvus gaudens in Domino.

Ad expeditionem dilecti in Christo Patris Aegidii de Lignaco, de quo per litteras vestras certificatus existo, cum de alio (ut moris est) eodem calculo praesentando, providere oporteat. et cum secundum statuta Ordinis et secundum statuta vestri Conventus baccalareus huiusmodi praesentandus ad praesens debeat esse de aliqua provincia, aliarum a Provincia Franciae, dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotum, de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenioque subtilissimo aliisque insignibus conditionibus suis, partim experientia longa, partim fama, quae ubique divulgata est, informatus sum ad plenum, dilectioni vestrae assigno post dictum patrem Aegidium principaliter et ordinarie praesentandum. Iniungo nihilominus vobis ad meritum salutaris obedientiae, quatenus praesentationem huiusmodi cum solemnitate solita sine multo dispendio facere debeatis. Si tamen constiterit vobis, quod dominus Cancellarius velit duos simul LICENTIARE *de nostris, volo et placet mihi, quod frater Albertus Methensis, si ad conventum redire poterit, cum praefato fratre Iohanne debeat expediri. In quo casu mando et ordino, quod dictus frater Albertus antiquitatis merito prius incipere debeat, dicto fratre Ioanne sub eo postmodum incepturo. Valete in Domino et orate pro me. Datum in loco Esculi provinciae Marchiae Anconitanae, XIV kal. decembris, anno MCCCIV (18 nov. 1304)* (1).

Mr. Glorieux s'est sûrement laissé égarer par les apparences, lorsqu'il prend ce document de Gonsalve pour dater le baccalauréat de Duns Scot (2)! Des Marches d'Ancône le Général propose et désigne les bacheliers qui seront à proposer à la future promotion *à la licence* ou à la maîtrise. Le *terminus a quo* que le critique présente comme point de repair étant erroné, donc aussi ses conclusions.

La lecture de la lettre démontre au contraire que Gonsalve répond au gardien fr. Guillaume et aux maîtres, Alain et Jean de Tongres probablement, qui avaient informé le Général de la promotion de Gilles de Ligny (3). Il recommande en passant qu'on ne fasse pas de dépenses excessives pour son installation; on se rend même compte qu'on rappella au Général que les réglements de l'Ordre exigent que les licenciés à présenter après Gilles de Ligny ne soient pas de la province de France, qui doit se contenter d'un candidat tous les trois ans afin d'en laisser deux autres aux trente-et-une autres provinces

(1) Wadding, *Annales ord. Min.* VI, 51; Denifle, *Chart. Un. Par.* II, 117. Cf. E. Longpré, *Gonzalve de Balboa et le B. Duns Scot*, dans les *Etudes Francisc.*, XXXVII, 1924, 640-6; XXXVIII, 1925, 171ss.

(2) *La littérature quodlibétique*, 218.

(3) *Alumnus* du couvent de Chartres, Gilles mourut le 21 avril 1322, à Chartres même. Il fut Provincial de France durant dix années et composa un commentaire sur le I livre des Sentences; AFH III, 310.

de l'Ordre ([1]). — En associant comme licencié éventuel à notre frère Jean, Albert de Metz qui devrait même précéder Scot, s'il pouvait retourner à Paris, le Général fournit la preuve que celui-ci, comme Duns Scot, est étranger à la province de France. Enfin la lettre nous apprend encore qu'Albert ([2]) était déjà un bachelier plus ancien que notre Scot et que sa préséance universitaire ([3]) exigeait qu'il passerait à la licence avant le Docteur Subtil, s'il pouvait, toute fois, retourner à Paris et si le Chancelier Simon de Guiberville ([4]) acceptait de pro-

([1]) « *Placet tamen generali capitulo, quod illorum, qui Parisius sunt lecturi sententias vel ad magisterium presentandi, tertius semper de provincia Francie, alii vero duo de aliis provinciis ordinis magis ydonei assumantur, ita tamen, quod propter hoc non promoveatur aliquis insufficiens ad officia supradicta, nec potestati generalis ministri preiudicetur in aliquo, quin in provisione huiusmodi libere facere possit et preferre unum alteri, sicut ordini viderit expedire* »; ALKG VI, 107.

([2]) De la Constitution citée dans la note précédente, il faut conclure qu'Albert de Metz n'est pas de la province de France; il y a donc lieu de l'identifier avec l'Albert custode de Trêves, en 1307 (cf. P. Schlager, *Beiträge z. Gesch. d. Kölnischen Franziskaner-Ordensprovinz*, Köln 1904, 60). A Metz, ville libre de l'Empire et dont l'évêque était suffragant du métropolite de Trêves, s'entrecroisaient les influences franco-allemandes; il n'est donc pas étonnant que la province de France et celle de Cologne recrutassent leurs religieux à Metz, ou dans le pays Messin, voire dans la partie de l'ouest et du nord de la Lorraine. Absolument rien jusqu'ici ne nous permet de dire que Albert de Metz soit retourné à Paris, en temps opportun, ce qui ne paraît pas. La discussion que le jeune maître Scot eut avec son collègue dominicain fr. Guillaume Godin, qui devint, déjà en 1306, lecteur de la curie, insinuerait clairement que le docteur Subtil succéda immédiatement à Gilles. Cf. F. Pelster, S. J., dans *Franziskan. Studien*, X, 1923, 15s. Le même historien signale dans le *Clm 8717*, du début du XIV[e] siècle, des extraits de questions théologiques et l'une d'elles porte très probablement « *frater Albertus Metensis* » plutôt que « *vicarius* », au fol. 103vb-4vb (l. c. 16). — Adam Goddam, *Super quattuor libros Sententiarum*, Parrhisiis 1512, renvoie fol. 74a, dist. 33, q. 1 à « *Albertus in additionibus Scoti super primum Sententiarum dist. 33, q. prima* ». — A titre de renseignement supplémentaire et sous bénéfice d'inventaire nous transcrivons ici une indication d'Etienne Brulefer dans son *Reportatum* de S. Bonaventure imprimé à Bâle en 1501, l. I, dist. 10, art. 2. q. 2: « *Dicit S. Bonaventura in Legenda Sanctissimi P. Francisci pulchra verba* [*de caritate:* Leg. mai. XIII, 3] *quae nullo modo sunt secundum dicta Alberti quondam* REGENTIS PARISIIS, *qui fuit tempore Scoti, et Ordine Minorum, quod S. Pater solummodo per imaginationem fortissimam fuit insignitus signis passionis Christi; quod falsum est, quia a Christo sibi impressa sunt* ».

([3]) Denifle, II, 100: « *Posterior in lectura Sententiarum nullatenus preponatur* ».

([4]) Le 17 juin 1296 Boniface VIII avait institué Pierre de Saint-Omer, chancelier de Paris (Denifle, II, 69) vu qu'il s'était réservé, le 16 nov. 1295, de donner un successeur à Bertauld de Saint-Denis passé archidiacre à Reims (l. c. 66). Dès avant le 3 mars 1301 (style moderne), Simon de Guiberville remplaça Pierre de Saint-Omer promu à l'archidiaconat de Brie (l. c. 70 note); l'obit d'Etienne, frère de Simon, nous le prouve: [*3 mart.*] *V. non. De domo Sancte Marie anno domini M°CCC°, die jovis in festo beati Albini, prima die*

mouvoir cette fois deux licenciés. Dans ce dernier cas, Scot ne ferait l'*Incipit* de sa licence que sous Albert de Metz.

L'acte du 25 juin 1303, que nous avons republié ici-même ([1]), prouve qu'au couvent franciscain de Paris se trouvaient, outre l'ex-abbé Prémontré maître Jean de Tongres, maître Alain avec ses deux bacheliers Gilles de Ligny et Martin d'Abbeville. Le Bx. Jean Duns Scot au contraire, bien qu'il exposât les Sentences en 1302-03, n'y comparaît plus: il était donc, comme nous l'avons vu ailleurs, du nombre des étrangers qui refusèrent de collaborer à l'attentat d'Anagni préparé par Philippe le Bel contre Boniface VIII ([2]). L'Université de Paris se laissant si facilement embrigader par Nogaret contre la Papauté fut, par la bulle du 15 août 1303 ([3]), privée de ses droits de conférer les grades théologiques, droits qu'elle tenait en effet des Papes. Ce ne fut que le 13 avril de l'année suivante que Benoît XI rendit à l'Université ses privilèges ([4]). Dans ces conditions l'Univer-

---

mensis marcii obiit magister Stephanus de Guibervilla, quondam canonicus Parisiensis, qui dedit nobis ad opus anniversarii sui in ecclesia nostra Parisiensi quolibet anno faciendi pro se suique viri venerabilis et discreti magistri Simonis de Guibervilla, fratris, canonici et cancellarii Parisiensis, parentum et benefactorum suorum, animarum remedio et salute, videlicet octo libras cum dimidia et duodecim solidos Parisiensium, distribuendos canonicis et majori altari servientibus ... »; Guérard, *Cartulaire de l'église Notre-Dâme de Paris*, Paris 1850, IV, 24. De fait, Pierre son prédécesseur paraît le 30 juil. 1302 comme Archidiacre (l. c. II, 524); mais Simon figure dans les actes comme chancelier: le 18 juillet 1303: « Sy[mone] Cancellario »; Denifle, II, 103; G. Picot, *Docum. relatifs aux Etats Généraux*, Paris 1901, 383. Puis on le trouve dans un acte de son évêque Simon de Melifas, du 28 janvier 1304 (nouv. style), approuvant la fondation d'une chapellanie à Saint-Denis: « *Et nos omnia et singula predicta ex certa scientia volumus, laudamus, approbamus, et, de consilio et assensu venerabilium virorum magistrorum Iohannis de Magno Ponte decani, Girardi archidiaconi et* Symonis cancellarii *ecclesie Parisiensis, coadiutorum, auctoritate episcopali merito confirmamus. In quorum testimonium, sigillum nostrum, una cum sigillo dictorum coadiutorum nostrorum, presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCC° tertio, die mercurii ante festum purificationis beate Marie virginis;* Guérard, *Cartulaire* cité, III (1850), 199. On lit: « Symo de Guibervilla » dans un acte que la présence de « Guillelmus Petri de Ord. Praed. » force encore de placer entre 1304-6 (Denifle, II, 21); le 25 oct. 1307: « *Symone cancellario* »; Finke, *Papsttum u. Unterg. d. Templerordens*, Münster i. W. 1907, 308. Seul dans une copie du règne de Jean XXII on écrivit à propos d'un acte du 25 mai 1308: « *et magistri Stephani, cancellarii Parisiensis* » mais Denifle remarquait déjà en 1891: « *Error in hunc locum irrepsit. Non quidem Stephanus sed Simon de Guibervilla tunc temporis cancellarius Parisiensis erat, qui adhuc Decembris 10 eiusdem anni hoc officio fungebatur* »; l. c. 129 et 130 n. 1. Le 10 déc. 1308 Simon est élu doyen de Paris (l. c. 136) et François Caraccioli de Naples lui succéda comme chancelier (l. c.).

([1]) AFH X, 5-7.

([2]) *France Franciscaine*, IX, 1926, 302ss.; AFH XVII, 3-12.

([3]) Denifle, II, 104.

([4]) L. c. 113.

ex parte mea omnibus benedices [1], quorum *culpas et offensas omnes remitto, et eos, sicut possum, absolvo* ». — * Denique *cum esset cilicio su-* * I Cel. 110 *perpositus* [*et*] *cinere* '*conspersus* [2], *circumstantibus* et flentibus *filiis*' et *fratribus, sanctissima illa anima carne soluta est* et *in abysso claritatis absorta, corpusque obdormivit in domino*. — * *Unus* '*autem*' [3] * II Cel. 217a *ex discipulis eius, fama* [4] *non modicum celebris, vidit animam sanctissimi patris, quasi stellam lune immensitatem habentem et solis claritatem pretendentem* [5], *super multas aquas a candida subvectam nubecula, recto tramite in celum conscendere.*

Lectio VIII.

5. — *Factus est propterea concursus populorum multorum laudan-* II Cel. 217a *tium et glorificantium nomen Domini. Catervatim tota civitas Asisii ruit et omnis accelerat regio videre magnalia dei, que dominus* gloriosus [6] *ostenderat in servo suo. Lamentabantur filii tanto patre orbati et pium cordis affectum lacrimis et suspiriis ostendebant. Verumtamen miraculi novitas planctum vertit in* gaudium [7] *et luctum in iubilationem. Cernebant corpus beati patris Christi stigmatibus decoratum, in medio videlicet manuum et pedum ipsius non clavorum quidem puncturas, sed ipsos clavos ex eius carne compositos, immo carni eidem innatos, ferri retenta nigredine, ac dextrum latus sanguine rubricatum. Caro eius naturaliter nigra prius, candore nimio renitescens, beate resurrectionis premia promittebat. Membra denique* morbida [8] *et mollia sunt effecta, non rigida ut mortuorum solent, conversa in* teneritudinem [9] *pueriles etatis* [10]. — *Lamentabantur filii* [11] '*pre gaudio cordis*' *et deosculabantur* '*in patre signacula* [12] *summi regis*'. — * *Fratres igitur et filii qui convenerant,* * I Cel. 116 *cum omni multitudine populorum noctem illam* [13] *in qua sanctus pater* '*decessit*' [14], *divinis laudibus consummarunt, ita ut pre iubilationum dulcedine ac luminum claritate fore angelorum excubie viderentur.*

---

(1) *benedicis* N; *benedices* Cel.; *benedicas* Iul. Hinc usque *absolvo,* Iulianus strictius *Vitam I* sequitur quam N, qui plura transponit. Ob verba: *quem diligebat,* quae Iul. omisit, aestimamus N hunc locum e I Cel. referre, non e Iuliano.

(2) Iul. 69, 13: *conspergi.*

(3) E I Cel. 110, 11; *frater:* II Cel.

(4) Sic I Cel. 110, 12; sed II Cel. 217a, 2: *famae.*

(5) *precedentem* N.

(6) om. II Cel.; in I Cel. 112, 8: *gloriose.* — Exinde *ostenderet* N.

(7) *iubilum* II Cel.; *gaudium* legitur in I Cel. 112, 12.

(8) E Iul. 71, 7; in II Cel. 217a, 14: *eius ductilia.*

(9) E I Cel. 112, 23. (10) Sic explicit II Cel. 217a.

(11) Hae duae voces e I Cel. 112, 10-1, assumptae sunt; sequentia *pre - regis* e Iul. 71, 13-4, licet hic habeas *osculabantur,* dum *deosculabantur* legitur in I Cel. 113, 7 (et in *Leg. chori,* 13, 4).

(12) Hoc et duo reliqua vocabula sunt in Iul. et etiam in *Leg. chori,* 13, 4-5.

(13) Sic correctum e *nocte illa* in N.

(14) E Iul. 72, 1; in I Cel. 116, 6: *obiit sanctus pater.*

Lectio IX.

I Cel. 116 6. — *Mane autem facto,* turbe que *convenerant* palmos *olivarum aliarumque arborum accipientes, multiplicatis luminibus* (1), *clangentibus tubis, cum ymnis et laudibus sacrum corpus ad civitatem Asisii* '*detulerunt*' (2). *Cumque* '*filii* (3) *pium patrem*' *portarent et ad locum venissent, in quo* (4) *religionem pauperum dominarum primo ipse plantavit, in ecclesia sancti Damiani* aliquantulum '*substiterunt*' (5). Et *aperta fenestra, per quam ancille Christi constituto tempore communicare solent dominici corporis sacramento, ecce domina Clara, que vere meritorum sanctitate clara erat, prima* (6), *quia prima planta huius sancti Ordinis fuit, ad videndum* 'dulc*issimi* (7) *patris corpus*' *cum reliquis filiabus advenit.*
* I Cel. 117 — * *Et ingeminatis suspiriis, cum lacrimis multis respicientes eum, suppressa voce clamare ceperunt: « Pater! pater! quid faciemus? Cur* (8) *nos miseras deseris?* (9). *Cui sic desolatas relinquis? Tecum nostra consolatio tota recedit, et simile solatium non remanet seculo tumulatis* (10) ». *Sicque deosculantes manus eius ornatas pretiosis gemmis ac* electissimis (11) *margaritis, multo fletui* pepercerunt. *Et ablato eo, clausa est illis ianua,*
* I Cel. 118 *que tanto vulneri minime ultra patebit.* — * *Pervenientibus denique omnibus ad civitatem, cum iocunditate magna et exultatione, in sacro loco corpus sanctissimum posuerunt.* Quo '*in* (12) *loco puerulus ipse litteras primum didicerat, ibique postmodum primitus predicarat* (13), *ut convenienter felix initium* (14) ad *cumulum glorie* amplioris *felicior consummatio*' sequeretur.

[Particula secunda].

II Cel. 220a 7. — [403ra]. *Anno* itaque *dominice* (15) *incarnationis mccxxvi, iiij nonas octubris,* '*die dominico* (16)', *expletis xx annis ex quo perfectissime adhaesit Christo apostolorum vitam et vestigia sequens, apostolicus vir Franciscus* (17) *vite mortalis compedibus absolutus, feliciter migravit*

---

(1) *luminaribus* I Cel. (2) Verbum hoc e Iul. 72, 5.
(3) Tres voces e Iul. 72, 6; in Cel.: *filiis patrem.*
(4) *in quo* in marg. habet N. (5) E Iul. 72, 8.
(6) Hic in N excidisse videntur: *aliarum mater,* quae habet I Cel. 116, 21.
(7) Forte e Iul. 72, 11, qui habet *dilectissimi.* (8) *Cui* N.
(9) N bis hoc verbum habet, sed alterum expunxit. Tunc N *cur* pro *cui.*
(10) Tunc N om. I Cel. 117, l. 7-16. (11) In Cel.: *coruscantibus.*
(12) E Iul. 72, 16-9; v. etiam *Leg. chori,* 13, 7 et I Cel. 23, 8-9.
(13) Forma verbi contracta cursum velocem efficit; in Iul. adest tardus.
(14) Dehinc ex industria locus Iuliani variatur, in quo item explicit cursu tardo, in N autem veloci.
(15) Haec vox e I Cel. 88, 13, promanat, in quo capite tota haec periodus *Vitae II,* 220a fundatur.
(16) Sic *Leg. chori,* 17, 3. I Cel. 88, 14 et Iul. 73, 8; sed omisit II Cel.
(17) Tres istae voces in II Cel 220a, ultimo in Officio S. Francisci, antiph. I ad Vesp. nituntur. Conceptus autem etiam in verbis immediate praecedentibus enuntiatur.

ad Christum et sepultus in loco predicto ([1]), *tantis mirabilibus ac variis cepit ubique miraculis corruscare, ut brevi in te*[*m*]*pore magnam partem orbis ad novi seculi ammirationem adduceret. Cum*que *iam in diversis partibus nova miraculorum luce inclaresceret et undique qui se ipsius beneficio a suis cladibus* ([2]) *liberati gaudebant, concurrerent, dominus papa Gregorius, cum esset Perusii, cum cardinalibus universis et aliis ecclesiarum prelatis super canonizationem eius cepit habere tractatum* ([3]). *Concordantes igitur pariter idipsum dixerunt omnes. Legunt et approbant miracula que per servum suum dominus fuerat operatus, summisque praeconiis vitam beati patris et conversationem extollunt. Convocantur* proinde ([4]) *ad tantam sollempnitatem principes terre et omnis frequentia prelatorum, cum infinita populi multitudine, constituta die, cum beato papa Asisii civitatem ingreditur* ([5]). *Venientibus* namque ([6]) *ad locum tam sollemni occursui preparatum, predicat primitus populo universo papa Gregorius et affectu mellifluo nuntiat* preconia ([7]) *dei, sanctum quoque patrem Franciscum nobilissimo sermone* [403rb] *collaudat et conversationis eius annuntians puritatem lacrimis madidatur.*

8. — *Igitur sermone finito, protensis ad celum manibus, voce altisona* ibid.
clamavit papa Gregorius ([8]): « *Ad laudem* », *inquit*, « *et gloriam omni-* I Cel. 126
potentis dei, patris et filii et spiritus sancti et gloriose virginis Marie et beatorum apostolorum P[*etri*] *et P*[*auli*] *et ad honorem gloriose ecclesie Romane, beatissimum patrem Franciscum, quem dominus glorificavit in celis, venerantes in terris, de consilio fratrum nostrorum et aliorum prelatorum in cathalogo sanctorum decernimus adnotandum et festum* huius ([9]) *die obitus sui* '*sollenniter*' ([10]) *celebrari* ». — *Ad hanc quoque vocem ceperunt cardinales cum domino papa:* « *Te deum laudamus,* te dominum confitemur ([11]) » *alta voce cantare. Attollitur proinde clamor populorum* cunctorum ([12]) *et* pulsatis '[*campanis*] ([13]) *tu*bisque *clang*entibus' *immensas* ([14]) *resonat terra voces. Repletur iubilationibus aher et tellus la-*

([1]) Haec N variavit; II Cel.: *apud civitatem Assisii tot et tantis.*

([2]) *claudibus* N.

([3]) Iul. 74, 2-3, separatas habes voces: *habito... tractatu.*

([4]) *primum* II Cel. iuxta cod. M; minus appropriate, ut existimamus.

([5]) In II Cel. l. 16-7: *ut - eiusdem* adduntur.

([6]) *autem* M; coniunctio haec adversativa ob mutatum contextum (v. notam 5) in aliam conversa est in N. Tunc statim *cunctis* om. N.

([7]) Sic etiam I Cel. 125, 11; sed *magnalia* M.

([8]) Hucusque textus in II Cel. 220a mutilatus pertingit. — Quae nunc in N sequuntur, non iam cum II Cel. conferre possumus, sed tantum cum I Cel. 126 et Iuliano, 74, qui longe brevior est.

([9]) *eius* I Cel.

([10]) om. I Cel. — His duabus vocibus demptis, canonizationis formula in I Cel. et N perfecte collimant.

([11]) *te dom. conf.* om. I Cel.

([12]) *multorum* I Cel.; hinc aliqua in N praetermittuntur.

([13]) Vocem supplemus e Iuliano, n. 74, 8, quocum etiam duae voces sequentes aliquatenus plus consonant quam cum I Cel. 126; cf. ibid. 116, 10.

([14]) Hic N redit ad I Cel. 126, 10.

crimis madidatur. Emicat ([1]) *illa dies et splendidioribus radiis coloratur. Ibi* [*olivarum*] nitentes ([2]) *rami et reliquarum arborum come recentes; ibi festivus ornatus lucidius incandescens* ([3]) *cunctos exornat et pacis benedictio convenientium* ([4]) *letificat mentes. Descenditque* ([5]) *de solio papa Gregorius* et *tumbam continentem deo dicatum corpus felicibus labiis osculatur. Offert et multiplicat preces celebratque misteria sacra; amplificat* omnis ([6]) *populus laudes dei et sancto* eius ([7]) *persolvit muni*a ([8]) *gratiarum. Facta sunt autem hec* incarnationis dominice *anno* mccxxviii [*xvii die*] ([9]) *kalend*[*arum*] *augusti.*

ibid. **9.** — His ([10]) ita peractis, post duos postmodum annos, patris *sanctissim*i *corpus* de loco in quo prius sepultum fuerat, *ad ecclesiam* extra *muros civitatis* '*in* ipsius *onore*' de novo *constructam* honorifice *translatum est* ([11]). Nam et *generale capitul*um ibidem pro tanta *sollempnitat*e item extitit *celebra*tum ([12]) et *e diversis mundi* ([13]) *partibus fratrum* convenit ibi maxima *multitudo. Porro* ([14]) *popul*orum [403va] undique frequentia illic *confluxi*t, ut *civitate illos capere non valente, campos* undique et vias *circumquaque* replerent. Nam et *dominus* ([15]) *papa Gregorius* cum, *aliis ecclesie negotiis* ipsum *pepedie*ntibus ([16]), *solle*[*m*]*pnitat*i tante interesse nequisset, *sollempnes nuntios sue absentie causa*s referentes *illuc cum suis litteris destinavit.* — '*Mi*sit ([17]) etiam '*beati Fran-*

([1]) Ex I Cel. 126, 14 sqq.

([2]) *virentes* I Cel.: *olivarum* male om. N.

([3]) *incandensores* N, qui verbum in I Cel. non intellexit; unde et statim habet *cunctis*. ([4]) *convenientibus* N.

([5]) *Descendit denique* I Cel.

([6]) *universus* I Cel.; e quo *Stat - terra*, l. 20-2 om. N.

([7]) *Francisco* I Cel.

([8]) *munera* I Cel.; in utroque casu adest cursus velox.

([9]) Per errorem om. N; qui annum pontificatus mutavit in annum communem.

([10]) Quae in hoc n. 9 sequuntur, desunt in *Vita I*, utpote scripta an. 1228.

([11]) Significamus concordantias cum *Legenda* Iuliani, 75-6. Sed demptis vocibus: *muros civit.* et *sanctissimi*, omnes etiam in *Leg. chori*, 14, 8-10, occurrunt, in qua sola adsunt: *in... honore*.

([12]) Cf. Iulianum 75, 1-3; *Leg. chori*, 14, 9s. Deinde e Iul. l. c.

([13]) *mundis* N.

([14]) Haec et sequens vox in solo Iuliano, 76, 5 et 7; sed separatae. N om. vocem *tanta*.

([15]) E Iuliano, 75, 4-8, sed aliquibus omissis et mutatis.

([16]) *Precedentibus* N. — Gregorius IX tunc Romae residens, cum Friderico II per Cardinales ad eum missos pacem inter Imperatorem et Ecclesiam componendam apud S. Germanum in Campania (nunc *Cassino*) tractabat. Cf. Riccardus de S. Germano, *Chronica*, ap. Muratori. RISS VII, 1019-21, ap. MGH SS XIX, 359-60; ed. Gaudenzi, Neapoli 1888, 136-8; K. Hampe, *Acta pacis ad S. Germanum an. 1230 initae*, Berolini 1926, 38ss.

([17]) In tota hac sententia concordia maior est inter N et *Leg. chori*, 17, 9-11, quam inter N et Iulianum, 75. Significamus hic illas concordantias. *Mittit* habet *Leg. chori* (= Ch); om. Iul. qui 75, 13 habet: *basilicae S. Franc.*

cisci basilice' auream crucem (1), *pretiosis lapidibus ornatam, in qua* erat *lignum crucis dominice interclusum; ornamenta quoque 'et vasa ad altaris ministerium pertinentia' necnon et alia sole[m]pnia indumenta non modic*um *pretiosa transmisit'*. — '*Ecclesiam*' (2) vero ipsam, in qua *primarium lapidem fundamenti posuerat, ipse ab omni iurisdictione inferiori auctoritate* apostolica '*exemit*'. Deo gratias. Amen.

10. — Beatus '*igitur*' Franciscus regis (3) in terra signifer '*eo die quo* (4) *sepultus fuit*', hoc primum miraculum fecit. * *Puella* (5) *quedam allata est ad sepulchrum eius, que per annum habens collum monstruose plicatum et capud humero annexum, non nisi ex oblico respicere que[m]quam poterat. Que dum sub archa in qua reconditum erat* (6) *pretiosum* Christi famuli (7) *corpus, capud immitteret, confestim* (8) *collum erexit et ex sua subita mutatione obstupefacta* (9) *cepit flere atque fugere* (10). *Fovea quaedam apparebat in humero* (11) *cui applicatum* (12) *fuerat capud eius, propter situm quem fecerat infirmitas diuturna.* * III Cel. 160

11. — *In comitatu Narniensi puer quidam* (13) *tam enormi contractione tibiam retortam gerebat, quod nisi duorum baculorum suffragio, nullo modo* [*poterat*] (14) *ambulare. Ab infantia* (15) *hac infirmitate detemptus, mendicus effectus, patrem et matrem minime cognoscebat. Qui meritis beati* (16) *Francisci a dicto periculo liberatus, absque baculo* (17) *quo voluit, liber ivit.* III Cel. 161

---

(1) Sic Ch; *crucem aur.* Iul., qui tunc, 75, 10-2, multum variat: « opere quidem gemmario *pretios*am, sed omni auro et gemmis preciosius *lignum crucis dominicae* complectentem, insuper *ornamenta et vasa ad alt. min. pert., necnon et* decentissima *sollemni*bus usibus *indumenta transmisit* ». — Tantum in loco: *et vasa - pert.* N magis cum Iuliano conspirat. — Sed Ch habet: « *Ornamenta quoque ac vasa ad min. alt. pert. necnon et alia sollemnia indumenta pretiosa transmisit* ».

(2) « basilice... que *ab omni iurisd. infer. exem*pta, sua construebatur *auctoritate*, cuius et *ipse primarium lapid. fund. posuerat* .. et alia *non modica* »; sic Iul. 75, 13-5. Sed: « *prim. lap. fund. posuit, ab omni iurisd. infer. ecclesiam eximit* » legit Ch. — Cf. infra, 260.

(3) Suspicamur hic excidisse vocem *Christi*, unde fortassis respectus habitus est ad « *Christi signifer* », ap. III Cel. 149, 2 et 173, 3.

(4) In *Leg. chori*, 14, 1: « *Eo igitur die quo sepultus fuit* »; in I Cel. 127: « *Eo namque die quo sacrum... corpus* reconditum *fuit* ».

(5) Initium pariter et finis huius sententiae in I Cel. 127 variant.

(6) *iacebat* I Cel.

(7) De variante lectione in M cf. infra, 262. (8) *statim* I Cel.

(9) E I Cel.; cum III Cel. habeat: *stupefacta*.

(10) *fugere atque flere* in cod. M, cum cursu veloci et tmesi: dum in N cursus deletus est. I Cel. habet: *fugere ac plorare;* cursus item velox est.

(11) *Christi* hic erronee add. N.

(12) E I Cel.; in III Cel. legitur: *applicitum*.

(13) *erat qui* add. I Cel. 129; tunc *tanta* ibid. pro *tam*. (14) om. N.

(15) Haec et sequentia in I Cel. variant in pluribus.

(16) *beatissimi patris nostri Franc.* I Cel.

(17) Reliqua in I Cel. differunt.

III Cel. 166 **12.** — *Alius quoque puer de Monte Nigro, ante fores* ([1]) *ecclesie ubi requiescit corpus sancti Francisci, per plures dies decubans, quia nec ire poterat nec sedere, a cingulo enim et* ([2]) *infra omnibus erat viribus et membrorum officio destitu-*[403vb]*-tus, quadam* ([3]) *die intrans ecclesiam, ad tactum sepulchri beatissimi patris* ([4]) *Francisci foras sanus et incolumis est egressus. Dicebat autem puerulus* ([5]) *ipse, quod dum coram tumulo gloriosi sancti* ([6]) *iaceret, astitit ei iuvenis quidam,* [*h*]*abitu fratrum indutus, supra sepulchrum existens, qui pira in manibus portans, vocavit eum et prebens ei pirum unum, ut surgeret confortavit. Qui pirum de manibus* ipsius ([7]) *suscipiens, respondebat: « Ecce, contractus sum et nullo modo* ([8]) *surgere possum ». Pirum* ([9]) *vero exibitum manducavit et ad aliud pirum, quod ei ab eodem iuvene offerebatur, cepit extendere* ([10]) *manum. Qui dum iterum eum ut surgeret* [*h*]*ortaretur, infirmitate gravatum se sentiens, non surgebat. Sed dum* [*ad*] ([11]) *pirum manum extenderet, dictus iuvenis, exibito illi piro*, *manum eius apprehendit, et foras* ([12]) *ducens eum, disparuit ab oculis eius. Qui sanum* [*et*] *incolumem se videns, cepit alta voce clamare, quod factum in eo fuerat omnibus manifestans.*

III Cel. 172 **13.** — *In civitate Capue, mulier quaedam sepulchrum beati Francisci personaliter visitare se vovet* ([13]); *que propter curam rei familiaris voti emissi oblita* ([14]), *dexstrum latus* ([15]) *subito perdidit. Capud etiam et brachium, contractis nervis, in aliquam partem volvere* ([16]) *non va*[*le*]*bat. Sicque tota plena doloribus, vicinos suos ululatu continuo fatigabat. Transeuntes igitur duo fratres ante domum illius, rogati a sacerdote quodam, ad miseram intraverunt. Que de obmisso voto confessa* et ([17]) *benedictione* ([18]) *ab illis recepta,* mulier ([19]) *eadem* [*h*]*ora surrexit sana* ([20]), *et per penam* ([21]) *sapientior facta, sine mora quod voverat adimplevit.*

Textum Lectionum IV et V adamussim iuxta scripturam codicis N edidimus, etiam interpungendi signa eiusdem referentes, qua specimen lectionis publicae, tunc in choro apud Fratres Minores usitatae. Breviarium enim Neapolitanum usui liturgico in choro inserviebat, cui etiam *Legenda* ipsa destinata erat. Punctatio in his Lectionibus adhibita lectori in choro et interspirationes et modulationes vocis praesignabat accurate observandas.

---

(1) *foras* N. (2) *enim et* om. I Cel. 133. (3) *vero* add. I Cel.
(4) *beatis. patris* M N; *beati* CG. (5) Sic M N; *parvulus* CG.
(6) *sanctis* N. (7) Sic I Cel.; *eius* M et CG.
(8) *in celo:* sic mire N. (9) *premium* N.
(11) *ostendere* N. (12) om. N.
(12) *forasis* N; sed *is* dein expunxit. Tunc I Cel., M N: *educens*.
(13) *venit* N. (14) *omisso oblata* N. (15) *latum* N. (16) *evolvere* M.
(17) om. M. (18) *benedictionem* N. (19) om. M; tunc *eidem* N.
(20) *sana surrexit* M; et quidem melius, cum sic adsit cursus planus.
(21) *penitentiam* N.

Signa in N haec adhibita sunt: punctum (.) inter sententiarum cola atque in sententiarum finibus, post quos scilicet nova sententia littera maiore expresse signatur. Quae puncta eodem modo (.) scripta sunt in codice. Praeter haec saepe etiam adibita est flexa (⸮) seu mediatio[1]. Commata seu virgulae (,), iuxta usum tunc vigentem, nullibi comparent, neque metron (:) adhibitum est. Sed etiam in usu flexae tam parum amanuensis sibi constabat, ut eam tum post sententiarum cola, tum in securis et certis earum finibus adhiberet. Hinc visum est, contra codicem, flexas in talibus terminis punctis substituere.

Quilibet facile animadvertit interpunctionem istam a nostro legendi modo omnino discrepare, neque eam positam esse iuxta sensum (ut moderni saltem vocabulorum series coniungunt atque ab aliis distinguunt). Sed insuper signa punctationis ne « *cursibus* » quidem respondent, quia crebriora quam hi sint, puncta intermedia posita fuerunt; etsi omnes « *cursus* » tali puncto insigniuntur. « *Cursus* » in codice utique signati non fuerunt [2], sed nos accentibus eosdem distinximus. Fatemur nostram edendi methodum lectoribus modernis parum arridere, attamen semel haec typis exprimere non superfluum sed utile videbatur, licet textuum intelligentiae haec punctatio magis obsit quam prosit. Hanc ob rationem punctationem istam, exempli causa hic adhibitam, post Lectionem V deseruimus, dehinc modernorum interpungendi methodum sequentes. Haec quoque, pro more, in *Legenda Neapolitana* ap. AF t. X, in quo denuo prodibit, adhibebitur.

Caeterum minime edicere volumus, interpunctionem hoc in Breviario Neapolitano contentam, normam propriam et particularem Ordinis Fratrum Minorum saeculo XIII currente exhibere, verum eam tantum qua specimen quoddam proponimus. Interpunctionis leges atque usum, alii rerum istarum nobis peritiores investigent; adhuc enim inquirenda remanent.

Etiam in Particula II *Legendae Neapol.*, n. 7-13, eadem interpungendi methodus observata fuit. Singula eiusdem capitula, uti antea in Lectionibus, litteris initialibus maioribus, lineolis in imum ductis, undulatis et colore vario ornatis exordiuntur.

Utriusque Particulae compositio et dictio numerosa est, ad dictatorum illius aevi regulas redacta, iuxta quas sententiarum cola et earumdem praesertim terminationes vocabulis certos accentuum ordines, « *cursus* » nuncupatos, prae se ferentibus cadunt atque desinunt. « *Cursus* » triplices apte permixti esse apparent.

Sufficit « *cursuum* » seriem accentibus distinctam in Lectione IV et V his recensere. Sequuntur in I sententia hoc ordine; cursus velox

---

(1) In codice N forma mediationis seu flexae stricte loquendo non proprie flexa est (⸮) sed punctum cum supraposita lineola sive versus dexterum legentis ducta seu obliquata (/), sive in altum protensa (!). — Flexa, sed inversa, in codice adest pro signo interrogationis; v. n. 2, l. 8.

(2) De *cursu* cf. AFH XX, 457; supra, 183.

cum tmesi; velox, planus, velox. — In II: planus cum tmesi. — In III: tardus et planus. – In IV (l. 5-6): velox. — In V: planus et velox. — In VI: planus, tardus, tardus, velox, tardus. — In VII: velox ac tardus. — Ultima explicit cursu tardo.

Lectio V. In sententia I: planus, tardus, velox; velox cum tmesi: velox (accentuandum ut posuimus; *i* enim in *cuíque* anceps est). — — In II: planus, tardus. Tunc l. 7 deest cursus ante *Sed*. In I Cel. vero habes *et*, prosequiturque sententia. Cursus absentia explicatur e textu Gen. 48, 14, hic adhibito, etsi in eo ultima vox *eius* desit. — In III: planus. — Punctatione non obstante, sententia III verbis *Super quem* prosequitur; adest tunc planus. — In V et VI: *Super fratrem—ait,* quia colloquium est, cursus, ut assolebat, deest. — In VIII: velox, tardus, velox. — In IX: tardus, velox, planus. — In X: tardus. — In XI: in fine adest tardus. — Uti *cursivi* characteres tibi manifestant, plures cursus ex I Cel. assumpti sunt.

In reliquis Lectionibus VI-IX regulae cursus eodem modo servatae sunt. Quod singillatim hic exponere longum est. — De cursu in n. 4, 12-6 et n. 5, 1-15 = II Cel. 217a iam dictum fuit ap. AFH XX, 443. — In n. 6 iam ideo cursus servatus est, quia *Leg. Neapol.* stricte Celanensi inhaesit. De ultimo cursu veloci in forma contracta verbi studiose intento cf. supra, 248, nota, 3. — Cursum in n. 7 = II Cel. 220a, 2-21, servatum esse, iam notavimus ap. AFH XX, 443-4. — Quoad novam partem paragraphi *Vitae II,* 220a, quae in n. 8 prodiit, idem elucet e forma *Vitae I* hic parum immutata. In fine paenultimae sententiae occurrit cursus velox, etsi forma primi substantivi mutata sit; cf. supra, 250, nota 8. Paragraphus explicit cursu plano, sive cum I Cel. legas *kalendarum augusti,* sive *kalendas augusti.*

In n. 9 compositio pari accuratione facta est numerosa. In medio extremae sententiae *(fund. posuerat)* adest cursus tardus. Sed deest cursus in fine eiusdem, ubi in *Leg. chori,* 17, 3, propter formam praesentis verbi *eximit* item tardus adest. Suspicamur ideo sententiam reapse claudi tantummodo invocatione ibi subdita, quae cursum planum prae se fert, etsi non perfectum. Consecutio temporum huius extremae sententiae praesens verbi hic penitus excludit. Vocabulis transpositis: *auctoritate exémit,* adesset cursus planus. — In quatuor demum Miraculis (n. 10-13) cursus apprime servatus esse apparet, non quidem merito compilatoris *Legendae Neapol.,* sed fontis ex quo hi numeri exscripti sunt.

Considerato duorum foliorum defectu, quo et finis officii Vesperarum et totum I Nocturnum in N periit, putari debet merito, licet aegre, initium *Legendae Neapol.* nos deficere.

Certum enim est, etiam istas lectiones I-III fuisse historicas e *Vita* Sancti celebrandi desumptas. Tales enim sunt omnes lectiones IX pro festo S. Francisci in *Breviario S. Clarae* apud aedem S. Damiani prope Assisium exstante [1]; « *in novem lectionum seriem* » etiam

(1) Eas ed. Th. Domenichelli, ap. AFH I, 61-67. Exhibent partes *Vitae I,* n. 1-4, l. 2; tunc n. 109-114, 2, non vero extracta. De eis sermo alias recurret.

Fr. Thomas Celanensis suam *Legendam ad usum chori* disposuerat [1]; hoc in festis communiter tunc observabatur [2] atque S. Bonaventurae *Legenda minor S. Francisci* per totam octavam novenas lectiones exhibet [3]. Alia festa in N novem lectiones historicas habent; cf. supra, 243s. Lugentibus ergo nobis, quod lectiones I-III desint, solamen praestat, quod neque multum textum hae lectiones comprehenderint, neque (ut ex habitis, non habita iudicemus) novi seu ignoti quid eorum defectus nos celaverit.

Lectio IV, nobis vero paragraphus seu numerus 1 *Legendae Neapolitanae* (seu brevitatis ergo N) incipit primis verbis capitis VII partis II *Vitae I,* sive n. 105. Initium: *In mense—Senas* verbatim litteratimque ex allegato loco assumptum est, id quod *characteres cursivi* te docent; aliae voces sive earum particulae typis erectis expressae in fonte non leguntur. *Legenda Neapol.* res brevius narrat quam Celanensis, eas perstringens, quamvis mox plures voces continuas e textu *Legendae* Fr. Iuliani dictioni et suae et Celanensis immisceat. Singula videsis in adnotationibus, in quibus etiam transpositiones rerum relatarum significantur, neque lubet ibi proposita hic reficere vel refricare. Praetermittitur tunc in *Leg. Neapol.* numerus 106 *Vitae I* de laudibus Portiunculanae aedis, quae medio in n. 2 paucis adumbratur.

Parum contrahitur I Cel. n. 108 in n. 2 et 3. In hoc n. 3, l. 4-6 post ultimum « *Valete* », quod pius sanctusque Pater filiis suis desolatis, post datam eisdem benedictionem, dixit, compilator N etiam ad *Vitam II,* 216, 9-11, aperte respectum habuit; id quod sane non coniunctio « *et* » ostendere posset, sed ultimum membrum in sola *Vita II* prodiens: « *cuius gratiae vos omnes commendo* ». Hinc ista una et semis sententia in solo codice M *Vitae II* [4] exstans, in A vero omissa, authentica probatur, si eam recte consideras in luce aliorum locorum immo integrarum paragraphorum e *Vita II* in *Legenda Neapol.* feliciter servatarum. Neve omittas ea quae alias loci huius auctoritatem ostenderant [5]. Explicite addimus, locum hunc in Iuliani *Legenda,* n. 68, l. 13-5, alterius esse tenoris verborum.

In calce numeri 3 duo nomina propria: « *frater Angelus et frater Leo* » produntur extra tenorem tum *Vitae I,* 109, 14-5, tum *Vitae II,* 217, 11; illic Celanensis scripserat: *vocavit ad se duos Fratres et suos filios speciales, praecipiens eis;* hic autem adhuc vagius:

---

(1) Cf. AF X, 119, n. 1. l. 3.
(2) Cf. Eus. Clop ap. AFH XIX, 775-8; P. Batiffol, *Histoire du bréviaire romain*², Paris 1911, 168ss.
(3) *Legendae duae,* Ad Cl. Aquas 1898, 218ss.
(4) De codicibus *Vitae II* cf. AFH XX, 433s.
(5) Cf. AFH XX, 441-2.

socios suos valde dilectos secum Christum laudare instituens. Totius *Vitae I* contextum legentibus, saltem primis annis, ne dicamus decenniis post an. 1228, vix ullis dubium oriri poterat, Celanensem hic duos e tribus illis insinuasse Fratres, quos n. 102 laudibus extulerat tamquam socios S. Patris praedilectos egregiosque virtutibus. Ubi tamen addiderat sincere, non dolose: « *Eorum ... nunc nomina supprimo, ipsorum verecundiae parcens* ».

Liquet equidem fato tempore nomina Fr. Leonis et Angeli eo facilius a legentibus *Vitam I* suppleta esse, (saltem ab iis quorum aliquid intererat eadem scire), quo adhuc inter vivos degebant. Frater enim Leo anno 1271 defunctus esse communiter traditur (1); Fr. Angelus Reatinus non solum S. Clarae moribundae adstitit (2) († 11 aug. 1253), sed etiam processui canonizationis eiusdem Sanctae interfuit (3) atque anno 1258 obiisse videtur (4). Quae cum ita se habuerint, vana a quopiam proponeretur hypothesis, compilatorem *Legendae Neapol.* haec duo nomina expiscatum esse ex utroque *Speculo Perfectionis* (5) vel e quocumque scripto eis valde affini (6), praeterea nihil ex eisdem assumens. Duo etenim ista nuda nomina nemini persuadent ideo N scripta illa utcumque cognovisse.

Lectio VII, nobis n. 4, exorditur breviculo loco, quem in *Vita II*, 217, 11-3, paululo mutatum, codex A omisit (7), sed M servavit. Attamen hunc locum N non e *Vita II* assumpsit, sed e *Legenda* Iuliani, n. 69, 3-4, quamquam paucissimae adsint differentiae inter Iulianum, I Cel. atque II Cel.

Rem decidit verbum *prorupit,* quod in N et Iuliano legitur: et I et II. Cel. habent: *erupit.* — Per se patet, ex eo quod N hic Iulianum praetulit *Vitae II,* nihil induci posse contra huius breviculi loci in II Cel. genuinitatem. Elucet econtra, quam libere N, inter I et II Cel. atque Iulianum, textus suos pro lubitu selegerit.

In secunda sententia n. 4, 3-6, N Iulianum qui rem istam nimis contraxit, plane deserit, textum suum e *Vita II,* 217, 5-6, assumens; in hac enim sola leguntur verba: *apportari praecipiens.*

Mirandum est, quod N subinde initium Evangelii: « *Ante sex dies pasce* » e *Vita I,* 110, 2, ad litteram transscripserit, non e *Vita II,* neque e Iuliano, 69, 12. Etenim hoc initium, quale in I Cel. indicatur,

(1) Cf. Wadding, ad an. 1271, 8 (IV², 334).
(2) *Leg. S. Clarae,* n. 45, ed. Fr. Pennacchi, 63sq.
(3) Cf. Zeph. Lazzeri, ap. AFH XIII, 442.
(4) Wadding, ad an. 1258, n. 9 (IV², 92).
(5) *Spec. Perf. minus,* c. 10; ed. L. Lemmens, ap. DAF II, 34; *Spec. Perf. maius,* c. 123: ed. P. Sabatier, 241.
(6) *Compilat.* sive *Legenda Perusina,* n. 6; cf. AFH XV, 32: ed. Paris. p. 58.
(7) Cf. AFH XX, 442. Ibi de his siglis et supra, 161ss.

erroneum est, seu saltem confuse refertur, utpote conflatum e verbis Ioh. 13, 1 et 12, 1. Quem errorem sive confusionem et ipse Celanensis in *Vita II* et Fr. Iulianus iam correxerant, recte allegantes: *Ante diem festum pasche,* id est Ioh. 13, 1. Utriusque ergo correctionem N hic neglexit, textui *Vitae I* strictius inhaerendo. Utrum vero correctionem expresse et studio neglexerit ac simpliciter textui antiquiori adhaerere maluerit, decidere nequimus.

Quidquid est, hoc ultimo sententiae colo N locum *Vitae II,* 217, 5-6, authenticum esse aperte profitetur, etsi codex A eumdem omiserit.

In affectuosa quae exinde sequitur sententia, Sancti benedictionem et absolutionem Fratribus tam praesentibus quam absentibus impertitam referens, explicate diiudicari nequit, utrum auctorem, Thomam an Iulianum, N secutus sit. Nam verba quaedam membraque ipse transposuit, pauca omisit, liberius quam Iulianus, qui hic, n. 69, 8-11: *tam—absolvo* stricte Thomae inhaesit. Aestimamus tamen N hic quoque Thomae textum exemplasse, ob voces: *quem diligebat,* a Iuliano omissas.

Felicem S. Francisci transitum N iuxta I Cel. 110 paucis commemorat (l. 9-12). — Deinde autem *Legenda Neapol.* visionem Fratris anonymi non iuxta I Cel. 110, 11-6 (minime iuxta Iul. 70, 1-5) refert, sed secundum *Vitam II,* 217a, 2-5, licet N secundam vocem *autem* e I Cel. mutuatus sit. Sed tunc *Vitae I* textum N statim deserit, *Vitam II* exemplans, nisi quod in voce: « *fama* » denuo respexerit ad I Cel.; nam II Cel. habet: « *famae* ». Huius quidem voces, una dempta: *praetendentem,* quae et in N adest [1], in *Vita I* leguntur, sed hic aliqua adsunt in I Cel. omissa, alia transposita sunt, dum totus tenor verborumque series in N adamussim cum II Cel. collimat. Quare dubium esse nequit, quin hic in N exhibeatur textus ipsius *Vitae II,* cuius authentia, praeter alias rationes [2], mutuo a *Legenda Neapolitana* confirmatur. In codice namque A *Vitae II* hic locus et tota paragraphus 217a omissa a librario fuerunt.

Verumtamen non haec sola pars prior paragraphi 217a *Vitae II* in *Leg. Neapol.* comparet, sed etiam statimque altera pars maior eiusdem de sacris stigmatibus in S. Patre mortuo. Haec quidem altera pars suae authentiae testimonium praeclarum ab ipso Celanensi acceperat, qui eam in *Tractatu de mir.* n. 5 adhibuit [3]. Modo accedit *Legenda Neapol.,* quae in Lectione VIII, l. 2-14, reliquam partem n.i 217a exhibet, cum omnibus vocabulis novis [4] in

(1) In forma erronea; cf. 247, nota 5.
(2) Cf. AFH XX, 442-3.
(3) Cf. ibid. 443; supra, 181.
(4) Excipe duo, l. 10: *morbida* (e Iul.) et l. 13: *teneritudinem* (e I Cel.).

II Cel., relate ad I Cel, cum integro verborum ordine, totoque demum tenore; una voce e Iuliano admixta, tribus e I Cel. insertis. Quae admixtiones, perpensa tota *Legendae Neapol.* indole, nullius movebunt admirationem, sed calamum haud imperitum eiusdem compilatoris, trium *Legendarum* saepefatarum magnopere gnari manifestant.

Post sic exscriptam a se integram par. 217a *Vitae II,* compilator et retractator Neapolitanus, pauca alia adhuc subdit (l. 14-6) de stigmatum veneratione, dein ad I Cel. 116 transit, 'sacras excubias' in nocte inter 3 et 4 octobris apud Portiunculam actas celebratasque commemorans.

In Lectione IX, nobis num. 5, iuxta num. 116-18 *Vitae I,* compendiatos, paucis e Iuliano intersparsis, describuntur sollemnes exsequiae S. Francisci e Portiuncula Assisium in ecclesiolam S. Georgii festive elati.

Lectionibus IV-IX sic absolutis, post officium Sancti, immediate post hymnum ad II Vesperas, N alteram particulam *Legendae* subiunxit, in septem paragraphos distinctam. In hac, num. 7, prosequitur narratio, notam chronologicam diei transitus Sancti proponens, dein miraculorum gloriam, causam canonizationis eiusdem, paucis adumbrans. Sollemnitas canonizationis tunc in num 7 et toto num. 8 describitur; sat quidem diffuse, sed brevius quam in *Vita I.* Huius namque *Vitae I* tota pars III, sive paragraphi 119-26, in his nn. 7 et 8 compendiantur, totaque narratio in ibi relatis innititur.

Porro textus n.[i] 7, paucis exceptis, quae et ipsa valore non carent, plene consonat cum *Vita II,* n. 220a (in codice A deficiente) l. 2-19. — Quae tunc pauca adhuc in M, codice hic mutilato, subsequuntur, statim in *Legenda Neapol.* n. 8 pergunt. Sed insuper, felici sorte, sine ulla intermissione in *Leg. Neapol.* idem textus continuus prosequitur, narrationem de Sancto inter beatos caelites relato continuans et nota chronologica eam absolvens. Hic ergo in N prodiit textus integer paragraphi 220a *Vitae II,* quae in solo codice M exstans, sed in hoc ob folium saltem unum vi evulsum mutilata, hucusque nos partim latuerat.

In hoc n. 7, l. 6, *Legenda Neapol.* verba: « *in loco predicto* » apte et studio immutavit e verbis *Vitae II,* 220a, 5-6: « *apud civitatem Assisii* » (insuper omittens: « *tot et* »). Nam in II Cel. hic solum sepultura S. Francisci, in I Cel. 116-18 prolixe narrata et in *Leg. Neapol.* n. 5-6, iam compendiata, brevissime perstringitur. — In *Leg. Neapol.* 7, 19, insuper omissum est incisum: *ut—eiusdem* (II Cel. 220, 16-7), quod revera superfluum magis quam necessarium aestimari potest. Alia paucissima et minima immutata sunt, quae adnotationes supra, 247-9, te docent.

In paragrapho 8 tunc N ea contraxit quae circa canonizationem in I Cel. 126 fusius descripta et, ut ita dicamus, ad vivum depicta sunt. Neque in par. 8, neque in par. 7 *Legenda* Iuliani adhibita est, quippe quae has res in suo n. 74 contractius retulit.

Sequitur in *Leg. Neapol.* n. 9 brevis relatio de translatione S. Francisci in novam basilicam, quae evenit 25 maii 1230. Quoniam ista in *Vita I* iam an. 1228 exarata necessario defecerant, Celanensis ea paucis memoravit in sua brevi *Legenda chori,* n. 13, l. 8-10 et n. 17, 7-15; pluribus vero haec retulit Fr. Iulianus Spirensis in sua *Legenda,* n. 75-6, id est in ultimis eiusdem paragraphis. — Textus qualis in N praebetur, maximam partem in *Legenda* Iuliani nititur; sed compilator aliquoties etiam respectum habebat ad *Legendam chori,* praesertim ad n. 17, l. 10-2 (1).

Huius paragraphi auctor, seu partim rectius: compilator, duos ergo textus Iuliani et Celanensis compegit et retractavit, neque in paucis, quemadmodum voces plurimae in editione erectis typis expressae te edocent. Hic, ut etiam alibi, N scribendi ac numerose componendi peritus esse apparet.

Quaeri ergo potest, utrum auctor iste idem sit, qui alias *Vitam I* perito calamo breviando retractaverit, scilicet ipse N, an vero Fr. Thomas Celanensis. Aliis verbis: verumne diceret an falsum, edisserens hanc quoque paragraphum ab N e *Vita II* assumptam esse, cuius paragraphum 220b seu 220a continuatam efformasset, (ut ita scilicet dicamus, nam nemo ignorat paragraphorum numeros a modernis editoribus in textum apte et maioris commodi causa invectos esse).

Visa peritia scribendi compilatoris N, excludi nequit, ipsum hanc par. 9 concinnasse. Obstat aliquatenus, quod N alibi non certo *Legendam chori* adhibuisse apparuerit, sive quod eam ignoraverit, sive quod eam consulto neglexerit. Etenim haec non opus revera officiale Fr. Thomae fuit, quia hanc non mandante Ministro generali scripsit, sed tantummodo rogatu cuiusdam Fr. Benedicti (2), neque memoriae proditum est, eamdem ab ullo Ministro generali approbatam esse.

Legenda Neapol. in paucis verbis cum *Leg. chori* consonat, nempe in n. 5, quatenus iste est II Cel. n. 217a; deinde in num. 7 qui revera est II Cel. n. 220a in codice M servatus. Tunc in n. 9 concordia maior quam alibi intercedit inter *Leg Neapol.* et *Leg. chori.* Si ergo usum *Legendae chori* in *Legenda Neapol.* recte et consequenter consi-

(1) Cf. supra, 250, in notis ad num. 9 et inferius in hac pag.
(2) Cf. AF X, p. XIII et 129; ab aliquibus idem reputatur cum Fr. Benedicto de Aretio, Ministro Romaniae.

deraveris, etiam usus iste in n. 9 observatus confirmat huius textus auctorem revera Fr. Thomam Celanensem esse. — De n. 9 statim plura dicentur; de loco perbrevi in n. 10 v. infra, 262.

Altera ex parte scimus Celanensem in suam *Vitam II,* 44a, paucis mutatis, assumpsisse n.m 31 *Legendae* Fr. Iuliani (1), scimus etiam Thomam fatum Iuliani opus adhibuisse in pluribus paragraphis sui *Tractatus de mir.* (2). Idem igitur agendi modus a Fr. Thoma erga *Legendam* Iuliani alibi adhibitus etiam in nova parte numeri 220a *Vitae II,* id est in *Leg. Neapol.* n. 9, modo comparuit; unde talium locorum authentia vicissim quadammodo firmatur.

Quoniam translatio S. Francisci in *Vita I* defuit, eo minus mirum esse potest, quod Celanensis hic quoque textum Iuliani adhibuerit, insimul cum textu suimetipsius *Legendae chori.*

Porro hic in *Leg. Neapol.* 9, novi nil utri *Legendae* additur. Econtra in *Leg. Neapol.* omittitur dictum in *Leg. chori,* 17, 10-3, de: *indulgentiis et remissionibus plurimis,* quas Gregorius IX novae basilicae largitus est, scilicet vi bullae *Mirificans,* datae 16 maii 1230 (3). Sed ista iam Fr. Iulianus omiserat et maiores harum indulgentiarum, nempe trium annorum pro peregrinis de ultra mare venientibus et duorum annorum pro Alpes transituris, vigebant tantummodo a 25 maii usque ad 8 sept. 1230. Dehinc nonnisi unius anni indulgentia illuc pie peregrinantes lucrari poterant atque 40 dies ad constructionem basilicae stipem conferentes. — Novum dici nequit « *maxima* » Fratrum multitudo (n. 9, l. 8) ad translationem Sancti confluens, neque quod hae turbae campos « *undique et vias* » replebant; licet multitudo ista in *Leg. Neapol.* forte expressius enuntietur; a Iuliano, 75, 1-2 dicta erat: « *non modica* ».

Ultima tria verba in n. 9: « *Deo gratias. Amen* », aliqualem certo relationem habent cum iis, quae in initio n.i 220a in II Cel. leguntur: « *In nomine Domini. Iesu Amen* ». Hac invocatione ultimum caput historicum *Vitae II* apte incipit, quod segmentum speciale efformat, quemadmodum caput unicum de canonizatione, quod totum « *opusculum tertium* » *Vitae I* constituit (n. 119-26).

Crebras eiusmodi formulas qua clausulas finales Fr. Thomas Celanensis adhibebat; v. gr. in *Vita I,* in fine Prologi, n. 2; n. 87, 115, 118, 150, 151; in *Leg. chori,* n. 17; in *Vita II,* 2, 224; *Tract. de mir.* 198. Tria illa vocabula ipsa leguntur in *Vita I,* 118, 5. — Post ea verba: *Deo gratias. Amen,* in II Cel. incipit Epilogus, 221, 1: « *Ecce, beate pater* » etc.

Hinc tria illa vocabula aptissimo et consentaneo fine ea concludunt, quae in hac speciali sectione sive capite comprehenduntur atque parili formula inaugurantur parique stilo exponuntur.

(1) Cf. AFH XX, 438-40. (2) Supra, 181-2.
(3) BF I, 64-5; cf. ap. AF X, 126, nota 2 et 7.

Ex sic delibatis non sine iure inducimus textum *Vitae II*, n.i 220a, reapse usque in finem huius paragraphi 9 *Legendae Neapolitanae* pertingere. Cuius illationis documentum explicitum in ipso codice M *Vitae II*, quamvis mutilo, exhibetur, nam in codice hoc caput revera inscriptum est: « *De canonizatione et translatione S. Francisci* », i. e. textus nunc in M, eheu, mutilatus, revera talis prosequebatur qualis in codice Neapolitano comparet, videlicet usque in finem numeri 9 huius.

Inferimus ergo iure ac merito in hac *Legenda Neapolitana* conservatam nobis fuisse hanc partem seu particulam *Vitae II* hucusque deficientem atque ita codicem M *Vitae II* hic e codice Neapolitano integrari. Hoc ergo in connexu considerandi et aestimandi quoque sunt loci alii, scil. 217a, 216, 9-12 atque 217, 11-3, qui etsi in codice A deficiunt, iam et ipsi, novis e rationibus authentici *Vitae II* loci sunt taxandi aestimandique.

Attamen, quoniam ut supra expandimus, in *Legenda Neapol.* aliqua vocabula *Vitae II*, 217a et 220a, mutata sunt, quoniam insuper *Leg. Neapolitana* prima vocabula n.i 220a omisit itemque unius sententiae colon (licet in se superfluum), non audemus censere, in textu novo n.i 220a, nunc e codice N prodeunte, ab eo loco quo mutilatio in codice M intercessit, tenorem omnino genuinum universorum verborum Fr. Thomae Celanensis nobis exhiberi. Ast dubium hoc nonnisi minutias paucorum vocabulorum afficit; res ipsae narratae, in *Vita II* innixae, nulli subiacere possunt suspicioni dubiove.

Subdimus consentaneum fuisse, quod Fr. Thomas Celanensis occasionem *Vitae II* scribendae nactus, etiam translationem S. Francisci huic subderet, (quoniam sane in *Vita I*, uno anno et dimidio fere ante 25 maii 1230 absoluta, eam commemorare non potuerat), atque quod hac occasione fusius quam olim in brevicula sua *Legenda chori* hanc sollemnitatem referret.

Etiam animadvertas, rogo, in folio e codice M *Vitae II* avulso, supra editam partem reliquam paragraphi 220a absque ulla difficultate scriptam fuisse, praesertim si *Epilogi* (n. 221-24) caeterum non longi partem amanuensis codicis omisit. Qua in re morem secutus esset suum, quoniam etiam Prologi solam partem parvam exemplaverat (scil. n. 2, 1-9) et alias alia plura praetermiserat (1).

Iam quatuor reliquas *Legendae Neapolitanae* paragraphos, 10-13, adeamus, quae etsi momento non carent, minoris certo

(1) Cf. exposita ap. AFH XX, 435ss.

utilitatis sunt. In eis narrantur quatuor *Miracula* post S. Patris beatum obitum perpetrata.

Duo priora, n. 10 et 11, etiam in *Vita I* in primo et secundo loco Miraculorum narrantur, videlicet in n. 127 et 128. Tertium miraculum, n. 12, in *Vita I* septimo in loco positum est, n. 133; quartum denique, n. 13, in *Vita I* nullibi legitur sed in solo *Tractatu de miraculis*, n. 172.

Iamvero miraculum I et II item in *Tractatu de mir.* (= III Cel.) eodem in ordine, n. 160 et 161, recurrunt; III item mox infra ibidem n. 166; quartum item paulo inferius legitur, n. 172 (1).

Si vero collationem textus n. 10 cum I Cel. 127, institueris, id quod cuilibet primum in mentem veniet, quoniam compilator N certius textum *Vitae I* penes se habuit, mox animadvertes in *Legenda Neapol.* nequaquam *Vitam I* exscribi, sed textum *Tractatus de mir.*, n. 160. Haec singulatim adnotationes huic paragrapho suppositae tibi, si easdem adeas, manifestant.

Hic expresse adnotare sufficit, N adiunctum illud, miraculum hoc accidisse eodem die quo Sancti corpus elatum est, non sumpsisse e III Cel. 160, quia hic tacetur, sed vel e I Cel. 127 vel forsan, si ipsa verba consideres, e *Leg. chori*, 14, 1. Huius enim sex verba (2) cum N consonant, licet unum eorum: « *igitur* » extra suum contextum in N ponatur; in I Cel. quatuor tantum horum verborum plene consonant. In *Leg. chori*, 14, 1-2, miraculum ipsum una sententia brevi expeditur. — In I Cel. 127, Fr. Thomas accuratius et prolixius scripserat: *sacrum et sanctum corpus beatissimi patris Francisci reconditum fuit.* Quae alius, an. 1253 peregre scribens ac brevitati studens, facillime verbo communissimo « *sepultus* » substituere poterat. Unde fatam concordiam et ex ea mutuam sed levem dependentiam, quia haec sola adest inter *Leg. chori* et partes revera proprias *Legendae Neapol.* urgere non licet (3); eo vel minus, quia ipsa *Legenda Neapol.* n. 7, l. 5, iam scripserat: *sepultus*.

Addendum est in N n. 10 adeo aperte *Tractatum* adhiberi, non *Vitam I*, ut ex N locus *Tractatui* proprius in cod. M corruptus, corrigi posse videatur. In III Cel. 160, 3: *erat pretiosum sancti corpus* legitur in CG, cuius aliqui codices habent: *erat pretiosi sancti corpus*. Lectio prior cum I Cel. 127, 13-4: *pretiosum sancti ... iacebat corpus*, consonat. Sed M legit: *erat pretiosi famuli corpus*, id quod explicatur variante in *Leg. Neapol.: erat pretiosum Christi famuli corpus.* — Attamen valorem lectionis, licet ex ea nova diversitas inter I Cel. et III Cel. invehatur, extollere nolimus, quia in suis nn. 10-13 amanuensis *Legendae Neapol.* nonnihil

(1) Expresse adnotamus nullum horum Miraculorum in *Legenda maiore* S. Bonaventura contineri et eo vel minus in *Legenda* Iuliani.

(2) Cf. supra, 251, nota 4. (3) Cf. supra, 259s.

segnior quam antea apparuit. Praeterea in eodem suo n. 10, 8, ipsum nomen *Christi* male omnino adhibuit; unde suspicio correctionis ab ipso huc invectae oritur.

Variationes inter I Cel. 128 et III Cel. 161, maiores sunt et in *Leg. Neapol.* 11, apertius conservatae sunt, quam ut dubitari queat in ea textum *Tractatus* exhiberi, non autem *Vitae I.*

Ex adverso, quo numerus 12 seu III Cel. 166 (vel I Cel. 133) praecedente prolixior est, eo fidelius Celanensis textui suo primo hic inhaesit, quem in paucissimis et minutissimis in *Tractatu* variavit. Sed haec variata in *Leg. Neapol.* omnia deprehenduntur.

Haec tamen, una voce (l. 10): « *ipsius* », ab M et CG: « *eius* » discordans, lectionem I Cel. 133, 8 refert. Nescio autem, utrum ob hoc solum pronomen censere debeamus, N respectum ullum hic habuisse ad I Cel. — In l. 3: « *enim* » et l. 6: « *puerulus* » lectiones M confirmantur ab N contra CG, in minutiis utique. — Caeterum nota, quod in I Cel., III Cel. et N idem dicitur: *puer* (l. 1), tunc *puerulus* (l. 6) atque *iuvenis* (l. 15). — Cf. supra, 49, nota 4.

Quartum demum miraculum, num. 13, in solo *Tractatu*, n. 172 legitur, et in solo codice M comparuerat hucusque. Textus in N et M omnino idem est; cui N duas voces « *et* » ac « *mulier* » inseruit, plane inutiles. Caeterum plura habet menda, quae levia putari non possunt.

Quoniam haec quatuor miracula textum *Tractatus* prae se ferunt, liquet *Legendam Neapolitanam* post an. 1253 compositam seu compilatam fuisse. Neque huius *Legendae* utramque particulam separatim aestimare licet, sed integram *Legendam*, quia idem textus in particula, altera et quoad res et quoad verborum tenorem prosequitur. Compilatorem diu post dictum annum 1253 reponere vetant formae litterarum horum foliorum codicis, gothico erecto exemplatorum a Fratre Minore quodam, Italo, ut videtur. Hoc magis prohibet tota indoles huius *Legendae*, quam vix quidam Frater Minor mox post annum 1260, nedum post annum 1266, ad usum liturgicum chori Fratrum Minorum compilasset, post scilicet hoc anno proscriptas a Capitulo generali Legendas antiquiores, saltem liturgicas, sed longe probabilius Legendas priores universas [1]. Nolimus multum urgere locum de Clarissis in S. Damiano, n. 6, l. 7: *communicare solent;* quia 1°) locus iste e I Cel. 116 exscriptus est; 2°) quia peregre haec repetens ignorare poterat Clarissas an. 1260 ad ecclesiam S. Gregori translatas esse [2]. Nihilominus etiam iste locus sententiam nostram hanc *Leg. Neapolitanam* an. 1353-1260 compilatam esse aliquatenus confirmat [3].

---

(1) Cf. supra, 177. (2) Cf. AFH I, 420.
(3) Congruunt etiam dicta de *Legenda* S. Clarae, supra, 243.

Quidquid fuit, extra saeculum XIII *Legendam Neapol.* in saeculum XIV referre ipse codex vetat, caeterum exemplatus fortasse ex altero paululum antiquiore. — Notes officia Sanctorum Ordinis in finé breviarii addita fuisse, ast non haec sola, sed etiam officia Sanctorum multo antiquiorum; v. 244. — Altera ex parte effectum et successum decreti anni 1266 exaggerare non licet, quia etiam *Legenda chori* Celanensis adhuc in breviariis Ordinis saec. XIV exemplatis comparet (v. AF X, p. XV), quamvis praeceptum fuerit *Legendam minorem « in Breviariis portatilibus et etiam choralibus »* poni; cf. rubricas in MSS. huius *Leg. minoris* Assisiensi, *347;* Vatican. lat. *7570,* ap. S. Bonav. *Opera,* VIII, p. LXXXVII et XCII; Ehrle, ap. ALKG I, 487s. Codex autem N choralis fuit.

Compilator *Legendae Neapolitanae* extremum vitae tempus S. Francisci narrare voluit, eiusdem transitum, exsequias, canonizationem atque translationem. — Utrum tres lectiones priores brevissime vitam Sancti anteactam comprehenderint, incipientes v. gr. ab ultimo biennio, prout ipsa pars secunda *Vitae I,* n. 88, an totius vitae decursum usque ad *« mensem VI ante obitum »* strictissime adumbraverint, an demum, aliquibus de Sancti ortu et iuventute dictis, protinus ad praefatum *« mensem VI »* transierint, ne coniecturis quidem assequi valemus. In textu nobis servato compilator manifesto studebat *Vitam I* Celanensis sequi, sed breviando, interdum oculos ad *Legendam* Fr. Iuliani vertens. Paucarum, quae tunc exstabant, Legendarum S. Francisci gnarus compilator non ignorabat in fine *Vitae II* plura exstare, in quibus utriusque *Vitae I* et *II* auctor Fr. Thomas aliquas partes *Vitae I* in compendium iam redegerat, in quibus etiam alias particulas minores aliter, mutata paululum dictione, retulerat. Ad has particulas ideo compilator respectum habuit, illas autem partes, ita proprium suimet novumque laborem qua inutilem devitans, in suam compilationem assumpsit, paucula verba variando. Dein etiam, speciminis causa, quatuor subiunxit miracula, quae e *Tractatu* Fr. Thomae qũa fonte hausit et transscripsit.

Primum ex his miraculis accidit Assisii puellulae anonymae sive Assisinati sive e vicino oppido Umbriae. Secundum puerum e comitatu Narniensi afficit, tertium puerum de Monte Nigro, oppidulo Umbro. Quartum Capuae accidit mulieri voti sui Assisium peregrinandi oblitae. — Dubitamus profecto, quin ex hoc quarto miraculo aliquid erui queat circa patriam compilatoris *Legendae Neapolitanae,* servata in codice nunc Bibliothecae Neapolitanae, e quodam conventu Ordinis Minorum Fratrum nobis incognito, probabilius autem regni olim Neapolitani, proveniente.

Etenim compilator iste, si Capuanus fuit, miraculum alterum proculdubio insignius in III Cel. 44, reperire potuit, de puero Capuae

in Vulturnum lapso, sub sabulo sepulto, tandem effosso atque in vitam revocato. — Si compilator Neapolitanus fuit et si in urbe ista haec scripsit, aliud miraculum ibidem actum, de Fr. Roberto sanato, III Cel. 116, legere et seligere potuit. — Si porro regni Neapolitani subditus fuit, complura in isto miracula perpetrata sibi in *Tractatu* ad manus erant (1), pro illis tribus ex Umbria narratis. — Nescimus vero, an haec *Legenda Neapol.* primum pro codice isto scripta fuerit, aut ex alio proveniat archetypo, (una cum corpore totius Breviarii); ignoramus quoque, an non in aliis codicibus olim exstiterit modoque adhuc exstet. Quo in nexu, non est praetereundum *Legendam* cum officio S. Francisci post corpus Breviarii, sed una cum aliis pluribus Legendis et officiis Sanctorum tum saeculi XIII tum antiquiorum additam fuisse in hoc codice Neapolitano.

Vix deerit quin miretur de parte quam Fr. Helias in hac *Legenda Neapol.* n. 1-4, agit, cum eiusdem compilator *Vitam II* et III Cel. ad manus habuerit. Revera hac in quaestione *Tractatus* eliminandus est, quia in quatuor miraculis ex hoc assumptis Helias nullibi in causa est. Porro in *Vita II,* quatenus haec in *Leg. Neapol.* comparet, in solo n. 216 Heliae, sed tacito nomine, mentio fit et tacita benedictione speciali illi data, ad quam, non sine attenuatione, quadam in fine n. 216, 14-6, alluditur. Quoniam compilator *Legendae Neapol.* verba quibus S. Franciscus ultimo Fratribus valedixit, ex hoc num. 216 *Vitae II* transscripsit, omissionem illam et glossam ignorare non poterat. Vix quoque idem supponi potest alias eiusmodi omissiones in II et III Cel. (2) occurrentes non cognovisse. At altera ex parte Celanensis in neutro opere posteriore explicite vel implicite a se dicta olim in *Vita I* de Fr. Helia revocavit. Quam ob rem compilator noster, non sine iure, consulto ea de Fr. Helia repetivit quae Celanensis primitus de eodem in *Vita I* scripserat. — Compilator rationes, quae postmodum Fr. Thomam movissent, vix ignorabat; sed easdem non approbare poterat, quin ullo verbo se easdem respuere insinuaret.

Bona quoque ratione ad ita agendum impellebatur. Compilator namque post *Tractatum de mir.,* qui anno 1252 revoluto vel 1253 currente absolutus est (3), opusculum suum compegit: certe ergo post mortem Fr. Heliae, qui 22 aprilis 1253, poenitens et rite absolutus obierat (4). Qua morte, poenitentia atque absolutione Fr. Helias denuo

(1) Cf. supra, 31. Quibus adde visionem Fr. Augustini, Ministri Terrae Laboris, relatam in II Cel. 218.

(2) Cf. supra, 34; ap. AFH XX, 436. Hic de II Cel. 156, 19-22, ubi etiam ad benedictionem specialem Fr. Heliae datam alluditur; in II Cel. 138, Heliae nomen studiose siletur. (3) Supra, 49-50.

(4) Cf. documentum ap. Lempp, *Fr. Elie,* Paris 1901, 179ss.

communioni Ecclesiae redditus atque restitutus erat. De satisfactione alii aliter censere poterant, sed compilatori *Legendae Neapol.* plane licebat partem favorabilem tenere etiam in opusculo suo privato, quamvis usui liturgico destinato. Contenta in *Leg. Neapol.* de Fr. Helia, utpote e *Vita I* assumpta, ut veridica fuerant anno 1228, ita etiam circa an. 1255-60 vera esse minime desierant.

Immo fatendum est, compilatorem istum aliqua in benedictionem specialem Fr. Eliae impertitam ex industria inseruisse, n. 2, l. 11-2: « *qui humeris propriis-supportasti* » [1]. Ast haec sententia relativa revera nil novi continet, nam solummodo pluribus ea edicit quae etiam in n. 1: « *Recordetur Deus operis et laboris tui* » ex I Cel. 108, 13, brevius enuntiantur. Hinc incertum est, an non liceat in his additis mucronem quemdam in Celanensem suspicari et deprehendere, qui olim eadem, etsi brevius, magis innuerat quam dixerat. — Verum ne quis coniecturet, compilatorem fuisse cultorem iuratum et admiratorem absolutum Fr. Heliae, animadvertimus eum in suo n. 5, 9-10, fidelissime repetivisse quae Fr. Thomas in *Vita I,* 113, 3, de stigmatibus Sancti scripserat, *Epistolam encyclicam* Fr. Heliae nonnihil corrigens [2].

Ne quis denique autemet neve coniecturet, iis quae exposuimus ultro neglectis, in *Legenda Neapol.* non *Legendas* Fr. Thomae retractatas et exscriptas esse, sed econtra eam fontem fuisse, e quo Celanensis suos textus hausisset, pauca alia supra dictis subnectemus.

Nemo profecto eo usque progredietur, ut opinaturus sit in *Legenda Neapol* n. 1-4, 5 partim, 6, 7, atque 8, non compendium *Vitae I* reperiri, sed econtra ex his *Legendae Neapol.* numeris *Vitam I* ampliatam fuisse.

Hoc in opinamento *Legenda Neapol.* ante *Vitam I* quae anni 1228 altera parte decurrente [3], Gregorio IX iubente, scripta est, exarata fuisset vel saltem insimul cum *Vita I,* in quam Celanensis eam statim transfudisset. Sic *Legenda Neapol.* omnium *Legendarum* S. Francisci omnino prima fuisset.

---

[1] Non putamus in his utcumque alludi ad *Epistolam encyclicam* a Fr. Helia post Sancti transitum ad universos Fratres scriptam; v. gr. ad locum: « *meum singulare periculum ... multis occupationibus circumdatum ...* »; cf. *Epistolam* hanc ap. Wadding, ad an. 1226, n. 45 (II², 149-50); ap. Boehmer, *Analecten z. Gesch. des Franciscus v. Assisi,* Tübingen u. Leipzig 1904, 90-2. — Cf. etiam I Cel. 98, 16-7: « *Fr. Helias... quem loco matris elegerat sibi et aliorum fratrum fecerat patrem* ».

[2] Cf. AF X, 88 nota 10, relate ad 87, nota 14.

[3] Cf. AF X, 103, 115 nota 10. — *Legenda* Iohannis, Notarii apostolici, incipiens: *Quasi stella,* a Bernardo de Bessa, ap. AF III, 666, memorata nondum inventa est. Neque scimus quo anno scripta fuerit, nisi quod hoc acciderit post 25 maii 1230, quia translatio S. Francisci in ea memoratur. Cf. *Legendam* brevem ex ea extractam, editam ap. AFH I, 259-67.

Ast haec suppositio, ideoque probe ac valide probanda, non solum hypothesis omnino gratuita est, sed ab ipsa *Legenda Neap.* protinus diluitur. Haec enim in suo n. 9 etiam translationem S. Francisci, die 25 maii 1230 peractam, narrat, in *Vita I* econtra deficientem. Nulla autem suppetit ratio numerum 9 a praecedentibus separandi, quoniam eodum prorsus stilo res actae in hoc narrantur et prosequuntur atque in fine huius n. 9 invocatione finali opportune concluduntur.

Neque licet numerum 7, post IX lectiones completas alteram particulam *Legendae Neapol.* inchoantem, a praecedentibus separare. Quia tantummodo in huius n.i 7 initio dies emortualis S. Francisci enuntiatur, qua enuntiatione, ad praecedentem n. 6 sive Lectionem IX proprius quam ad sequentia pertinente, particula II apte et patenter cum particula I consuitur. — Praeterea quo brevior sic fuisset gratis supposita ista *Legenda* primitiva, eo improbabilius Celanensis ex eadem pro sua *Vita I* aliqua mutuatus est.

Neve, sine probationibus, conicias Celanensem postea pro sua *Vita II* componenda recursum habuisse ad hanc *Leg. Neapol.* fragmentariam valde ex ipsa sua indole et aperte in *Vita I* innixam, ex ea in II Cel. assumendo nm. 217a et 220a, aliaque minora in n. 216 e 217. Enimvero constat *Legendam Neapol.* alibi compilationem esse; constat etiam *Vitae II* n.m 217a secure authenticum textum Celanensis esse, quippe qui ab ipso Celanensi in suo *Tractatu,* n. 5, certo adhibitus et retractatus est. Hinc manifestum fit, non Fr. Thomam hanc paragraphum e *Leg. Neapol.* assumpsisse, sed econtra compilatorem *Legendae Neapol.* eamdem e *Vita II* assumpsisse. Hoc factum ex parte sua hypothesim suprafatam denuo (si opus esset) funditus everteret. Sed ex hoc eodem facto item consequitur, etiam *Vitae II* n.m 220, qualis in cod. M mutilatus exstat ac nunc in *Leg. Neapol.* n. 7-9 integer prodiit, foetum genuinum Celanensis esse, minime vero fontem, e quo eum Fr. Thomas hausisset. Idem porro consequitur pro duabus particulis *Vitae II,* 216, 9-12 atque 217, 5-7.

Ob rationes praevias iam superfluum est addere, quod in illa iam iterum iterumque frustrata hypothesi, Celanensis pro sua *Vita I* ampliasset *Legendam Neap.,* in *Vita II* eam verbotenus ferme econtra exscripsisset.

Idem Celanensis, quoad n. 10-13, hos anno 1228 in paucis variasset, sed anno 1252-53 ad verbum fere exscripsisset. Praeterea an. 1250-53 etiam n.m 13 ex ea excerpsisset, nescio cur an. 1228 a se neglectum. Sed an. 1228 Celanensis miracula ea scripsit, quae in canonizatione 16 iulii 1228 « *perlecta sunt et populo nuntiata* » (1). Inter haec profecto non fuit n. 13 *Legendae Neapol.* seu III Cel. 172; hoc miraculum postmodum advenit, quod Celanensis una cum aliis pluribus in regno Neapolitano perpetratis postea didicit, quod neque in *Legenda chori* memoravit.

(1) I Cel. 127, 6-7.

Neve obtrudas, Fr. Thomam in III Cel. suam *Vitam I* exscripsisse, unde tunc etiam n. 10-13 ex hac *Leg. Neapol.* exscribere potuisset, sicuti in *Vita II*, n. 44a, et in parte nova n[i]. 220a Iulianum exscripsit (1). Re sane vera nullibi in III Cel. Fr. Thomas Iulianum exscripsit, sed, omnibus libratis, pauca tantum verba e Iuliano excerpsit (2). In II Cel. 44a quidem Iulianum exscripsit, sed in aliquibus saltem variavit; in Cel. 220a autem plurima mutavit. Cuiusmodi variationes in n. 10-13 non adsunt, nisi mendas apertas codicis Neapolitani pro variationibus quis venditare velit.

Quae universae difficultates partim gravissimae atque contradictiones stridentes evanescunt, si *Legendae Neapol.* relationes cum textibus certis et authenticis recta in luce, ut supra, considerantur.

Compilator *Legendae Neapolitanae,* qualis nobis nunc ad manus est, ultima tempora vitae S. Francisci, felicem ipsius transitum atque glorificationem Sancti narrat, *Vitam I* compendians, ea quae e *Vita I* iam in *Vita II* breviata erant fideliter exscribens, demum quatuor miracula e III Cel. assumens. *Neapolitanae Legendae,* quae fragmentaria est, qualis in codice praeiacet, (atque talis ex tota suamet indole ab initio erat), momentum praecipuum in eo consistit, quod nobis paragraphum 220a *Vitae II* integram exhibeat (3).

P. MICHAEL BIHL, O. F. M.

(1) Cf. AFH XX, 438-40. (2) Supra, 181-2.
(3) Alia minora recensentur supra, 240-1.



DE EPISTOLA QUADAM INEDITA

S. IOANNIS A CAPISTRANO

CIRCA COMMUNIONEM PASCHALEM (1445)

Sancti Ioannis Capistranensis Epistola, de qua sermo est, potius Tractatus iuridico-moralis diceretur. Agebatur enim de defensione Fr. Antonii de Bitunto, inter Observantes et in tota Italia tunc concionatoris disertissimi, a Dominicanis Liciensibus de haeresi diffamati, quia praedicaverat quod Christifideles « communicantes in hebdomada sancta, si non communicant in die Paschae Resurrectionis Dominicae, non peccant mortaliter ».

Sed « hoc idem (Capistranensis ait) pluries ego praedicavi » praesertim Bononiae, dum Papa cum sua Curia ibidem moraretur, dumque « quidam frater Ordinis Praedicatorum contra me in tali passu » praedicavit. Capistranensis vero approbationem Bononiae reportaverat tum praesentium Cardinalium, tum Magistrorum Universitatis, nec non commendationem Summi Pontificis « vivae vocis oraculo » datam. Thesim hanc denuo hic reassumit, et sicut moris est istius egregii iurisperiti, magna cum doctrina explanat. Immo sententiam suam et Fr. Antonii Bituntini nunc valde ampliat, nam concludit, non solum sufficere in hebdomada sancta et infra octavam Paschae communicare, sed quod « ex praecedentibus equidem assistentibus et sequentibus innotescit mens Innocentii, quod sufficere sentiebat semel in anno communicandum »: mens scilicet Innocentii III, auctoris Canonis notissimi Concilii II Lateranensis de Communione paschali, anno 1215 lati.

Haec et alia omnia a se scripta vel dicta Sanctus noster submittit « determinationi, emendationi et correctioni » sanctae Romanae Ecclesiae, sed interim cum Pontifice agebat, ut solutionem authenticam huiusmodi quaestionis ferret, quae fuit plenissima approbatio franciscanae, ut ita dicam, sententiae, nam Eugenius IV iam a duobus mensibus declaraverat Episcopo Liciensi, ut videbimus, (et sanctum Capistranensem fugerat), communionem Paschatis posse anteferri vel differri per breve tempus, sed anno sequenti 1446 denuo declaravit in Bulla eidem Sancto Ioanni Romae data, « Dicimus expresse non esse intentionem legislatoris (Innocentii III) animas illaqueare fidelium.

culpa mortali ad communicandum praecise in die Dominicae Resurrectionis, sed terminum statuisse a Pascha ad Pascham ». In hac Pontificis declaratione mitior sententia Fr. Antonii Bituntini omnino comprehendebatur, verum Pontifex explicite adhuc declarat: « Intelligimus itaque optimo iure satisfactum esse Canoni, si in hebdomada sancta vel infra octavam Paschae Resurrectionis Dominicae... fideles... sanctum Eucharistiae pignus accipiunt... et huiusmodi sententiae omnes volumus adquiescere »(1).

Capistranensis sententiam, quamvis a Pontifice solemniter approbatam, notum est non habuisse, saltem in tota sua extensione, in disciplina Ecclesiae posteriore favorem; verumtamen, ad historicam Canonis Innocentiani illustrationem, Epistolam nostram non parum conferre credimus. Quae Epistola, non solum inedita, verum etiam omnino incognita hucusque remansit, quia nec inter Codices Capistranenses nec alibi inveniri videtur, cum et illustratores Operum Capistranensis recentissimi et accuratissimi eam non indicent (2). Codex immo noster, postea describendus, alia forsan scripta Capistranensis, cognita vel non, continet, quae peritioribus relinquimus investiganda, nunc solum ea innuentes.

(1) Bullam integram Eugenii IV nos postea secundum meliorem textum codicis *S 573* Bibliothecae Aquilanae: *Chronica Ord. Minorum* Fr. Alexandri de Ricciis (de quo v. AFH XX. 320ss.) nobis a P. Aniceto Chiappini exscriptum edemus, quamvis pluries iam prodierit, etsi editores non adverterint. Edita est primo ap. *Magnum Bullarium Romanum*, Lugduni 1673, t. I, 359, et postea ap. *Bullarium Romanum*, Augustae Taurinorum 1860, V, 52. sed in ambobus parum correcte et sub falso dato *1440*, missa: *Dilecto filio Iacobo de Primaticiis de Bononia de Observantia regulari.* Edita est etiam a Ios. Pasini apud *Codices Manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei*, II, Taurini 1749, 229-30, e cod. DCCXXII. d. III. 4, sicut et in cod. Aquilano directa: *Dilecto filio Fratri Ioanni de Capistrano Ordinis Minorum de Observantia regulari.* Denique edita est a P. Atanasio Lopez ap. AFH II, 125, ex quodam cod. Florentino, tamquam missa *Fratri Antonio de Bitunto.* Pontifex igitur omnibus quorum intererat, id est Vicario Generali, et S. Ioanni de Capistrano et Fr. Antonio Bituntino Litteras suas misit. Quod autem falso apponatur datum 1440 exemplari misso Vicario Generali, ex eo solo educitur, quod Fr. Iacobus de Primaditiis electus fuit in Vicarium Generalem an. 1446, et quod Eugenius IV Romam, ubi data est Bulla, redierat solummodo an. 1443, post fere decennale exsilium. — Editioni nostrae textus cod. Aquilani, variantes apponemus lectiones P. Lopez et Pasini. Codex Taur., ut nobis refert P. Ferdinandus Delorme qui et indicavit, in immani incendio an 1904 deterioratus fuit, sed adhuc exstat. — Ex cit. Flor. edemus etiam bullam aliam Eugenii IV an. 1445 Episcopo Liciensi missam super eamdem quaestionem, ut sic documenta omnia insimul habeantur.

(2) Cfr. praesertim P. Aniceto Chiappini, O. F. M., *Reliquie Letterarie Capistranesi; Storia, Codici, Carte, Documenti*, Aquila 1927; nec non eiusdem Auctoris *La Produzione Letteraria di S. Giovanni da Capistrano; Trattati, Lettere, Sermoni*, Gubbio 1927.

Quando lis contra Fr. Antonium Bituntinum suborta sit, non plane constat, dicit enim Capistranensis, quod cum Licii foret « multa contra ipsum (Antonium) quaerulose mihi retulerunt Prior, qui tunc erat, et quidam Frater Nicolaus Ordinis Praedicatorum, qui per dies postmodum coram Ill.ma Regina Maria suoque Consilio, assidente etiam Rev.mo Episcopo Liciensi, suam culpam recognoscentes, humiliter prostrati, veniam postularunt »; et quod postea « dum ego Regii forem, dictus Prior, alias magister Iacobus de Regio, Procurator eiusdem Ordinis, dixerat se velle silentio praeterire » etc. Si ergo Fratres Praedicatores ad S. Ioannem recurrebant tamquam Vicarium Generalem, ut videtur, post electionem suam primam hoc accidisse dicendum foret, scilicet post medium annum 1443. Verum cum Fr. Iacobus de Regio, ad munus Procuratoris Ordinis Praedicatorum pro secunda vice anno 1442 promotus sit, qui dum Licii moraretur solummodo Prior videtur fuisse, dicendum foret ante annum praedictum vel potius in ipso anno 1442 exortam fuisse quaestionem (¹).

Primis temporibus post iudicium Liciense lis sedata videtur, ope certe praesertim Brevis Papae Eugenii missi Episcopo Liciensi, ubique per civitatem Liciensem legendi et a praedicatoribus explicandi, approbantis Fr. Antonii sententiam, scilicet « quod intelligebamus satisfactum esse, si paulo ante vel paulo post diem Resurrectionis Domini quis communicet » iusteque subiungit: « mirati sumus quod postmodum nova controversia resurrexit (²) ». Quidquid est, Fr. Antonium ad se iustificandum Romae convocatum esse apparet. Ipse enim « praesentium lator, ad R. V. D. properans, se paratum offert vestrum subire iudicium et examen, cum suorum accusatorum debita subscriptione ad poenam talionis ». Iudex, ut videtur, debebat esse Cardinalis Dominicus Capranica, Firmanus dictus, Protector Ordinis (1445-1458), apud quem accusatus fuisse videtur, si vox Protector in titulo Epistolae posita substantive accipi debeat. Neque exitum quaestionis scimus, certe autem quod propter hoc Fr. Antonius nullam poenam subiit, cum de hoc nullum vestigium alibi habeatur, qui de caetero satis bene se munierat scripto et auctoritate summa Ioannis Capistranensis.

Pertinet Codex ad Bibliothecam Societatis dictae « La Colombaria » Florentiae in eiusdem Bibl. Catalogo impresso (³) signa-

(¹) Verum est quod Sanctus Capistranensis fuit in Apulia anno 1436 (*La Produzione* p. 85), et quod Fr. Iacobus de Regio sive de Regno munus Procuratoris Ordinis Praedicatorum tunc pro prima vice exercebat 1435-38, (Innoc. Taurisano, ***Hierarchia Ordinis Praedicatorum***, Romae 1916, 93), sed non videtur mihi quod initium controversiae usque huc et amplius protrahendum sit, cum ante annum 1435 sistendum foret. (²) Ex Bulla cit. an. 1446.

(³) U. Dorini, *Inventario dell'archivio e ... manoscritti della Soc. Colombaria*, Firenze 1915, 39.

tus, *14 - Cl. II - Sez. II - N. 1,* ubi indicatur, sicut et in dorso MS., *S. Bonaventura - Opere trascritte da Fra Giov. da Piacenza.* Est saec. XV ad finem vergentis et XVI incipientis, foliorum num. 313 chartaceorum, pluribus membranaceis insertis, chartaceamque, nec primitivam, ligaturam habens, mm 115×160, characterisque minutissimi, humanistici, sic dicti, cursivi.

In summitate fol. custodiae non numerati habetur: *Esibito dal P. Lettore Buratti la mattina dei 15 Maggio 1806;* et postea, super veterem scripturam, de qua adhuc legitur *Di Paolo... è questo Libro,* aliam: *Del Padre Ubertino Buratti è questo Libro* (1). In margine superiori primi folii perg. eiusdem characteris ac textus, est inscriptio: *Iste liber est ad usum fratris Ioannis de Placentia quem ipse propria manu scripsit.* Notandum vero, quod compago actualis Cod., quamvis ab ipso fratre Ioanne de Placentia facta, ut eruitur praesertim ex numeratione et Indice, quae sunt ipsius manus, non est primitiva, seu melius, compactus est ex diversis tractatibus, iam prius ab eo transscriptis et numeratis, nam actualis numeratio fol. 1 numero primaevo 123 correspondet, et sic usque ad fol. 24, ad 146 vetus correspondens. Sic fol. 263 actuale, fol. 95 veteri respondet, usque ad fol. 299 = 122, sicut folia actualia 125-194, ubi ob symetriam codicis secta est vetus numeratio, prima folia primaevi Cod. probabiliter efformabant, ut apparet praesertim, quia omnes istae partes multa folia membranacea habent, dum omnes aliae ex solis foll. chartaceis sunt intextae. Ideo dici potest, quod fol. actualia 125-194 = 000-000; fol. 263-299 = 95-122, et fol. 1-24 = 123-146, ad alium cod. antecedentem pertinebant, quibus, iisdem fere ex rationibus, adiungi possunt etiam folia ultima actualia 300-313. Desunt fol. 270-9, quia numeratio procedit 269-80. Habet etiam Cod. circa 25 fol. vel omnino vel maiore ex parte alba, quorum numerationem non indicabimus, et hoc praesertim inter varios tractatus seu horum partes. Pluries transscriptor ipse in postillis marginalibus harum partium, ad novam numerationem novae compaginis, vetera deleta, remandat.

Transscriptorem dixi Fr. Ioannem Placentinum, non auctorem huius libelli, quia vere multa sunt transcripta, ut ex se apparet et clare saepe dicitur, sed certe non transcriptorem tantum, quia praeter multa ano-

(1) P. Ubertinus Buratti munere Lectoris fungi debebat in Conventu florentino Omnium Sanctorum. Natus erat in Oppido *Querceta* prope Petram-sanctam in dictione Pisana anno 1771 et habitum induit Religionis in Conventu S. Margaritae Cortonii an. 1790. Post eversionem Napoleonicam Religiosarum Familiarum videtur iam mortuus fuisse, cum in registris sequentibus mortuorum Provinciae Thusciae non inveniatur, et cum non videatur fuisse ille abbas Alexander Buratti, qui die 6 iulii 1814 in Socium Columbariae recipiebatur sub nomine academico « *L'Avveduto* », dum in saeculo P. Ubertinus vocabatur Ioannes-Franciscus; quamquam et ipse sub nomine « *L'Avveduto* » receptus fuisset die 3 martii 1803, ut in Registris ipsius Societatis apparet. — Haec omnia debentur cl. viro Marchioni Piero Bagnesi, Conservatori actuali Societatis « La Colombaria », qui Registra Actuum nobis monstravit, et qui etiam Cod. examinandum obtulit.

nyma, quae ipsi Fr. Ioanni tribui possent, plenum est MS. postillis marginalibus, et praesertim *Notis* textualibus, profecto ab ipso promanantibus, quae hominem doctum et eruditum ex se manifestant.

Tenor ipse libelli, qui velut quaedam encyclopaedia vel vade-mecum sacerdotis, rectius concionatoris illius temporis, dici potest, concionatorem revera fuisse Fr. Ioannem de Placentia ostendit: fuisse autem eum de primis illius partis, saltem Ordinis nostri manifestat subdelegatio habita a Vicario Generali Fr. Christophoro de Forolivio ad colligendas eleemosynas pro fabrica S. Petri de Urbe, ut habetur in epistola a Fr. Ioanne confecta, de qua infra, 276. Ex his litteris erui potest etiam tempus intra quod codex est scriptus vel transcriptus. Nam Christophorus de Forolivio electus est Vicarius Generalis an. 1514 et Commissarius Apostolicus pro fabrica ecclesiae S. Petri an. 1515 (1), medioque anno 1517 electus est Generalis totius Ordinis; ideoque dici potest codex inter 1515 et 1517 a Fr. Ioanne de Placentia confectus fuisse (2).

Codex continet:

1° f. 1r-14r.: Incipiunt Determinationes multarum quaestionum super Regulam b. Francisci editae a domino seraphico Sancto Bonaventura. *Cum inter alios Ordines Religiosorum;* des. (f. 13v.): ... *Et de istis satis etc. finis.* Postea: *Incipit tabula suprascriptorum quaestionum,* et (f. 14r.) *Explicit tabula quaestionum Sancti Bonaventurae super Regulam Fratrum Minorum.* — Cf. S. Bonav. *Opera,* VIII, 337-56; sola pars prima, scilicet, et certa, ut et Patres Editores dicunt quin codicem istum recolant.

2° f. 14-17r: Incipit Epistola S. Bonaventurae ad Magistrum innominatum eliminans errorem contra Regulam b. Francisci, Domino reddente, per servum suum Sanctum Bonaventuram: *Innominato Magistro frater Bonaventura spiritum intelligentiae, veritatis. Proponis, karissime, ut tibi tres articulos de Regula Fratrum Minorum absolvantur:* des. ... *et si vocaverit te non recuses. Vale in Domino.* — Edita est (ibid. VIII, 331-36) sub titulo *Epistola de tribus quaestionibus.*

3° f. 17r-v. Nota quaedam. *Nota quod secundum Bonaventuram in suo Apologetico 4 libro,* (VIII, 233-330) *quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Primo quando aliquis recipitur nec pro pecunia;* des. *quam de facultatibus Monasterii congrue valeant substentari.* In indice inscribitur: *Forma recipiendi ad Ordinem est quadruplex, qualemcumque.*

4° f. 17v.-21r. Absque titulo: *Quanto al primo Comandamento: Cole Deum: Siti malcontenta che non habiate adorate et ama[te] con tuto el core et l'anima et le forze Idio;* des. *Portate capilli morti; camisi molte delicate. Caetera sive reliqua quae deberent hic notari require supra a*

(1) Wadding, XV, 454, 476.

(2) Fr. Ioannes Placentinus fuit guardianus in Conventu nostro Imolae in Romandiola an. 1489, et ibidem morabatur etiam an. 1496, dictus tunc *frater Iohannes de S. Iohanne de Placentia.* Cf. S. Gaddoni, *I Frati Minori in Imola,* Quaracchi 1911, 131, 230.

carta 165 et per ordinem sequentem interroga. — Hic notandum quod perperam dicitur *supra,* dum dici debebat, *infra,* sed referebatur ad primam compaginationem codicis et indicabat fol. 65, adiuncto postea 1. — Inscribitur in indice: *Tractatus brevis Interrogationum circa penitentes.* Formulae interrogationum *Siti* = siete = estis, *Havite* = avete = habetis, *Sapite* = sapete = scitis, *Cognoscite* = conoscete = cognoscitis, etc., auctorem rel versorem pandunt ex Italia meridionali, vel ad minus centro-meridionalis ut Marchia vel Aprutium.

5° f. 25r.-34v. *Sermone de la virtù de Christo monstrata contra la iniquità de li demonij. Erat Yhs eiciens daemonium. Pare a molti una cosa o falsa ho frivola quello che è scripto de li demonij.* Des. ... *Fidele Dio Padre benigno el quale non lassa combattere li demonij contra de nuy se non quanto esso ne porge aiuto che possiamo essere vincitori, e cossì guadagnare la corona di vita eterna. In qua ipse vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.*

6° Sequuntur duodecim quaestiones circa daemones latine scriptae sine titulo incipientes, f. 34v-44v. *Queritur ad quid se extendat scientia diaboli: Dico quod tripliciter daemones cognoscunt veritatem.* Des. *et per daemonem miracula exercentur et probantur. Haec Bonaventura in 2° di. 8, articulo 2° in fine.* — Cf. S. Bonav. *Opera,* II, 770-7.

7° Pariter sine titulo f. 44v-8r septem parvae questiones « *circa Sacramentum Corporis Christi* » ut in indice habetur, prima quarum incipit: *Utrum species illae sine accidentia possint converti in alimenta;* et ultima desiit: ... *hoc autem non debet intelligi quia tantum unus est corpus; hec ille.* — Sunt extracta e S. Bonaventurae, *Lib. Sent. IV,* dist. 12, qu. 1 et 2 (IV, 270 sqq.).

8° f. 48-58v: *Sermone de lo altissimo sacramento della Eucaristia;* incip.: *Caro mea... Ogni copia di qualunque sententioso et elegante dire,* desiitque: ... *riceva questo sacramento rigratiando el dolze Yhu de tanto beneficio; el quale con lo Patre et Spirito Sancto viva e regna per infinita secula seculorum Amen.* — Est longus et doctus Sermo, tribus capitulis et pluribus paragraphis divisus, qui et *Tractatus* dici posset, in quo plures quaestiones Eucharisticae explicantur.

9° f. 58v-60v.: *Rev.me in Christo et D. domine Protector* etc. ... *Ex Aquila 1445 die 10 mensis Iulii.* — Epistola S. Ioannis a Capistrano edita infra, 277-81.

10° *Dilectis filiis Vicariis Generalibus ac Provincialibus Fratrum Minorum regularis Observantiae... Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15 Aprilis 1458, pontificatus nostri anno 2.* — Breve est quoddam Papae Nicolai V, a nobis postea edendum « *qualiter quascumque personas undecumque venientes ad nos possumus communicare* », ut in indice indicatur.

11° f. 61v.-74v.: *Questo si è uno Tractato facto et composito dal beato fra Nicolò de Ausoma sopra lo Simbolo delli Apostoli. Prima adoncha da dire dello Simbolo delli Apostoli che comenza: Credo in Deum Patrem, et e da savere.* Des. *quilli che haverano mal operato nel focho eterno. Dal quale ce libra e ce conceda vita eterna Yhu Christo benedecto in secula*

seculorum. Amen. — Expositio est Symboli Fr. Nicolai Auximani, ut habetur iam edita in sua *Quadriga Spirituali,* p. II, differentiae tamen multae, saltem in Prologo notantur.

12° Absque titulo, f. 75v.-227r.: *Interrogatorium ad confessorem, docens qualiter se debeat habere erga penitentes,* incipiens: *Qui enim vult confiteri debet cum humilitate confiteri,* prosequens latine et des.: *hec est fructifera penitentia.* Immediate post (76v.): *Doctrina brevis ad cognoscendum si penitens est bene preparatus ut recipiatur confessionem,* incipiens: *Circa la preparatione de la confessione,* et post aliquas quaestiones praeliminares, praesertim de *satisfactione,* f. 81v incipit: *Circa alli dieci Comandamenti:* sic incipit verum *Interrogatorium* sub formulis iam dictis in *Interrogatorium antecedens.* — Est magnum *Interrogatorium* circa universam theologiam moralem, seu melius, congeries tractatuum diversis temporibus et diversis iam opusculis a Fr. Ioanne Placentino collecta, ut ex albis foliis inter partes diversas insertis, ex diversis chartis et atramentis etc. apparet, diversorum forte auctorum, de *praeceptis,* de *peccatis, de virtutibus,* de petitionibus in *Pater* contentis etc.; des. de quatuor virtutibus cardinalibus agens: *intendendo essere acconci gli seculi per la parola de Dio, che per le cose che non se vedono fussino facte quelle cose (se) vedono per la fede.*

Nescio auctorem vel auctores huius *Interrogatorii,* docti simul et practici, quia doctrinam abunde firmat et saepissime corroborat, primum exponens doctrinale, et longis *Notis* textualibus latine scriptis, necnon postillis marginalibus. Aliquod simile et quidem vernacula lingua scriptum opus, tribuitur vel S. Bernardino, vel S. Ioanni de Capistrano, vel ipsi Nicolao Auximano. Non est autem S. Bernardini, cum et ipse in Interrogatorio saepe citetur, neque est Interrogatorium S. Antonini, de caetero pariter citati, sicut et *Pisanella.* Modus autem doctrinaliter procedendi et forma literalis, regionem meridionalem Italiae redolentis, ipsum S. Ioannem de Capistrano aliquo modo insinuaret, sed res dubia remanet. Certe autem est opus franciscanum, cum repetitis vicibus loquatur de « *nostro padre Sancto Francesco* » et fere omnes auctores nostri allegentur, ut Alexander Halensis, S. Bonaventura, Richardus a Mediavilla, Scotus, Lyranus, Franciscus Mayronis, Astensis etc.; et notandum quod ante annum 1482 videtur omnino scriptum, cum nunquam Sanctum appellet Bonaventuram. Citatur tamen etiam Fr. Robertus de Licio (fol. 87r.), « *in suo Quadragesimali de peccato in Sermone 25 ... qualiter ipse audivit che alcuni frati dicevano che frate Vincentio compagno di Sancto Bernardino* » etc. In decursu *Interrogatorii* (f. 138v.) habetur: *Vide etiam in Interrogatorio tuo in fol. 87.* Quae citatio nunc non correspondet; nescio autem utrum ad nostrum aut ad aliud Interrogatorium referatur.

13° f. 228r.-230. Duae quaestiones de daemonibus et de Angelis Fr. Stephani Brulifer theologi franciscani galli saec. XV, in principio quaestionum indicati cum nomine *Brulifer;* et f. 232r.-6v. quaedam de magica arte, et citatur circa finem (236r.) Robertus, id est Liciensis, cum verbis: *hec Robertus,* qui vere se pandit narrans factum quod sibi accidit dum Quadragesimam praedicaret Neapoli an. 1470.

14° f. 236v.-8r. *Tractatus Ioannis de Gerson contra Magistrum Iacobum Angeli, medicum studii insignis Villae Montispessulani, de observatione dierum quantum ad opera. Prima conclusio. Ogni opera de Dio è cosa sancta e laudabile.* Des., Septima conclusione, *El cavalo fu apparichiato alla bataglia ma el Signore da la salute. Postea David... et invocasse legitur. Finis.* Versio est italica Tractatuli Ioannis Gersonii, editus inter eius *Opera*, apud Tribotes (Argentina) 1514, I, f. XXIa.

Postea aliae quaestiones et *Notae*, super diversas materias, latine et italice scriptae, iterum de magia, de puritate conscientiae, de amore parentum, filiorum et coniugum, etc., des. 245v. In prima questione de magia, seu de aliquibus superstitionibus, citatur denuo: *Ropertus in lectione 159 super Sapientiae libro.* — Tunc f. 253r.-60r. versus plures libri Proverbiorum referuntur cum postillis inter textum signo parenthesi inclusis.

15° f. 264r.-6r. Brevis tractatus de superbia, incip.: *Superbia è appetito ho vero desiderio disordinato e perverso de propria excellentia.* Des. *ma vanagloria è desiderio de la manifestatione de quella excellentia.*

16° f. 266r.-v. *Forma dispensationis in matrimoniis a Fratribus deputatis seu deputandis ad exequutionem indulgentiarum pro fabrica Principis Apostolorum de Urbe observanda. — Universis et singulis presentes literas inspecturis pariter et audituris... pateat quod cum N. de P., diocesis Placentie ignoranter vel scienter matrimonium .. contraxerit... Quapropter, ego frater Ioannes de Placentia, Ord. Min. de Observantia, facultatum indulgentie pro fabrica Principis Apostolorum de Urbe per literas Sanctissimi D. N. Leonis Pape X tam sub plumbo quam in forma Brevis editas et datas et commissas R.do in Christo Patri et fratri Christophoro de Forlivio, eiusdem Ord. Vicario Generali et pro dictis facultatibus Nuncio Apostolico et Commissario etiam Generali, ad infrascripta subdelegatus et deputatus... auctoritate qua fungor in hac parte... In quorum omnium premissorum fidem has presentes manus proprie subscritione et sigilli vel loci impressione munitas tradidi. Datum.*

Est exemplar exsecutionis facultatum, vi quarum, data aliqua eleemosina ad aedificationem ecclesiae S. Petri, gratiae complures circa dispensationem ab impedimentis matrimonii concedebantur.

17° f. 266v.-87r. (numeratio currit 269-280). Arbores consanguineitatis et affinitatis cum commento, et cum graphicis delineationibus. — Postea (f. 283v.-5r.). Sermo super textum: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet,* et aliquae questiones de peccato Adae. — F. 287r.-94v: *Sententiae quaedam per alphabetum accomodatae septem viciis;* et aliae quaedam quaestiuncolae dogmatico-morales. — F. 295r.-7r. *Hec est tabula in qua omnia superscripta et infrascripta in hoc libro continentur.* Est Index accuratissimus totius voluminis; merito ibi dicitur *et infrascripta, quia indicat etiam ea quae postea veniunt.*

18° (f. 300r.-5r.) *Passio Christi* secundum S. Matthaeum et S. Ioannem. — (f. 305r.-10v.). Quaestiones aliquae de iustificatione, de peccato diaboli et originali, et *Notae* italice scriptae de peccato et de diversis speciebus infidelitatis. — (f. 311r.-2v.). Demum *Exempla ad retrahendum a murmuratione* et 313r. *De pace,* breves scilicet sententiae, verbis Scripturae roboratae, circa pacem privatim et publice servandam.

Epistola S. Ioannis a Capistrano; 10 iulii 1445.

Reverendissime pater in Christo et Domine, domine Protector et benefactor et conservator vite mee, humillima et devotissima recommendatione premissa.

Accidit sepe numero, expressis sinistris informationibus, falli etiam iudicia peritorum. Inde sapientis fertur proverbium: Ne pars inaudita damnetur. Ecce frater Antonius Betontinus, presentium lator ad R. V. D. properans, se paratum offert vestrum subire iudicium et examen cum suorum accusatorum debita subscriptione ad penam talionis. Non sunt ista levia, R. pater et D., ut tam facile culpari quisque debeat de maximo crimine; et consulte gravius impi[n]gi numquam posset, dicitur, servo cuique maxime homini famoso in offitio predicandi quam hereses. Unde dum essem Licii multa contra ipsum querulose mihi retulerunt Prior qui tunc erat et quidam frater Nicolaus Ordinis Predicatorum, qui per dies postmodum coram Ill.ma Regina Maria (1) *suoque Consilio, assidente etiam R.mo Episcopo Litiensi* (2), *suam culpam recognoscentes humiliter prostra<c>ti veniam postularunt. Miratur etiam et non immerito quod dum ego Regii forem* (3), *dictus Prior, alias magister Iacobus de Regio, Procurator eiusdem Ordinis* (4), *dixerat se velle silentio preterire, cum me offerrem si insufficiens essem ad eius correptionem meritam, una secum apud S. D. N. Papam ad eius debitam correptionem auxilium petiturus: ipsi tamen post meum recessum tanquam hereticum diffamarunt. Parcat Dominus eis! Suspicor ne livor et rancor eos invaserit contra debitum charitatis, si contra ipsum aliud non intemptant nisi quod frater Antonius predicavit quod communicantes in ebdomada sancta, si non communicant in die Pasce Resurrectionis Dominice, non peccant mortaliter: hoc idem pluries ego predicavi. Recolo enim, dum S. D. N. in romana curia Bononie resideret* (5), *quendam fratrem Ordinis Predicatorum contra me in tali passu predicasse, et tam Rmos Cardinales quam Magistros Sacre Pagine et iuris utriusque Doctores mecum sensisse, et Smi Dni Nostri sic vive vocis oraculo me commendatum fuisse.*

Nam, ut dicit Yllarius, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus: Extra, de Verb.

---

(1) Maria de Enghien, Comitissa de Licio, iam uxor Raimundelli Orsini Ducis Tarentini, et postea Regis Neapolitani Ladislai, ex quo nomen Reginae ei provenit et sibi retinuit etiam post mortem Ladislai.

(2) Guiducius Guidonis O. F. M. (1438-53).

(3) Videtur in annis 1442-43.

(4) In annis 1435-38, 1442-48.

(5) Circa medium annum 1437, quando Curia Papae Eugenii IV Bononiae residebat, (*Reliquie*, 167) et ubi erat etiam Capistranensis, qui plures litteras ex eodem loco mittebat, inter quas unam ipsi Antonio Bituntino, de quadam facultate « vivae vocis oraculo » a Papa obtenta. (*La Produzione*, 86).

signif. C°. Intelligentia [1]. *Et b. Gregorius dicit: Propterea, si prolixam epistolam meam ad interpretrandum recipere te fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur:* Extra, De verborum signif. C° Propterea [2]. *Et b. Augustinus in libro* 83 Quest. q. 69 *dicit: Solent circumstancie Scripturarum illuminare sanctam veritatem* [3]. *Ex quibus instruimur necessarium nobis esse non solum attendere ad verba adiacentia, sed ad precedentia et succedentia sive subsequentia. Et magis consideranda sunt verba quo ad mentem institutoris legis quam quoad sonum verborum, ut ipse Dominus noster Yhs Xps declaravit, Math. 13, de seminibus et homine negotiatore et thesauro abscondito in agro* [4] *et de similibus. Nam et humanum ius hoc dictat, ut potior dicentis mens habeatur quam vox:* ff. Suppellectili legata l. Labeo; *et voluntas magis quam verbum inspici debet:* C°. Que res possunt obligari pignori *l. ultima* [5]. *Nam licet Xps dixerit, Io. 15* [6]: Ego sum vitis vera, *ex consequentibus patet quod addens* 'vera' *non proprie et stricte se vitem protulit, sed similitudinarie et figurative, cum subdit:* et Pater meus agricola. *Et ibidem Apostolis dixit:* et vos palmites, *cum per proprietatem nec Pater agricola sit, nec Xps vitis, nec Apostoli palmites, sed per similitudinem loquebatur. E contrario capimus ex subsequentibus, quod non per similitudinem sed per proprietatem dixit:* Hoc est corpus meum, *Mattei 26, Marc. 14, Luce 22* [7], *qui Lucas non (sic) declarat quod proprie loquebatur cum subiunxit:* quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem [8], *ut intelligamus quod illud idem corpus quod extraxit de Virgine et in cruce pependit, in hoc excellentissimo Sacramento nobis quotidie representat, ut tractatur in 4°* Sententiarum, *di. 7 et 8* [9]. *Sic etiam intelligimus veram sententiam unius passus suppleri et declarari per literam alterius passus, ut patet Marci ultimo, cum dixit Dominus:* Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit [10]. *Nam possibile est aliquem baptizatum corde credere et opere non implere, et sic damnari; Mattei 25:* Discedite a me maligni *etc.* [11]; *de quo passu satis agitur in 4°* Sententiarum *distinctione 47* [12]. *Secundo possibile est aliquem non credidisse nec baptizatum fuisse formaliter et salvum esse, sicut patet de sanctis infantulis Innocentibus, Matei 2* [13]; *fuerunt enim proprio sanguine baptizati; Apocal. 6 et 7* [14]. *Tertio possibile est non credere et esse baptizatum et salvari, ut patet [in] infantulis baptizatis ante usum liberi arbitrii decedentibus et salvatis, cum* renati fuerint ex aqua et Spiritu Sancto *iuxta verbum Domini, Io. 3* [15]. De Cons. di. 4 Quaeris, et C°. In Ecclesia cum sicut [16].

---

(1) Lib. V, Tit. XL, Cap. 6. (2) Ibid. Cap. 8.
(3) Num. 2 (P. L. 40, 75). (4) 13, 36-52.
(5) Allegatur in Decretalibus Cap. 8 praedicto. (6) Vers. 1-5.
(7) Matth. 26, 26; Mar. 14, 22; Luc. 22, 19. (8) Ibid.
(9) S. Bonav., sed potius Dist. 8 et 9 (IV, 787 ss.).
(10) 16, 15. (11) 25, 41. (12) T. IV, 1018 sqq. (13) 2, 16-18.
(14) 6, 9-11: 7, 14-7. (15) 3, 5. (16) Cap. 130.

Nunc igitur ad propositum legimus quod in primitiva Ecclesia statim baptizato et confirmato sacra Communio prebebatur. Aliqui quotidie communicare gestabant (sic). De cons. di. 2, C° Quotidie (1). *Postmodum Augustinus hortatus est omnibus diebus dominicis communicandum ; ibidem. Deinde cum dixisset Ambrosius: Ego qui semper pecco debeo semper accipere medicinam;* De cons. di. 2. Si quotiescumque (2). *Demum Fabianus Papa statuit ut saltem ter in anno fideles Christiani communicarent, videlicet in Pasca, Penthecoste et in Natale Domini,* De cons. di. 2 C°. Et si non frequentius (3). *Successive Sother Papa dixit etiam in Cena Domini:* De Cons. di. 2 C°. In Cena Domini (4). *Deinde ex concilio Agatensi statutum fuit, qui in Nativitate Domini, Pasca et Penthecoste non communicarent, non haberentur pro catholicis;* De Cons. di. 2 Seculares *et* C° Omnis homo (5). *Ad ultimum Innocentibus 3us statuit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur fideliter proprio sacerdoti, et iniunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pasca, Eucharistie sacramentum, nisi de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ; alioquin et vivens ab ingressu ecclesie arceatur, et moriens christiana careat sepultura, ut in d.* C°. Omnis utriusque sexus, Extra, De pe. et re (6). *Ubi si attendamus Sanctorum regulas ad intelligentiam veritatis ut ex precedentibus et consequentibus veritas illucescat. Nam ordo verborum designat ordinem intellectus;* De Cons. di. II, In Christo pater (7). C° De fideiussoribus. *Aut hoc amplius et dicta in prioribus intelliguntur in posterioribus recensita* §. Sed si notam *ff.* De heredibus institu. *Sic etiam sequentia sepe terminant precedentia,* 28 di. Quia sunt culpe (8), *ubi Glo. notabilis que incipit.* Hic per duo extrema, *colligitur medium et principium traitur ad finem, 35 di.* Ab exordio (9) *ff.* De le. 3°. Si quis, *in principio texto...?* (10).

Cum autem in d. C°. Omnis *primo dicatur,* saltem semel, *et postea medietur,* ad minus in Pasca, *deinde subsequatur,* nisi de proprii sacerdotis consilio, *recte intuenti patere valet non fuisse intentionem legis latoris illaqueandi ad mortale peccatum qui ante diem Pasce sancte matris Ecclesiae imperio satisfecerit, cum primo dicat « saltem semel in anno » et postea subdat, « ad minus in Pasca ». Nam qui ante Pasca communicavit non se reduxit ad extremum diem Pasce et non est artatus ad terminum ad minus, aliter sequeretur absurdum, videlicet, quod si infra annum volet communicare, deberet sibi prohiberi et astringi precise ad diem Pasce, quod expresse patet fore contra mentem institutoris. Hinc D. Bonaventura in 4°* Sententiarum d. 12, *tractatus de frequentatione huius Sacramenti* q. 2, *dicit* (11) *quod ex eo quod primitiva Ecclesia*

(1) Cap. 13. (2) Cap. 14. (3) Cap. 16.
(4) Cap. 17. (5) Cap. 21. (6) Lib. V, c. 12.
(7) Cap. 82. (8) Cap. 10. . (9) Cap. 102.
(10) Textus Iuris Civilis hic confuse nec in scripto clare allegati, inseruntur plus minusve in Glossis supradictorum Capp. X et CII relatis.
(11) IV, 296.

quando communicare solebant iuxta quod Act. 2 [1] *scribitur:* Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus. *Successive refriguit caritas et devotio; relictum fuit iudicio et conscientie uniuscuiusque, ut reciperet quando se melius dispositum videret. Et quia adhuc multi indispositi frequentabant, Fabianus Papa instituit [ut] in tribus solemnitatibus anni se affectuosius prepararent. Sed quia processu temporis etiam in illis solemnitatibus se negligenter prepararent, ideo ad extremum est ad Pasca reductum, quod precedit tempus preparationis, scilicet Quadragesime.*

Ecce quod ex precedentibus limpide colligimus, quod eo tempore communicandum est, quando mens devotius est preparata, unde si magis est preparata in die Cene vel sabbato sancto, non video quod tali die communicans Ecclesie contradicat et mortaliter peccet, cum non sit facile credendum quod tam leviter pia et alma mater suos querat alumnos impie provocare, que deperditis lacrimis abluit tamquam Rachel nolens recipere consolationem. Ie. 31 [2].

Nam, ut dicit Philosophus 6 Ethicorum [3]: *Omnis doctrina et omnis disciplina ex precognitis non confuse sed distincte et determinate. Idem habetur I°* Posteriorum [4], *in principio, ubi etiam habetur* [5] *quod principiis nihil est notius in veritate. Sed principium huius nostre disputationis oportet esse ex d.* C° Omnis, *ergo ad ipsum recurrere oportet.*

Unde ex ipso C° *tres possunt elici veritates circa materiam subiectam disputationi. Prima est quod semel in anno sufficit, secunda est quod laudabilius in Pasca fit; tertia est quod etiam post Pasca infra competentem terminum differri potest. Dicit namque Glossa notabilis, 30 di. c. fi.* [6] *quod christianus potest cogi ut faciat se dignum, idest ut peniteat et communicet in anno, quasi totus annus detur sibi ad faciendum se dignum, allegat* De Conse. *di.* 2. Si quis intrat [7]. *Ricardus* [8] *in 4°* Sententiarum *di. 12, art. 6, q. 1 dicit quod Ecclesia non statuit communicandum nisi semel in anno preter sacerdotes. Illud autem fieri semel in anno bene potest dici quod laudabilius fit in Pasca, quia textus dicit, ad minus in Pasca, nam illud ponit aliquis quod a numero probabili dictum est ut in primo* Thopicorum [9], *sed non potest esse vir probabilior Papa qui vices Dei singulariter gerit in terris, videlicet ut in* C° *quarto, et in* C° Inter corporalia: Extra. De transla. Prel. [10] *Habet etiam plenitudinem potestatis, cum alii Episcopi in partem soli[ci]tudinis sint vocati, 2 q. 6.* Decreto nostro, *et* C° Qui se scit [11], *et etiam notatur per tex. quia dicit, nisi de proprii sacerdotis consilio etc. Dico tertio quod sine mortali, et rationabili causa, sacerdotis consilio potest differri, ergo multo magis*

(1) Vers. 42. (2) Vers. 15.
(3) Ethica ad Nicom., VI, c. 3. (4) Cap. I.
(5) Cap. 2. (6) Glossa in Cap. 17. (7) Cap. 18.
(8) Richardus de Mediavilla, *In IV Sent.* Venet. 1509, f. 54rb.
(9) Lib. I, cap. 1.
(10) Cap. 4. *Licet in tantum; Inter corporalia* Cap. 1.
(11) Cap. 11 et 12.

potest anteferri per argumentum, si de quo minus, ut in 2° Thopi. (1). *et in* C° Cum in cunctis, Extra. de elec. (2). *Nam doctores canonum ut plurimum sentiunt semel in anno sufficere, ut Innocentius, Hostiensis, Ioh. Andree, Ant. de Butrio, Ioh. Calderenus, Ioh. de Ymola, et communiter omnes; et sic qui faciunt mentionem de Pasca intelligendum est iuxta textum illius capituli cum dicit ad minus, quasi ponatur pro termino peremptorio, cum illa tamen restrictione: nisi de proprii sacerdotis consilio etc. Dominus N. de Sicilia expresse consuluit excusari qui infra annum communicat et maxime in die Cene. Non obstat quod argumenta possunt fieri quod dies Pasce intelligitur principaliter pro die Dominice Resurrectionis, quia quamvis verum sit, attamen dico quod textus ille non cogit ad diem Pasce precise cum dicatur supra « saltem semel in anno » et ibi dicatur, « ad minus in Pasca », et infra subdatur, « nisi de proprii sacerdotis consilio ».*

Ex precedentibus equidem assistentibus et sequentibus innotescit mens Innocentii quod sufficere sentiebat semel in anno communicandum ; nota per Glo. solemnem 43 di. C° In mandatis (3). *Ad omnem tamen ambiguitatem tollendam ad sanctam matrem Ecclesiam est fiducialiter recurrendum, apud quam est fons et origo et principium catholice veritatis, iuxta quod nota In.* C° Firmiter, Extra. De summa Tri. et fid. cat. (4) *pro qua Dominus* oravit ne deficeret fides *eius, Lu. 22* (5). *Faciunt nota in* C°. Solite § *potuisses*. Extra. De maio. et ob., *et in* C° 2. De offi. le. *li° 6, et in* C° Per venerabilem, Extra. qui sunt filii leg.; *et in d.* C° Maiores, Extra. De baptismo (6), *cum similibus.*

Hec igitur et omnia alia et singula per me quomodocumque et quandocumque scripta, dicta predicataque aut aliter asserta, determinationi, emendationi et correptioni (sic) *nedum sancte Romane Ecclesie cui pluries sum prostra<c>tus humiliter cum propria vita et persona submitto. sed etiam determinationi cuiuslibet melius et verius sentientis. Vestre R.de Dominationi prefatum Fratrem Antonium et me ac totam meam Religionem humiliter recommitto et facio instantissime commendatum. Valete feliciter cum triumpho.*

Ex Aquila 1445 die 10 mensis Iulii.

Breve Eugenii IV, 7 aprilis 1445.

Episcopo Liciensi. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

A fide dignis personis nobis relatum est quod in civitate Licii circa materiam communionis, assumptionis videlicet Eucaristie et corporis Domini nostri Ihesu Christi, per diversos predicatores varia populo denuntiata sunt; propterea in mentibus personarum utriusque sexus varie oppi-

(1) Cap. 10. (2) Cap. 7. (3) Cap. 2.
(4) Cap. 1. (5) Ver. 32.
(6) Capp. 6, 16, 3 etc., textus et Glossa; tunc Decr. Bonif. VIII, c. 2. Quia pontificali.

niones suborte sunt que detrimentum ac periculum animarum earumdem causare possunt. Cum autem ad nos pertineat saluti animarum providere fidelium, ut omnis peccati et scandali materia de medio tollatur, volumus et paternitati tue harum serie precipimus et mandamus, quatenus a dictis predicatoribus, si in civitate Licii fuerint vel a dicta civitate parum remoti sint, aut ab aliis predicatoribus, auctoritate nostra certis diebus ad hoc convenientibus per te eligendis et deputandis, eidem populo devote declarari facias, ut iuxta Romane Ecclesie et communem christiani populi ritum et consuetudinem, fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, confessione premissa, in festo Pascatis, videlicet Resurrectionis Domini, debita reverentia sumant Eucaristie sacramentum, idest, Corpus Domini nostri Ihesu Christi; de consilio tamen confessoris sive sacerdotis earumdem, ex rationabili causa emanato, dicte persone communionem huiusmodi prevenire aut differre possint, dummodo parvum temporis spatium preveniendo aut differendo interveniat. Et insuper volumus ut in dictis predicationibus hoc presens Breve publice et solempniter populo predicto legi facias, ut predicationes huiusmodi maiorem auctoritatem et efficaciam assequantur. Datum Rome apud S. Petrum, sub anulo nostro secreto, die 7 aprilis, pontificatus nostri anno XV°. [1445].

Cintius.

Breve Eugenii IV; 7 iulii 1446.

Dilecto Filio Fratri Iohanni de Capistrano Ordinis minorum de Observantia Regulari.

Dilecte Fili salut. et Apost. benedict. = Fide digna relatione percepimus in civitate L i c i i *non parvam per haec tempora excitatam* (1) *fuisse comotionem de* (2) *die debitae receptionis* (3) *Sacratissimi Corporis Iesu Christi Domini Nostri* (4), *et quia* (5) *per aliquos Religiosos sit afirmatum, non communicantes actualiter* (6) *in die Resurrectionis Dominicae mortaliter peccare, etiam si* (7) *in die Iovis sancta* (8) *et aliis* (9) *quibuscumque diebus infra annum pluries et frequentatis vicibus* (10) *communicassent; quod piis auribus est audire molestum. Recolimus alias per quoddam nostrum* (11) *Breve scripsisse venerabili Fratri nostro Episcopo Liciensi, quod intelligebamus satisfactum esse, si paulo ante vel paulo post diem Resurrectionis Domini quis communicet: mirati sumus quod* (12) *postmodum nova controversia resurrexit* (13); *sed* (14) *inimicus homo superseminavit zizania* (15).

Nos igitur cupientes purgatum triticum in orreum Domini congregare et inutilibus contentionibus finem dare (16), *attendentes, iuxta doctrinam*

---

(1) F exortam. (2) F a. (3) F T perceptionis.
(4) F T Dom. N. I. C.
(5) F T quod. (6) F *om.* actualiter.
(7) F etiamsi si. (8) A sancti. (9) T et ab aliis.
(10) F diebus. (11) T *om.* (12) F *om.* (13) T revixerit.
(14) F videlicet. (15) T zinzaniam.
(16) T *om.* et i. c. f. d.

Beati (1) *Augustini, quod solent circumstantiae Scripturarum illuminare substantiam veritatis, et non solum adiacentia* (2) *sed etiam praecedentia et subsequentia verba sunt consideranda prudenti; cum dicat Canon Ecclesiae: Omnis utriusque sexus Fidelis* (3) *saltem semel in anno confiteatur* (4) *et infra: Suscipientes reverenter* (5) *ad minus in Pascha* (6) *Eucharistiae Sacramentum, et sequitur: Nisi de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione* (7) *duxerit abstinendum, dicimus expresse non esse intentionem* (8) *legislatoris animas illaqueare Fidelium sub* (9) *culpa mortali ad communicandum praecise in die Dominicae* (10) *Resurrectionis, sed terminum statuisse a Pasca ad Pasca* (11), *cum dicit, semel in anno, et infra, ad minus in Pascha Resurrectionis* (12) *etc. mens enim* (13) *magis quam verborum sonus est attendenda* (14) *discrete.*

Intelligimus itaque optimo iure satis factum esse Canoni, si in (15) *hebdomada sancta vel infra octavam Paschae Resurrectionis Dominicae secundum meliorem dispositionem conscientiae* (16) *et aptiorem* (17) *mentis devotionem, Fideles, praeparatione debita, sanctum Eucharistiae pignus* (18) *accipiunt et cum Domino* (19) *Pasca celebrant ad salutem, et huiusmodi* (20) *sententiae omnes volumus adquiescere. Quare devotioni tuae* (21) *committimus ut praedicta, ubi opportere* (22) *intelligas, populis nota facias* (23).

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo nostro secreto, die VII (24) *Iulii MCCCCXLVI, Pontificatus nostri anno XVI* (25).

Breve Nicolai V, 15 aprilis 1448.

Quamquam hoc breve Nicholai Pape V stricte ad quaestionem nostram non pertineat, tamen quia ad administrationem Sacramentorum pertinet, et litteris Capistranensis adnectitur ac inedita videtur, ideo eam publicandam duximus.

Dilectis filiis Vicariis generalibus ac Provincialibus Fratrum Minorum regularis Observantie ac quibuscumque vestri Ordinis et Observantie per vos deputatis et deputandis confessoribus, Nicolaus Papa quintus salutem et Apostolicam benedictionem.

---

(1) F *om.* (2) A adiectentia.
(3) T omnes... fideles. (4) A T confiteantur.
(5) T suscipiens; F *om.* reverenter.
(6) F *add.* Resurrexionis.
(7) T *om.* ad t. a. e. p. (8) A intentionis. (9) T *om.*
(10) F Dominica. (11) F Pascam.
(12) F T *om.* Resurrectionis *et add.* nisi. (13) T eius.
(14) F attendendus. (15) T satisfactum C. cum in.
(16) F conficiatur. (17) T appetitus.
(18) F *om.* debita... pignus. (19) T Domini. (20) F T huic.
(21) T vestrae. (22) T oportunum. (23) F facere.
(24) *Omnes alii* VIII.
(25) A *nomen Secretarii add. scil.* Blondus.

Scimus populos civitatum, terrarum et locorum apud quos Loca habetis exemplo allectos et inductos religiose vite quam (Domino concedente) ducitis, libenter ad confitendum vobis et sacratissimam Communionem de manibus vestris accipiendum confluere. Unde, ut illis satisfacere valeatis, devotioni vestre audiendi in confessionibus omnes quarumcumque Diocesum et in illis extraneos ac forenses, absolvendi quoque etiam in casibus quos Diocesani locorum in quibus ad audiendas [confessiones] deputati estis, duxerint concedendos. Et in omni tempore, preterquam in die Dominice Resurrectionis, predictam Sacratissimi Corporis Dominici Communionem dandi, auctoritate Apostolica concedimus.

Datum Rome apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die 15 Aprilis 1448 (1), *pontificatus nostri anno II.*

Nota. — Fr. Robertus (Caracciolus) Liciensis factum Neapoli sibi successum minime narrat in *quaestionibus de magica arte* a nobis sub num. 13° pag. 275 positis, sed in decursu Sermonis *de la virtù di Christo monstrata contra la iniquità de li demonij* sub num. 5° relati, qui considerandus est perinde ipsius opus. Narrat enim quod, cum anno 1470 Neapoli Quadragesimam praedicaret (f. 32v.-3r.): ... *se diceva come una giovineta chiamata Lianora, figliola de uno nominato Perico balistrero della Maiesta del Re Ferdinando* (Ferdinandus I Aragonensis), *era inspiritata et haveva in corpo l' anima del Conte Iacomo Picinino* (filius famosioris Nicholai), *e parlava come fusse proprio esso, e narrava le cose sue e lli facti delle arme passati ... Et io li dissi: voglio sapere chi sei tu: Respose: io sono Stephano Ceciliano, famiglio de corazza del Conte Iacomo.* Postquam autem confessus est se esse diabolum, ad aliam iniunctionem ut diceret quis esset, interrogatus: *Respose: tu se' fra Roberto el quale per tuta Italia ce hai facto gran guerra.* — Robertus idem narrat etiam in quodam sermone: *Qualiter demones possunt vexare corpora* (Venetiis, 1479, f. cc2ra.), sed non nominat Regem Ferdinandum neque Iacobum Picininum, ab eo proditorie interemptum, at solus recolitur: *Stephanus Siculus, quondam armiger et stipendiarius;* et hoc forte quia suos Sermones Robertus dedicabat Ioanni de Aragonia filio ipsius Ferdinandi Regis.

P. Zephyrinus Lazzeri, O. F. M.

(1) C *1458*, erronee; nam Nicolaus V iam 24 martii 1455 obierat.



DE VITA ET SCRIPTIS FR. ALEXANDRI DE RICIIS

(Continuatio) (1).

21. — **Epistola Fr. Baptistae de Levanto ad Fr. Io. de Capistrano.**

Copia littere Rev. P. Fr. Baptiste de Levanto Vic. Glis misse R. P. Fr. Iohanni de Capistrano, anno Dni 1455 die 18 iulii (f. 450r-1v).

Rev.de in Christo Pater, premissa recommendatione etc. Paucis transactis diebus, per duos fratres P.i V.e diffusius scripsisse me memini, et quibus fluctibus paupercula nostra familia quateretur intimasse (2). *Verum quia exinde plura evenisse iam contingit, eadem presentibus explicabo. Pater Generalis* (3), *ut indefexus bellator et rugiens leo* (4) *nunquam se pollicitus est quietari, quousque bullas* (5) *infrangat. Ad hunc finem sua omnia studia ordinavit; ideoque surreptionem bullarum tanquam principale fundamentum, quibus valet modis, probare contendit; quamobrem falsum sugestorem, private publiceque coram fratribus cardinalibusque P.m V.m proclamat. Adiiciens quod mortaliter peccavit P. V. et quod in peccato mortali, quoadusque errorem suum circa hoc non recognoverit et penituerit* (6), *perseverat: demunque quod si sic moriatur, damnabitur. Ex hiis verbis, pridie, me presente, coram dom. Protectore* (7) *prolatis, temeritatem suam ferre nequiens, Paternitatis quoque Vestre infamiam, insurgens in eum, ut in crudelem patrem qui potius filios condempnare voluit quam monere, P. V. potissime, que ubique locorum tanta veneratur opinione et sanctitate, protestatus sum Cardinali, quod nisi verbum temerarium a se prolatum revocasset, P. V. indicarem, et quod contra eum de hoc verbo, ubi opus esset, quo mihi modo liceret, clamarem. Non acquievit sed in maiorem elatus iram et vociferationem ex hoc, altercationem per duas fere horas soli coram Cardinale habuimus. Dubito ne*

(1) AFH XX, 314-335, 563-574; XXI, 86-103.

(2) Est forsitan epistola quam recensui in *Reliquie letterarie*, p. 240, n. 393, nunc prorsus illegibilis; quae tamen non continetur in isto codice fol. 457, ut ibi erronee dixi, neque data fuit 5 febr. 1456; incipit vero ut ibi: *Qualibus fluctibus* etc.

(3) Iacobus Bussolini a Mozzanica, 1454-57.

(4) Ps. 21, 14.

(5) Sermo est de bulla *Ut sacra Ordinis Minorum religio*, diei 11 ianuarii 1446 (apud Wadding, an. cit. n. 4), a S. Iohanne Capistrano confecta et ab Eugenio IV comprobata, qua Observantes a Conventualibus quodammodo scindebantur. Fusius de hac lite cf. in B. Bernardini *Chronica*, 60ss., et Wadding, an. 1455, n. 43ss.

(6) C(odex) *penituet*.

(7) Dom. Card. Capranica.

ex eius zizania seminata pullulaverint alia verba nonnulla de P. V. in eiusdem non parvam infamiam in curia dicta, et quod ingnominia, multa disturbia et scandala suscitata sint. Conamur omnes, ut sotii, P. V. integritatem defensare.

Sed heu, Pater, heu loqui non audeo! Virtutum enim magnitudinem vincit terminorum magnitudo. Ex hiis gestum est ut, iudicio meo, non ea que prius loqui consueverat Sanctitas D. N. (1) *de vobis, amplius loquatur: dubitoque valde, et ex eius verbis elicio, quod [de] P. V. sibi* (2) *male relatum est* (3)*; quod molestius fero quam turbationem familie. Dubito valde, ne, nisi venies, P. V. famam suam recuperet; nullus nostrum sufficiet. Ex hiis apud Sanctitatem D. N. tanta est in familia indispositio, ut Ordinem unire vellet ovesque ad ovile reducere, ut unum sit ovile et unus pastor; quod multoties aliis, mihi autem bina vice replicavit: nec responsionem aut informationem a me habere passus est, ut ait, de rebus nostris plenissime informatus. Dubito, nisi iuvasset Deus, bullas aut revocasset in totum aut modificasset in partem. Omnia tamen velle se facere de consilio Fr. Iacobi de Marchia, asseruit dom. Firmanus. Ex eius parte habuimus, debere in scriptis dare inconvenientias que sequerentur ex subtractione bulle, eiusque cuiuscumque particule; P. Generalem dare articulos quos obiiciebat in bullam. Quia autem res huiusmodi machina quedam videbatur et preambulum quoddam ad compromissum, declinare volui, allegans hoc velle quoddam magnum negotium et ultramontane citramontaneque familie totam aggregationem; non posse a me predicta dare sine utriusque familie patrum notitia et assensu. Demum iterato nobis mandato de proponendis inconvenientiis huiusmodi, simul congregatis patribus qui mihi consilio sunt, visum est me eas dare debere. Collegimus quas elicere potuimus, coactique easdem in scriptis dedimus Protectori, non vice familie sed ut private persone, cum protestatione tamen quod nichil ex parte familie dabamus sed ut private persone, Sanctitatis D. N. mandato astricti.*

Inconvenientias nostras Sanctissimo D. N. Protector non dedit. Num autem articuli Conventualium [dati sint] ignoramus, sed verisimiliter credimus (4)*. Ex una interim habita audientia per Fr. Iacobum de Marchia sine me, quadam irrisione dixit Sanctitas D. N. sibi: « Estne confirmatus vicarius vester? ». Respondit: « Non a Generali sed ab apostolica auctoritate ». Subiunxit Papa: « Quomodo ergo statis? Nonne in peccato mortali? Oportet cavere a mortali ». Ex quibus verbis elicio sugestionibus Conventualium eum plenum esse. Deinde intromisso me et pedibus Sanctitatis Sue prostrato dixit: « Quid dicis, domine Vicarie? ». Respondi unico verbo: « Sanctitas Vestra mihi dixit pridie: 'Si quis turbaverit vos, turbabit semetipsum, et non dubitetis de aliquo'. Defixi anchoram spei mee*

(1) Scilicet Calixtus Papa III. Correctot quidam loco: *de vobis amplius* posuit: « *de ipso affare* ».

(2) Verbum *sibi* expunxit manus recentior. (3) C *esse*.

(4) Articuli praedicti tam Conventualium quam Observantium recitantur a Wadding, an. 1455, n. 48-75.

in ecclesia ut in verbo Yhesu Christi. Verum quia a nonnullis dicitur forte Sanctitati Vestre bullas nostras subreptitias esse, ostendemus, si S. V. dignetur audire, hoc verum non esse, licet hoc magis Apostolice Sedi conveniret definire ». Interrumpens verba mea dixit: « Scimus omnia, non opus est verbis ». Iam ante dixerat cardinali S. Marci (1), *quod Eugenius bullam istam nunquam viderat. « Nichil agam, dixit, sine consilio Fr. Iacobi de Marchia: ipse est consiliarius meus. Volumus quod sit ovile unum et unus pastor, unus grex ». Hoc verbum bina audientia michi replicavit. Dum autem verbo huic respondere vellem, preveniens dixit: « Non cures amplius ». Et verbum informationis a me aut ab alio nullum penitus unquam habere voluit, indixitque ut, diem post unam, dominus Firmanus cum Patre Generali coram ipso esset, ut causam hanc reciderent. Sugestione autem Fr. Iacobi, in absentia mea, dixit ut interessem et ego. Semper enim cum Fr. Iacobo et Papa et Firmanus, sine me, loqui voluerunt. In fine autem sermonis me intromiserunt. Credo autem (spe Fr. Iacobi ratione incesserit)* (2) *et sine dubio, quia nisi Fr. Iacobus interfuisset, bulle iam revocate essent. Dubito quoque quod, ex simplicitate, aliqua verba dixerit super quibus equivoce circumventus sit, que adversarii magno pro fundamento posuerunt, ut ex verbis Patris Generalis conieci. Quidquid sit, publice ferventer se habuit in causa nostra et indefesse, nisi his aliqua simplicitas verbalis derogaverit.*

Vocati autem statuta die a Sanctitate D. N., que fuit 17 presentis, post longam verborum seriem coram Protectore et P. Generali cum suo procuratore curie, ac me cum patre Fr. Iacobo de Marchia et procuratore nostro Fr. Bartolomeo de Porris, ad unitatem protendenti, ad hoc deventum est: ut in festo omnium Sanctorum proximo futuro, convocatis omnibus provincialibus vicariis et magistris et P. Generali in civitate Asisii, de bona ibidem insimul compositione tractetur (3), *quam, nisi acceperimus, Romanus Pontifex providebit. Quibus verbis perpendo quod de nostro damno geratur tueque Paternitatis infamia, quoniam de amotione clausule ex bulla tractari debeat, sine qua predicta compositio haberi non potest. Additum fuit per Sanctitatem D. N. quod interim bulla stet. Qua ex re, de omnium patrum assensu pariter et consilio, presentes ad te fratres micto concito gressu. Rogamus Paternitatem tuam discoperto capite flexisque genibus, ex quo prorogatus est terminus in quo familia famaque P. V. denigrari possunt, ad orfanos fratres tuos morti propinquos, nisi per talem iuventur medicum, preter quem non est in terris alius, venire dignetur. Advisando quod ideo terminus iste tam acceleratus est, (quam magis prorogari tanta instantia [vane] requisivimus), ut P. V. non adsit, ut P. Generalis proprio ore Fr. Iacobo de Marchia secretissime dixit. Qua ex re iterum, Pater, rogo et filiorum tuorum familie*

(1) Petro Barbo.

(2) Verba interclusa expuncta sunt a quodam posteriore scriba, qui epistolam hanc plurimis in locis revisit atque suo modo correxit.

(3) Iuxta breve apostolicum diei 19 iulii ipsi Fr. Baptistae a Levanto directum; ap. Wadding, an. 1455, n. 43.

et P. tue sempiternum obbrobrium ferre non velis. Amota enim quacumque particula aut clausula bullarum, compositione mutua aut auctoritate apostolica, per totum mundum infamabimur, in illa saltem particula a veritate regule deviasse.

Ideo Pater, spes nostra unica, huiusmodi ruine imminentique naufragio succurrere festina, quod nisi egeris, P. T. perpetuis temporibus ascribetur. Iamque enim dictum est: Fr. Iohannes de Capistrano cum paucis aliis bullas istas procuraverunt; [nunc] longinque existentes (1) *familiam in prelio dimictunt; compositionem ut obsessis, quibus non est succursus, accipiemus. Ideo Pater, iterum iterumque rogo rem audire et necessitati subvenire digneris meique miserere, licet immeriti sotii tui, cui tanta est parata confusio: me enim etsi retroactis temporibus servum semper habueris, ex hoc tamen perpetuis temporibus habebis ascriptitium. O utinam videres, Pater, lugentem familiam lugentesque filios omni auxilio destitutos, nisi tuo, in quo spes unica est, interim preveniatur. O Pater, que de P. V. dicuntur nunc a malivolis! O Pater, que filiorum tuorum erga P. tuam sinceritas et teneritudo; propriorum enim damnorum obliti, tue defensande fame pro ea se morti exponere omnibus cura est; evangelii illud P. V. arguent: « Qua mensura mensi fueritis metietur et vobis »* (2), *nisi filiis suis compassionem habueris quam eidem ipsi affectionem gerunt et devotionem. Heu, mi Pater, nunquid in totum mei, licet immeriti filii tui, oblitus es, tanto obbrobrio confusionique expositi? Coram Deo, a P. V. requiram quos unquam pro ea labores pertuli, nisi misereatur mei. Heu mi Pater, dux et auriga noster, ubi es? Quis nobis te abstulit? « Vineam de Egipto transtulisti; aper de silva eam exterminare festinat »* (3). *Iam enim habita est colligatio, ut, studere volentes ex nobis, in conventibus a guardianis conventuum foveantur* (4); *iam ut inter nos katedra conventualis et legens [et] audire volentes conventuales apud nos admittantur; iam ut saltem semel in anno minister provincialis provinciam quando vult [et] fratres nostros semel visitet; iam ut aut in totum auferatur vicarius generalis aut sine electione aliqua a Generali instituatur; iam ut in capitulis provincialibus et generalibus vocem habeamus, et huiusmodi quam plura.*

Hecne sine lacrimis leges, Pater, que sine lacrimis scribere nequeo? Hecne audiens apostolicum breve, quod malitiose iam impeditum est, etiam per nos quesitum expectabis? (5). *Nonne coram Deo Paternitatem tuam accusabunt, in conventus forte transmittendi ad reformandum, quos a seculo vocasti tot iuvenes, in te confisi? Nonne de P. V. irrisionem faciunt qui eandem [P. V.] divinam quasi adorant, perpendentes hoc principes seculares? Dicit P. V.: « Iuvetis vos litteris principum, quas tot in cella habeo quod asinus oneraretur ». Unam non vult videre Sanctitas D. N., et [si] de illa Regis Aragonum presentata aliquam indignationem susceperit, V. P. miraretur. De hiis autem nec plura. Rogo autem ut patri*

---

(1) Capistranus erat tunc in Alemania, nec amplius reversus est; attamen permultas expedivit litteras ad praelatos et magnates pro familiae defensione, editas a Wadding. an. 1455, n. 68ss. (2) Math. 7, 2.

(3) Ps. 79, 9, 14. (4) C *faveantur.* (5) C *expectaberis.*

Fr. Iacobo de Marchia rescribatis, regratiando ei de gestis, in [no]nulloque modo, ac ad perseverandum in favore familie exhortando. In eo tantum spes nostra est, quia in aliquo alio fidem devotionemque non habet Papa. Nunc autem, pater, sum ad tua vota paratissimus. Gratias Paternitati tue signari a Sanctitate D. N. nondum obtinere potuimus. Instabimus.

Ex sacro conventu Araceli, 18 iulii 1455.

P. V. immeritus filius Fr. Baptista de Levanto, immeritus Vicarius Cismontanus, propria manu, totus angustiatus et tribulatus.

A tergo: *Yhesus.*

Rendo. in Christo Patri Fratri Iohanni de Capistrano, Ord. Min., predicatori clarissimo, heretice pravitatis inquisitori (1).

22. — **Epistola altera Fr. Baptistae de Levanto ad Fr. Io. de Capistrano.**

Copia littere Rev. P. Fr. Baptiste de Levanto, Vic. Glis., misse Rev. P. Fr. Iohanni de Capistrano, in qua tanguntur etiam plura de periculo familie, ut in precedenti littera etc. — 1456, 5ª februarii (f. 457).

Enarrare, Pater, que post recessum Fr. Gabrielis de Verona (2) *ex Urbe contigere singula prolixum utique valde foret fastidiosumque, adeo ut eorum sola memoria contabescam. Post enim commissam Fr. Iacobo de Marchia a Sanctitate D. N.* (3) *causam nostram, confectosque ab eodem transmissos per Fr. Gabrielem articulos in eandem, tum demeritis nostris tum Fr. Iacobi simplicitate et qualitate, qui, inrequisito me et aliis compromissariis familie, pro libito suo et conscientia in hoc negotio semper processit; iam ante sugestionem tot in causa eadem supervenere varietates, ut iidem articuli penitus non sint. Tot difficultates et obscuritates circa eorum intellectum sunt quot P. V. perpendet. Si quid itaque in bulla nuper confecta* (4), *cuius transumptum P. V. transmitto, boni aut utilis aut grati est, Deo, Pape, dom. Protectori et Fr. Iacobo de Marchia*

(1) Fr. Alexander Ricci rescripsit hanc epistolam ex originali Archivi Conventus Capistrani. Cf. Chiappini, *Reliquie letterarie Capestr.* p. 208, n. 223.
Sequuntur in codice f. 452r-6r: « *Copia bulle Calixti revocantis bullas Eugenii* » quae incipit: *Illius cuius in pace;* Romae, 2 febr. 1456, Pontif. an. 1°; et bulla Pii II: *Pro nostra,* « confirmans bullas Eugenii », Romae 1458, 5 idus octobris, [11 oct.] Pontif. an. 1°. Utraque bulla apud Wadding, ad an. 1456, n. 129 et 1458, n. 20; ibique earum historia, et in B. Bernard. Aquilani *Chronica,* p. 64ss., 92ss.

(2) Vicarius Observantium Austriae et socius Capistrani qui, sicut ceteri Provinciales et Vicarii, vi brevis apostolici *Licet per alias litteras* diei 21 octobris 1455, primum Assisium deinde Romam petivit pro unione componenda inter Conventuales et Observantes; qui et praefatos articulos firmavit et in Austriam rediit. Cf. Wadding, an. 1455, n. 44ss. et 57.

(3) Calixtus III causam Observantium posuit totam in manu S. Iacobi Piceni, qui ad hoc novos articulos redegit, editos a Wadding, an. 1455, n. 60ss.

(4) Nempe bulla unionis *Illius cuius in pace* diei 2 febr. 1456, apud Wadding, hoc an. n. 129.

ascribatur, et sollicitudini compromissariorum qui mecum fidelissime laboraverunt; si autem e contra, non negligentie sed impossibilitati tantum. Peti[vi]mus petenda, renuenda renuimus, conquesti sumus ut potuimus, Apostolice Sedis obedientia reservata; si quid diminutionis est, quesivimus addi, si superflui amputari, si dubii declarari; sed quibus concurrentibus satis prorsus ignoro nisi demeritis, adeo contra nos modo insania, modo furor, modo precipitium, modo vis, modo simul omnia convenerunt, adeoque causa nostra quandoque declivis fuit, ut pro medietate, pro 5ª parte illius quod nobis hac bulla conceditur, libentissime cambassemus (1).

Defuit P. V. tam arduo discrimini; loco eius fuit Fr. Iacobus. Heu Pater, parcat Deus! Nunquam tale quid perpessa est familia. Octo mensibus sine interpellatione aliqua, continuo hoc martirio cum tot patribus tot subsannationibus perseveramus, derisui facti omni populo et curie. Pater Generalis (2) *indefessus bellator, modo per se modo per alium, ab eo nunquam destitit. Post multa causam nostram totam, quoad effectum, manibus dom. Protectoris* (3) *poni contigit. Is autem cum Fr. Iacobo, ut eis visum est, inrequisitis nobis, omnia determinarunt, priusquam in consistorio bulla lecta fuit quam de ea nobis aliquid significaretur; postquam cum lecta fuit, aliquid iudicio meo mutatum est. Quia autem nobis hoc certamine cuncta adversata sunt, ut ex debito tenebamur, apostolicis sanctionibus, quoad omnia nos subiecimus humiliter; credimus autem, ex humilitate nostra, Curiam nobis et etiam Protectorem aliquantulum benivolos effecisse.*

Futuro autem Mediolani capitulo generali, a futura Pentecoste ad annum, quo ibi posset V. P. interesse (4), *videbimus quid erit; nam valde dubito ne in familia aliquid novitatis sit. Malitie hominum infinite, recogitationesque profunde, inscrutabilia hominum corda. Non audeo amplius dicere, ut P. V. veniat: accessus etenim vester apud nos modicam spem causat. Utinam tamen desuper datum foret P. V. adesse posse* (5): *recuperaretur forte quod amissum est: sed peccatis meis, tempore meo, id videre non spero. Fiat voluntas Domini.*

Nunc autem multipliciter occupatus in expeditione transumptorum habitarum bullarum non valeo multum scribere. Provincie vestre, quoad Aquilam, de bono predicatore providi. Si hac 40ma predicare potuissem, intuitu P. V. egomet interfuissem. Fr. Franciscus autem de Aragonia quem illuc deputari, acceptissimus modo est (6). *Si quid ulterius aliquid P. V. me facere voluerit, ut filio familiariter ad vota committat. Quidquid boni habemus, aut e converso, laudetur Deus, a curia est.*

Ex Urbe, 5 februarii 1456.

---

(1) Italice: idest *cambieremmo.*

(2) Iacobus Bussolini da Mozzanica.

(3) Card. Dominicus de Capranica.

(4) In margine: « Capitulum Mediolani 1457 ». (5) C *posset.*

(6) In margine notatur: « 1456 predicator Aquile Fr. Franciscus de Aragonia senior »; de quo in AFH IV, 325, 331.

Fr. Iacobus de Marchia Spoletum ivit predicaturus, primas (1) *Bononiam; Fr. Marcus de Bononia Papiam. Familia pur* (2) *in hoc certamine tota fidelis fuit. Mitto P. V. transumptum bulle atque Vicario Provincie Austrie et Ungarie* (3). *Cruciate negotium partibus hiis tepidum perseverat.*

V. P. Fr. Baptista de Levanto, immeritus Vicarius Gnlis, manu propria subscripsi.

A tergo: *Yhesus.*

Rev. in Christo Patri Fr. Iohanni de Capistrano Ord. Min., Predicatori clarissimo et Nuntio apostolico (4).

23. — Vicarii Generales Observantiae Cismont. usque ad an. 1495.

Vicarii Generales nostre familie [Observantie] Cismontane ab anno 1438 usque 1495 (f. 675 r-7 v).

1. — *Pater et sanctissimus Bernardinus primo in anno 1438 fuit electus Vicarius Generalis a Rmo Patre Generali Guillelmo de Casali in tota familia cismontana: quem Vicarium ipse Eugenius IV confirmavit, ut patet in sua bulla, ubi inserta est lictera ipsius Generalis, prout hic scribitur fol. 237 r* (5). *Et fecit Ordinationes ut in f. 239* (6). — *Idem Rmus P. Generalis Guillelmus de Casali instituit suum Generalem Vicarium Fr. Iohannem de Capistrano circa fratres de Observantia in tota Italia in an. Dom. 1441, prout patet in sua lictera seu obedientia posita hic-supra f. 242* (7). — *Item in anno predicto Generali Guillelmo et per SS. D. N. Papam Eugenium capitulum generale fore celebrandum Padue, ubi convenerunt 93 voces* (8); *qui omnes consenserunt in Fratrem Rev. P. Albertum de Sartiano, quem dominus Pontifex confirmavit in Generalem Ministrum, prout hic patet in bulla ipsius Eugenii, f. 243, data in an. Dom. 1442* (9). — *Hoc etiam in anno, non acceptato in Ministro Generali ipso Fr. Alberto, predictus Eugenius misit suum Commissarium Apostolicum Fr. Iohannem de Capistrano*

(1) Sic C; legendum videtur: *prius*.

(2) Vox italica, i. e. *etiam*.

(3) Idest Gabriel Veronensis, cui mittitur transumptum bullae *Illius cuius in pace*, supra, p. 289, n. 1, citatae.

(4) Fr. Alexander Ricci hanc et praecedentem epistolam ex originalibus exemplavit, quae tamen non sunt eaedem ac illae quas recensui in *Reliquie lett.* p. 240, n. 393, 394, ubi et aliae litterae notantur Fr. Baptistae de Levanto sub n. 361, 392.

(5) Bulla *In vinea Domini* 1 sept. 1438, apud Wadding, an. 1438, n. 6; ex *Reliquiario Capistrani*, n. 20.

(6) Incipiunt: *Volens mihi*, etc.; cf. n. 17, p. 94, in nota 3.

(7) Incipit: *Familia Fratrum; cf. Reliq. lett. Capistr.* n. 99, p. 182.

(8) Idest 93 patres vocales pro electione Ministri Generalis. In margine scribitur: « S. Bernardinus non dedit vocem ». Cf. B. Bernardini, *Chronica*, 29ss.

(9) Bulla *Ordo vester*, 20 augusti 1442; ex *Reliq. Capistr.* n. 24; Wadding, an. 1442, n. 5.

ultra montes, ut reformaret et visitaret illos, prout patet in bulla que hic est in f. 246 v, an. Dom. 1442 kalendis septembris (1).

2. — *Facto namque Generali Ministro (ex quo fratres noluerunt Fr. Albertum) Rmo patre Fr. Antonio de Rusconibus, qui, ut Deo placuit et Ministro Generali et multis patribus ministris provincialibus et magistris, ipse P. Generalis fecit suum Generalem Vicarium patrem Fr. Iohannem de Capistrano quoad familiam cismontanam, ut patet in sua obedientia hic descripta f. 250, an. Dom. 1443* (2). — *Ex quibus clare patet quod primus Vicarius Gnlis nostre familie fuit B. Iohannes de Capistrano quoad familiam cismontanam post S. Bernardinum, qui prius fuit ipse sine tempore, sed puto quoadusque vixerit Guillelmus de Casali vel etiam usque ad electionem istam, puta ab an. Dom. 1438 usque 1443. Unde Papa Eugenius instituit ipsum Fr. Iohannem de Capistrano Vicarium Generalem cismontanum per triennium, prout constituerat illum suum Vic. Generalem ipse Rmus dominus Generalis Antonius de Rusconibus, prout patet in sua lictera supradicta an. Dom. 1443; quam licteram Eugenius in sua bulla de verbo ad verbum inseri fecit. Et bulla Eugenii est hic f. 255, data an. Dom. 1443* (3). — *Prenominatus Summus Pontifex Eugenius an. 1445 concessit R. P. Vic. Gen., videlicet Iohanni de Capistrano, quod in anno sequenti posset celebrare cum vicariis provincialibus capitulum generale, ubicumque voluerit, videlicet an. Dom. 1445, ut patet in bulla rescripta hic f. 278 r* (4). — *Infra istum triennium B. Iohannes predictus fecit Ordinationes familie in loco sacro Alvernie, prout hic scribuntur f. 258 r* (5).

3. — *Tertius Vicarius fuit R. P. Fr. Iacobus de Primatitiis de Bononia, qui fuit electus in an. 1446 circa festum Pentecostes in sacro loco S. Marie de Araceli. Et fuit primum Capitulum generale ibidem positum per R. P. Fr. Iohannem de Capistrano, prout Summus Pontifex Eugenius IV sibi bullam fecerat in an. 1445* (6). *Qui etiam R. Vicarius Iacobus de Primatitiis ibidem fecit Ordinationes in an. 1447 die 10 augusti, prout hic habentur f. 316 r* (7).

4. — *Quartus Vicarius in ordine Vicariorum fuit reelectus secunda vice R. P. Fr. Iohannes de Capistrano in loco Boschi Muselli in Provincia Tuscie prope Florentiam. De quo loco P. Generalis removerat dictum capitulum celebrandum; quod perveniens ad aures Summi*

---

(1) Incipit: *Iniuncti nobis oneris.* « Bulla est in Capistrano n. 29 correcta cum Fr. Francisco de Balneo ». Ita de Riciis, et revera adest in *Reliq. Capistr.* nunc n. 27.

(2) Bulla *Cum pridem*, 13 iulii 1443, ex *Reliq. Capistr.* n. 101, edita a Wadding, an. 1443, n. 5.

(3) Incipit: *Fratrum Ordinis Minorum*, 1 augusti 1443; edidit Wadding, an. 1443, n. 7, ex *Reliq. Capistr.* n. 32.

(4) *Regimini universalis Ecclesiae*, 31 octobris 1445, apud Wadding ex *Reliq. Capistr.* n. 42. (5) Cf. Chiappini, *La produzione letteraria*, p. 81.

(6) Praefata bulla *Regimini univ. ecclesiae* etc. (nota 4).

(7) Capitulum celebratum fuit 1446, eiusque Constitutiones ediderunt De Gubernatis, *Orbis Seraph.* III, 108, et *Chronol. hist.-legal.* I, 115. Cf. AFH IV, 123.

Pontificis Nicolai V, misit breve ipsi Generali, ne impediret celebrationem dicti capituli; et sic celebratum ibidem fuit nostrum 2m capitulum generale, ubi Rev. dominus P. Iohannes de Capistrano fuit electus 2a vice Vic. Gen. in an. 1449, prout patet in licteris Pontificis et Rev. P. Generalis Fr. Angeli de Perusio, hic descriptis f. 317r (1). — *Qui R. Pater* [*Io. de Capistrano*] *facta canonizatione S. Bernardini, cum obedientia SS. D. N. Pape Nicolai transivit ad Alemannos in an. 1451 post quadragesimam in qua predicavit Venetiis; relinquens in suum Vicarium Generalem seu Commissarium R. P. Fr. Marcum de Bononia. Qui anno sequenti, scilicet 1452, posuit Capitulum generale celebrandum fore in loco S. Iuliani apud Aquilam.*

5. — *Quintus Vicarius Generalis nostre familie fuit R. P. Fr. Marcus de Bononia, qui fuit electus in capitulo generali celebrato in an. Dom. 1452 circa festum Pentecostes in loco devoto S. Iuliani. In quo capitulo fecit Ordinationes, prout hic descripte sunt, f. 435r et 438* (2), *scribens B. Iohanni de Capistrano in Alamania an. Dom. 1453* (3).

6. — *Sextus Vicarius Generalis fuit R. Fr. Baptista de Levanto electus post Fr. Marcum predictum an. Dom. 1455 circa Pentecostes, prout patet sua lictera, missa R. P. Fr. Iohanni de Capistrano hic inserta f. 450 et 457* (4). *Et hoc capitulum puto fuisse celebratum Bononie, ut dicit Barnabas* (5).

7. — *Septimus Vicarius Generalis fuit R. P. Antonius de Monte Falco electus in an. Dom. 1457* (6), *et obiit anno 1458* (7); *remanens eius Commissarius Fr. Baptista de Levanto. Et anno predicto vel sequenti fuit celebratum aliud capitulum Rome, ut mihi videtur* (8).

8. — *Octavus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr. Ludovicus de Vicentia, electus in capitulo de Ausmo celebrato an. Dom. 1461, prout patet in proemio Constitutionum reductarum sub brevitate, ubi dicitur sic in fine prohemii: Prefata congregatio generalis fuit facta ac celebrata apud Ausmum in loco Annuntiate an. Dom. 1461 die 6 maii* (9).

---

(1) Folio citato adducitur: « Copia littere magistri Angeli generalis [fratri Iacobo de Primaticiis], in qua insertum est breve Pape Nicolai 5i, que incipit: Pridie, videlicet 1 ianuarii 1449 mihi consignatum extitit unum breve ex parte S. D. N., cuius tenor de verbo ad verbum talis est: « Dilecte fili sal. et ap. benedictionem. *Significatum est nobis etc.* ... Romae 12 nov. 1448 ». Epistola haec Ministri generalis data est Mediolani die 2 ianuarii 1449, ita subscripta: « *Fr. A. qui subscripsi. Visa. Manu propria* ».

(2) Iam editae. Cf. supra, 95, nota 3.

(3) Epistola quam dedimus sub n. 19; supra, 95-8.

(4) Edidimus supra n. 21-22, p. 285-91.

(5) Fr. Barnabas Aquilanus laicus. De capitulo Bononiae celebrato, 24 mai 1455, cf. AFH XV, 18s.; IV, 134. (6) C errate *1459*. Cf. l. c. IV, 135.

(7) C *1460*, sed errat; cf. AFH IV; 136.

(8) « 84 capit. generale ad instantiam domini Papae celebratum est Rome in Araceli, anno Domini 1458 ». Cf. l. c. IV, 136.

(9) F. 461r.: « 1461 fuerunt facte Constitutiones breves in loco Osme prout ibidem patet. Vide illas ». Editas invenies in *Chronol. hist.-leg.* I, 125s.; De Gubernatis, III, 115; ap. AFH XVI, 496-506. Cf. AFH IV, 134.

9. — *Nonus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr. Marcus de Bononia secunda vice, in capitulo generali in S. Maria de Angelis, quando fuit creatus et electus minister generalis Franciscus de Sagona, qui fuit postea Papa Sixtus [IV], in Perusio. Ubi ipse noster Vicarius Fr. Marcus misit de S. Maria pro processione ornanda domini generalis Ministri circa 400 fratres, inter quos ego abii* (1). *In qua processione predicavit R. P. Fr. Michael de Mediolano in platea Perusii. Ubi etiam aderat R. P. Fr. Iacobus de Marchia, quem in dicta processione ipse P. Generalis posuit ad manum dexteram, ut vidi propriis oculis. Et hoc fuit in an. Dom. 1464, tempore Pentecostes* (2).

10. — *Decimus Vicarius Generalis fuit supradictus R. P. Fr. Baptista de Levanto, secunda vice, electus in Mantua: qui obiit in anno 1469. Quare post ipsum ... Commissarius remansit Fr. Iacobus de Corneto* (3).

11. — *Undecimus Vicarius Generalis fuit idem Pater et Rev. Marcus de Bononia 3a vice, electus in loco Bulsene, ut mihi videtur, in an. Dom. 1469, tempore Pentecosten, usque ad annum 1472* (4). *In quibus annis habemus litteras obedientiales missas Patri Fr. Seraphino de civitate Thetis ut predicaret in Apulia, prout fecit* (5).

12. — *Duodecimus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr. Angelus de Clavasio prima vice; qui fuit electus post triennium domini P. Fr. Marci, videlicet an. Dom. 1472, die 15 madii, in loco S. Bernardini de Aquila, tempore translationis ipsius sancti; et per triennium stetit in officio vicariatus, videlicet usque ad an. 1475. Ubi facte fuerunt Ordinationes prout hic f. 580* (6).

13. — *Tertius decimus Vicarius Generalis est et fuit R. P. Fr. Petrus Neapolitanus, qui fuit electus in an. 1475, in capitulo Neapolitano; et fecit suas Ordinationes, prout patet in hoc volumine f. 592* (7).

14. — *Quartus decimus Vicarius fuit idem R. P. Fr. Angelus de Clavasio, 2a vice, electus in capitulo Papie celebrato an. Dom. 1478. Et fecit certas Ordinationes, prout patet hic f.* (8), *et in Regula nostra, scilicet in alio volumine, f. 321* (9).

---

(1) Intellige Fr. Al. Ricci, sicut diximus in AFH XX, 315.

(2) AFH IV, 318; *Chronol.* I, 135; De Gubernatis, III, 116.

(3) Capitulum Mantuanum celebratum fuit an. 1468. Cf. AFH IV, 319s.; diffusius B. Bernardini, *Chronica*, 105ss.

(4) Ita est; cf. AFH IV, 320; Chronol. I, 13 etc.

(5) Cf. Wadding, an. 1460, n. 47; litteras vero praedictas nullibi inveni.

(6) De quo capitulo iam sub n. 2: AFH XX, 323-5. Quoad Constitutiones haec tantum ponuntur a de Riciis in fol. citato: « Constitutiones facte Aquile in anno domini 1472, tempore electionis Rev. P. Vicarii Angeli de Clavasio, que tales habentur prout in nostra Regula ponuntur, fol. 318 ». Leguntur vero apud *Chronol.* I, 138; De Gubernatis, III, 121.

(7) F. 592r. tantum legitur: « Constitutiones facte Neapoli tempore vicariatus Rev. P. Fr. Petri de Neapoli 1475, ut in nostra Regula, fol. 331 ». Eas edidit De Gubernatis, III, 123s.; *Chronol.* I, 139s.

(8) Deficiunt in C, quia ibi desunt folia 598-643 ad annum respondentia; editas tamen invenies a De Gubernatis, III, 124; *Chronol.* I, 140s.

(9) Hoc opus deperditum noviter citatur f. 596: « Fratres possunt celebrare ante auroram, prout in littera P. Fr. Iacobi de Gello tunc commissarii

15. — *Quintus decimus Vicarius Generalis fuit idem P. Fr.* ***Petrus de Neapoli****, 2ª vice; qui electus fuit in capitulo* ***Ferrariensi*** *in an. Dom. 1481, circa Pentecosten. Ubi facte fuerunt* ***Ordinationes****, prout hic patet f.* (1), *et in alio volumine, scilicet in* ***Regula nostra*** *in principio.*

16. — *Sextus decimus Vicarius Generalis fuit idem supranominatus R. P. Fr.* ***Angelus de Clavasio****, 3ª vice; qui in capitulo sacri montis* ***Alvernie*** *fuit electus an. Dom. 1484* (2).

17. — *Decimus septimus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr.* ***Iohannes de Sigestro****, electus in S. Maria de Angelis an. Dom. 1487, circa festum Pentecosten* (3).

18. — *Decimus octavus Vicarius Generalis fuit idem R. P. Fr.* ***Angelus de Clavasio****, 4ª vice et ultima; qui electus fuit in loco* ***Urbini*** *an. Dom. 1490. Ubi facte sunt* ***Ordinationes****, prout hic videre poteris f. 649* (4).

19. — *Decimus nonus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr.* ***Evangelista de Perusio****, qui fuit electus in capitulo* ***Florentie*** *celebrato an. Dom. 1493, sexta feria ante Pentecosten incepto; sed Domino permictente, eodem anno obiit in loco* ***Ragusii****, visitando provincias. Ubi facte sunt* ***Ordinationes****, ut hic f. 651r* (5).

20. — *Vigesimus Vicarius Generalis fuit R. P. Fr.* ***Ieronimus Tornielius de Novaria****, qui electus fuit in capitulo* ***Aquilano****; quod capitulum concessum fuerat in capitulo Florentie per omnes patres, exceptis 4ºʳ vocibus. Et sic debebat, si vixisset, dominus P. Fr. Evangelista* [*esse*] *in an. 1496; sed preveniente morte anno primo, sic per suum et apostolicum Commissarium P. Fr.* ***Seraphinum****, tunc vicarium Provincie* ***Ragusii****, determinatum fuit celebrare dictum capitulum in loco iam determinato, videlicet S.* ***Bernardini de Aquila*** *in an. 1495, in et circa festum Pentecosten. Ubi facte fuerunt* ***Ordinationes*** *capituli generalis, ut hic f. 652v* (6); *et* ***Ordinationes*** *capituli provincialis per dictum R. Vicarium Generalem, ut hic f. 653v* (7).

---

in Curia Romana in anno Domini 1476 die 29 maii, ubi sic habetur et in nostra Regula, f. 332. — Copia brevis Pape Sixti IV, ne conventuales recipiant fratres nostros, dati 1475, cuius copia inserta est in littera R. P. Vicarii, require in nostra Regula. f. 300 ». Cf. AFH XX, 563.

(1) Num. foliationis deest, ratione quam diximus p. 294, nota 8. Constitutiones citatae apud *Chronol.* I, 141; De Gubernatis, III, 126s.

(2) Cf. AFH IV, 328; *Chronol.* I, 143; De Gubernatis, III, 129s.

(3) AF II, 504; AFH IV, 329 etc.

(4) L. c. hoc tantum legitur: « Ordinationes facte in capitulo Urbini presente P. Fr. Angelo de Clavasio 1490. Habentur etiam in Repertorio nostro, f. 39 ». Editae penes De Gubernatis, III, 133; *Chronol.* I, 145s.

(5) Cf. AFH IV, 331s.; *Chronol.* I, 146; De Gubernatis, III, 134.

(6) « Infrascripte sunt ordinationes facte in Capitulo generali Aquile 1495 die 10 iunii, celebrato tempore R. P. Fr. Ieronimi Tornielli prima vice sui vicariatus, videlicet: *Primo quod quelibet provincia* etc. », ut in *Chronol.* I, 146s.; De Gubernatis, III, 135. (7) Dabimus sub n. 29.

24. — **Erectio Monasterii S. Clarae Aquilae** [1].

Copia instrumenti pro monasterio S. Eucharistie de Aquila et commutatione illius monasterii, quod prius fuit de Ord. Predicatorum (f. 311-2).

In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate Domini 1447, indictione X, die vero Veneris, 2ª [die] mensis iunii, pontificatus Smi. D. N. D. Nicolai, digna Dei providentia, pape V, anno Iº.

Universis et singulis presens publicum instrumentum inspecturis notum sit, quod constitutis in presentia Rmi in Christo patris et D. D. Iohannis de Turre Cremata, miseratione divina, tituli S. Marie in Transtiberim, S. Sisti vulgariter nuncupati, sacrosancte R. Ecclesie dignissimi presbiteri Cardinalis, et in presentia mei publici notarii infrascripti, prefatique Rmi D. Cardinalis secretarii, et in presentia testium infrascriptorum ad hec infrascripta specialiter vocatorum, habitorum et rogatorum: Rev. in Christo Patre et D. D. Amico, episcopo aquilano, ac venerabilibus et religiosis viris dominis Fr. Iohanne de Capistrano, Ord. Min., devotorum locorum et Fratrum Provincie Pennensis Vicario [2], *ac Fr. Leonardo de Roma, Ord. Predicatorum, vice procuratore:*

Idem D. Episcopus et Fratres narraverunt et exposuerunt quod in civitate Aquile, quoddam monasterium olim constructum et hedificatum fuit sub vocabulo Corporis Christi, tempore fel. rec. Clementis Pape VI, per spettabilem militem D. Iohannem Iacobi dicti Gallioffi et alios heredes dicti Iacobi, ex testamentaria dispositione ipsius Iacobi, in locali de S. Victorino, cum ecclesia, campanili, campana, claustro, hospitali, ortis, ortalitiis et aliis necessariis officinis, iuxta rem heredum dicti Iacobi, vias publicas, ceterosque confines; in quo Virgines Deo dicate et alie honeste mulieres Deo servientes, et pro predecessorum et successorum dicte domus, abinde de Gallioffis nuncupate, animabus salvandis preces Deo porrigerent et orarent. Ex quo predictus D. Iohannes de Gallioffis et alii coheredes prefatum monasterium in eorum proprio solo, suis etiam sumptibus et expensis constructum, erectum et hedificatum sufficienter dotaverunt; curamque eiusdem monasterii, ecclesie et hospitalis cuidam tunc D. Paulo, electo Episcopo aquilano [3], *devote et humiliter submiserunt, reservato eidem et successoribus dicte domus iure patronatus. Et de voluntate et ad petitionem et instantia dictorum patronorum pre-*

---

[1] Monasterium hoc diversum est ab alio vetere monasterio Clarissarum sub vocabulo S. Mariae iuxta fontes de Aquilis, postmodum S. Clare appellatum; ubi nunc, retento eodem titulo, Minores Capulati morantur. De quo cf. Muratori, *Antiq. Ital.* VI, 520; *Bull. Franc.* II, 518, p. 367s. et bullas 30 april. 1445 et 27 maii 1450; Chiappini, in *Guida Annuario regionale d'Abruzzo e Molise*, Forlì 1928, ad vocem Aquila (« Francescanesimo Aquilano »).

[2] In margine scriptor adnotavit: « Vicarius provincie Fr. Io. de Capistrano », nempe an. 1417.

[3] Paulus domini Rainaldi de Baczano, electus episcopus Aquilanus die 30 martii 1349. Cf. Muratori, *Antiq. Ital.* VI, 958s.

fatus D. Paulus, electus Episcopus aquilanus, disposuit et ordinavit, moniales recipiendas et profexuras in dicto monasterio suscipere debere habitum et regulam ordinis Fratrum Predicatorum, videlicet habitum monialium monasteriorum subiectorum dicto ordini, sicut et habitus monialium monasterii de Annuntiata de civitate Aquile; et quod in monasterio predicto nulla monialis recipi deberet, nisi esset presentata per eosdem patronos et eorum heredes et successores; et quod etiam gubernatio, visitatio et correctio earundem monialium non deberent fieri nisi de voluntate consilio et assensu dictorum patronorum. Et prefatus D. electus Episcopus pro se suisque successoribus promisit eisdem patronis bene regere et gubernare dictam ecclesiam, monasterium et hospitale, et in nullo opprimere vel gravare, et nichil exinde recipere, exigere vel extorquere contra voluntatem dictorum patronorum, priorisse et monialium ibidem existentium, nisi tantummodo unam libram de cera annuatim in festo S. Maximi solvendam, quamquam prius papa Benedictus XI omnia monasteria monialium Ordini Predicatorum commissa, tam presentia quam futura, ab omni censu, iurisdictione, presentatione et solutione totaliter exemerit effeceritque immunia (1).

Nunc autem quia predictum monasterium adeo declinavit quod in eodem una sola monialis existit, cupiens inde ad aliud monasterium transmigrare, de comuni concordia, voluntate et assensu tam prefati R. D. Episcopi Aquilani (2) *quam dicti Fr. Leonardi, nec non magnificorum spectabilium virorum D. Petri Lalli, militis de Camponischis, D. Antonii Baptiste, militis de Gallioffis, et Gallioffi de Gallioffis ad quos iure hereditarie successionis predicti monasterii, ecclesie et hospitalis ius dicti patronatus asseritur advenisse: prefati R. P. D. episcopus et fratres Iohannes et Leonardus, ad talem, ut sequitur, conventionem devenerunt, videlicet: Quod omnes et singuli redditus et proventus dicti monasterii applicentur conventui S. Dominici civitatis Aquilane pro hedifitio et fabrica ipsius ecclesie S. Dominici de Aquila; et quod prefatum monasterium monialium cum pertinentiis eiusdem transferatur ad ordinem S. Clare, Sedi Apostolice immediate subiectum, et quod submictatur Ordini Fratrum Minorum sub regimine et gubernatione et correctione Vicarii Fratrum Provincie Pennensis, qui de observantia Minorum nuncupantur; et quod ad presens consignetur Venerabili D. Antonie de Florentia profexe Tertii Ordinis S. Francisci, ibidem tamen intendenti profiteri primam regulam S. Clare, recipienti pro se et pro usu et habitatione sua et sororum Eufrossine, Gabrielle et Ieronime de Tuderto, Francische de Asisio, Iacobelle de S. Iohanne Rotundo, Clare, Iacobe, Elisabeth, Ludovice, Angele, Cecilie, Agate et Lucie de Aquila, prefati Tertii Ordinis profexarum et predictam primam regulam S. Clare in-*

(1) Historiam huius monasterii accurate narravit N. F. Faraglia, *Il monastero di S. Chiara dell' Eucaristia in Aquila detto della B. Antonia di Firenze* in *Bollettino della Soc. di storia patria negli Abruzzi*, Punt. XXII, an. 1909, p. 57-72.

(2) Amicus Agnifili de Rocca de Medio.

tendentium profiteri (1). *Et quod pro recompensatione iurisdictionis et census prefati D. Episcopi Aquilani, tradatur, detur et concedatur eidem D. episcopo pro suo episcopatu recipienti quoddam pratum situm in loco ubi dicitur Interveris, iuxta rem D. Colutii Antonii Iohannis de Valle de Paganica et Blasii Amici Petri Ricci de Collebrincono* (2), *et Antonii Framaczantis de Paganica, et si qui sunt veriores confines. Et quod omnia et singula alia bona mobilia et stabilia, que fuerunt dicti monasterii, ecclesie et hospitalis, vendantur et pretium eorum expendatur in fabricam et hedifitium dicte ecclesie S. Dominici.*

[**Proprium Sanctorum**], f. 243. — In vigilia S. Andreae. *Inc.* Dominus secus. — (Desideratur S. Clara); f. 301r. In natali S. Francisci.... *Rubr.* Infra octavam et ipsa die octave fit idem officium quod in die, excepto quod infra octavam cantatur Introitus *Os iusti.* De festivitatibus vero que infra oct. veniunt, nichil tunc agitur, sed post octavam celebrantur. — F. 307r. In S. Elizabeth. Oratio. *Tuorum.*

[**Commune Sanct.** et Misse votive], f. 309r: Incipit Comm. Sanctorum de missali. In vig. unius apost. (ob folia ablata desiderantur officia virg., vid. et partim Dedicationis; f. 376v. Plures exhibentur toni et cantus Kyrialis; f. 378r. *Rubr.* Exorcismus salis. *Inc.* Adiutorium. = Iam breviter descripsit codicem *Catalogue of Additions to the manuscripts in the British Museum, in the years MDCCCC-MDCCCCV,* London 1907, 159-60.

6. — Missale franciscanum Montense (1).

Codex in Museo Britannico servatur hodie sub **Harley, n. 2967,** antea sub **Harley, n. 108. G. 8;** ligatura ex marochino rubro est moderna; origine constabat tabulis ligneis, quod vestigia repagulorum probant.

(1) Mons, civitas capitalis Hannoniae in regno Belgarum.

Congestum est volumen ex ff. 285 membraneis, mm. 212×143; initio et fine adest fol. chart. ad custodiam. Pro more librorum liturgicorum singulae paginae binas habent columnas. Opus totum conscriptum est unica et quidem nitida manu circa finem saeculi XV (desideratur festum 5 Protomartyrum Ordinis Minorum Cismontanis impositum in capitulo Montislucis ann. 1481) tum atramento pro textu sacro, tum minio rubro pro rubricis. Haec notanda; f. 1 additur: « *21 Iune 1715* » (id est tunc MS. acquisitum fuit); f. 282r: « *Innocentius Rome apud S. Petrum anno Incarn. MCCCC octuagesimo octavo, Idibus maii pontificatus sui anno quinto* ». = De MS. iam egimus apud *Franciscana*, IV (1921), 249-55.

Mirae artis picturas, quas miniaturas et illuminationes vocant, continet volumen, ideoque inexspectatum est quod desideratur apud: J. W. Bradley, *A dictionary of miniaturists, illuminators and copyists*, London 1887. In arabescis pluries repetuntur insignia Antonii, filii naturalis Philippi Boni, ducis Burgundiae cum effato: « *Nul ne si frotte* ». (De quo cf. v. gr. *Revue d'hist. francisc.* I (1924), 362, 500). — Hae optimae sunt picturiolae: S. Bernardinus Senensis elevata manu solem gloriae cum tetra grammate exhibens (f. 198v); S. Antonius de Pad., cum palma in dextra et libro in sinistra (f. 200v); S. Clara abbatialem baculum tenens (f. 208r); S. Ludovicus episc. habitum franciscalem gestans, dextera manu actum renuntiationis regno exhibens (f. 210); Franciscus stigmatizatus (f. 214v); S. Elisabeth Hung. in habitu III Ordinis (f. 218r). — Circa ipsum textum notasse sufficiat:

[**Kalendarium**], f. 2r-9v. — Februarius. 8, Officium defunctorum pro fratribus et benefactoribus nostris in crastino LXX celebratur. — Iulius. 14, Vincentii Scenogiensis (1), conf. IX. — 17, Alexii conf. — 19, Officium defunctorum fiat pro hiis qui in cimiteriis nostris sunt sepulti. — Augustus. 4, Stephani p. et m. IX; Dedicatio de Portiuncula, maius. — September. Dom. infra oct. Nativ. B. Marie. Dedicatio ecclesie fratrum Minorum Montensis. — 28, Officium defunctorum generale. — 30, Hieronimi presb. et conf., maius. — October. 11, Octava S. Francisci, maius. — November. 7, Translatio beati Ludovici ep. et conf., maius. — 28, Officium generale pro patribus et matribus fratrum. — December. 8, Conceptio b. Marie, maius. — f. 9ra. *Rubr.* Sequitur exorcismus aque. Gloria in excelsis. Credo. Sequuntur ff. 3 alba relicta, ideoque:

[**Proprium de Tempore**], f. 10r *incip.* mutil. Verba autem mea non transibunt. (finis evangelii dom. I adventus). — Initium Canonis sicut et priores partes officii Paschatis, Pentecostes, Ss. Trinitatis desiderantur, evidenter ob deficientiam pictoris.

[**Proprium Sanctorum**], f. 185r *incip.* mut. Dico vobis. (S. Andreae).

---

(1) Senogium, vulgo *Soignies*, civitas est Hannoniae. S. Vincentius ibi florebat saec. VII; AA SS. April. II^3, 484.

[**Commune Sanctorum**], f. 225r. *Rubr.* Incipit commune Sanctorum de Missali. In vigilia unius Apostoli... In Missa defunct. desideratur sequentia *Dies irae.*


F. 274s. Sequitur series **prosarum**. In nativ. Domini. *Letabundus* (*Rep. hymnol.* n. 10012). — In Epiph. *Epyphaniam Domino canamus* (ibid. n. 5497). — In Pasch. *Victime paschali laudes* (n. 21505). — In Ascens. *Rex omnipotens, die hodierna* (n. 17479). — In Penth. *Veni S. Spiritus* (n. 21242). — In festo Ss. Trin. *Benedicta semper sancta sit* (n. 2431). — In festo Corp. Christi, *Lauda Syon* (n. 10222). — In Assumpt. B. M. *Arca virgo prime matris* (l. c. deest). — De Beata M. V. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum virgo* (n. 1879). — *Ave mundi spes Maria* (n. 1974). — *Verbum bonum et suave* (n. 21343). — *Virginis Marie laudem intonent* (n. 21688). — In festo S. Antonii. *Olim mundo minoratus* (n. 14026).

Marchiae in Belgio.

(Continuabitur). P. HUGOLINUS LIPPENS, O. F. M.



BIBLIOGRAPHIA



— — *Saint François d' Assise. Son œuvre, son influence 1226-1926. Préface de S. E. le Cardinal* DUBOIS. *Crayon hors texte de* BERNARD NAUDIN. [*Publié sous la direction de* **Henri Lemaître** *et* **Alexandre Masseron**]. — Paris, Editions E. Droz, 1927. — In-4°; 323 pp. — (150 Fr.).

Volumen hoc formae maioris (in-4°; ctm. 33×25,05), typis item grandioribus non sine luxu impressum, occasione VII Centenarii S. Assisiatis prodiit, curantibus H. Lemaître (qui director est periodici: *Revue d'hist. francisc.*) et A. Masseron. — Praefationem (5-7) dictavit Em.mus Cardinalis Parisiensis Ludov. Dubois. — In volumine collectae prodeunt 11 dissertationes, attentionem nostram efflagitantes, licet nihil reapse novi circa ipsum S. Franciscum exhibeant, cuius praeconia, merita, influxum varium a se et a suis exsertum celebrant, explicant, exponunt. — Frontispicium est S. Francisci facies penicillo B. Naudin expressa iuxta statuam Donatelli in ecclesia S. Antonii Patavii exstantem. Eiusdem penicillus adumbravit quoque aspectum exteriorem (haud accuratum) basilicae S. Francisci Assisiensis (5) atque in fine symbolicam quamdam delineationem (321) subdidit. — Operis comparandi pretium divulgationi eiusdem nonnihil, credimus, obstabit, illudque evoluturi dolebunt, quod in pluribus dissertationibus, quae aperte in studiis et inquisitionibus eruditis nituntur, fontes auctoresque nonnisi vage et obiter indicati sint. Quod lecturis accidet praesertim in dissertationibus III, VI-X. — Et virorum opus promoventium et auctorum disserentium studia summopere laudanda sunt, quippe quae monumentum pulchrum in S. Francisci gloriam honoremque condiderunt. Uno excepto, omnes auctores saeculares sunt, sive clerici sive laici, Ordini saltem primo extranei.

I. ALEX. MASSERON, *Les sources de la vie de Saint François,* 9-67. — De fontibus vitae S. Francisci disserere exordiens A. M. recte notat problema valde complexum esse, quia *Legendae* diversimode infici poterant, sive auctores partem « communitatis Ordinis » sive « Spiritualium » tenebant (12-3) et quia quaestio prioritatis singulorum fontium valde intricata est (13-6). — Tunc more solito de *Opusculis S. Francisci* dicitur (18-24), de documentis diplomaticis (24-5), de *Chronicis Ordinis* (26-9), de *Chronicis* extra Ordinem scriptis (30-3; iuxta L. Lemmens, ap. AFH I, 68ss.; omissa editione nova *Testimoniorum minorum* an. 1926;

v. AFH XX, 154-7). — Dein de *Legendis* agens (35 ss.), Fr. Thomae Celanensi ultra verum et aequum impingit: « *un amour désordonné de la rhétorique, au plus mauvais sens du terme* » (39). Thomas etiam iis qui eum *Vitam I* exarare iusserant, nimis obsecundasset (41). Res ista gravis, nulla probatione hic producta roboratur. Insuper unus Thomam *Vitam I* scribere iussit, scilicet Gregorius IX; cf. 1 Cel. Prolog. n. 1-2. — Locus *Legendae chori,* 11, 7-8, de verbis a Seraphim dictis novus (41) non est, sed ex I Cel. 95 depromptus. — *Vita II* orta esse non recte dicitur, quia *Vita I* « *revidenda* » i. e. corrigenda fuisset (46). Nam haec ab illa non corrigitur nisi in paucissimis minutiis, sed suppletur. — De *Leg. 3 Sociorum* et de controversiis circa eam exortis loquitur 47-8, opinionem propriam suam non proferens. Sic etiam alibi prudenter auctor egit; v. gr. circa plura capita MS.i Little et sic dictam *Legendam antiquam Perusinam* (57-60).

II. Georges Goyau, « de l'Académie Française », *Les étranges destinées du livre des Conformités,* 68-89. — Usus iis quae de fatis operis *Conformitatum* ap. AF V, p. XC ss. collecta sunt, plura iniuriosa ex auctoribus gallis saec. XVI-XVIII, magis *Alcoranum Franciscanorum* e *Conformitatibus* perfide excerptum quam opus genuinum Pisani adhibentibus, erudite et diserte adducit; inter eos Voltaire praeeminet (84-7). Sacri Oratores e contra conceptus Pisani excolebant (80-2).

III. Edouard Jordan, *Le premier siècle franciscain: Les grandes crises de l'Ordre,* 90-147. — Dissertatio docti est auctoris, eruditionem magis celantis quam manifestantis; unde plura subtiliter dicta minus in persuasionem quam in mirationem legentes adducent. Res ignotae nullibi proferuntur, sed in consideratione historica simul et iuridica plures res nova in luce saltem apparent. — Primam crisim bulla *Quo elongati,* 28 sept. 1230, diremit quoad *Testamentum S. Francisci,* vim obligandi huic denegans, et quoad paupertatem, *nuntios* concedens (91-3). — Secunda crisis « constitutionalis » erat ob Fr. Heliae Generalis autocratiam, quae an. 1239 eliminata est (93-9). Fr. Heliae depositio tamen non 'Spiritualibus' adscribenda est sed parti « moderatae », quae sic invaluit, non secus ac in *Expositione IV Magistrorum* (99 s.) et in bullis papalibus obtentis: *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245: qua proprietas bonorum Fratrum in S. Sedem transfertur) et *Quanto studiosius* (19 aug. 1247: qua *procuratores* Ordinis conceduntur) (100-3). Aliae bullae Fratres Minores contra clerum saecularem, iura sua antiqua vindicantem, muniebant, quippe quos Summi Pontifices sic Ecclesiae utiliores redderebant (103-5). — Tunc ideae et obiectiones a clero seu a professoribus Universitatis Parisiensis in lucta illa celebri exorta an. 1252-56, contra Fratres Praedicatores et Minores acriter motae atque ab his strenue repulsae, late expanduntur; obiectionum et refutationum vis mutua pensitatur (105-23). — Hac in parte Auctor recte monuit, singulorum individuorum ideas et excessus non toti Ordini seu corporationi esse obicienda (113), ideoque ultra metas veri dixit « *Franciscanos* » Ioachimismo plene favisse (111). Similis contradictio adest inter textum et adnotationem p. 114. — Quomodo probabit hoc suum dictum (113) de

processu in Iohannem Parmensem intento: « *On* [i. e. iudices] *paraît s'être contenté d'une rétractation équivoque et vague* », i. e. ex parte Iohannis? — Circa Bertrandum a Baiona, ultra Pelster, AFH XV, 3-25, vide modo etiam E. Longpré, ib. XIX, 875 ss. — Tunc ad crisim *Spiritualium*, inde ab anno circiter 1280 Auctor transiens, de Petro Iohannis Olivi (126-30) 'prudenti' dicit, de Angelo Clareno asseclisque suis (130-3), de controversia coram Clemente V acta an. 1309-12 (133-8), de bullis Iohannis XXII latas in *Fraticellos* (138-9). Hos vero apertius a Spiritualibus distinguere debebat; neque de Henrico de Ceva suisque *Fraticellis* silere licebat, cf. v. gr. AFH II, 158 ss. et varia Documenta a P. L. Oliger edita ib. III-VI. — Quasnam partes Praedicatores egerint in nova criseos directione novoque scopo ipsi in paupertatem Christi impressis an. 1321, Auctor nullibi innuit (140 ss.). Quae crisis mox complicari coepit re politica Ludovici Bavari, cui Ordinis minima pars adhaesit (143-6); (cf. etiam nunc ea quae ed. A. Mercati, AFH XX, 260-304). — P. 144 sic dictum *fragmentum franciscanum* insertum *Appellationi* Sachsenhusii a Ludovico Bavaro factae 22 maii 1324 (sic) Auctor negat a *Spiritualibus* provenisse, censens illud forte nonnisi indirecte a *Franciscanis* repetendum esse, neque ab his *Appellationi* insertum, sed a quodam Ordini extraneo.

IV. Etienne Gilson, *La philosophie franciscaine*, 148-75. — Hanc expressam et concretam E. G. vidit in *Itinerario mentis in Deum* S. Bonaventurae, qui in genere magis traditioni insistere malebat, quam novitates aucupare (151 2). In *Itinerario* (152-8) intuitio quaedam generalis cognitionem naturae et hominis atque Dei in creaturas amore redundantis comprehendit; in quod Ens, Bonum in se ferimur minus intellectu quam amoris flamma et impetu voluntatis. Haec theoria scientiam amori et intellectum voluntati subordinans, aliis theoriis dimissis, axioma scholae franciscanae permansit (158-9). — Rogerius Bacon scientiam experimentalem positivam exaravit, quae regno Dei et Ecclesiae propagando inserviret (159-63). Eumdem in finem Raimundus Lullus *Artem magnam* excogitavit, ideas generales in sex classes novenis categoriis compositas distribuens (163-7). (Lullus tertii Ordinis fuit, non primi; 163, nota 1). — Iohannes Duns Scotus neque novitatibus studebat, neque « ullam thesim adinvenit studio S. Thomae contradicendi » (167-8). Theorias scholae franciscanae progressibus sui aevi adaptavit. Ipsi Deus Ens et amor supremus est. Amor divinus et creationis et incarnationis causa fuit. In hoc universo creato ex actu charitatis omnia amore rependenda sunt. Qua in luce etiam consideranda est Scoti doctrina de primatu voluntatis, antiqua scilicet sententia franciscana (167-71). — Guillelmi Occami doctrina nimis neglecta et suspecta habita a modernis, saeculo XV maxima fama gaudebat apud viros doctissimos et piissimos, v. gr. apud Ioh. Gersonium. Methodus scientiarum positivarum ab Occamo laudata has plurimum iuvit; dialecticam in metaphysicis aliquando erroribus obnoxiam esse pronuntians, autonomiam fidei iuxta scholae franciscanae placita vindicavit (171-5).

V. PIERRE POURRAT, *La mystique de S. François*, 176-202. — Agitur de: *S. François, mystique chevalier de Dame Pauvreté* (179-88), de Sancti humilitate (188-91) atque amore seraphico (192-202), iuxta eius *Opuscula* et *Legendas*. Quaenam Sancti mystica fuerit, non definitur, neque quem locum in historia mysticae theologiae tenuerit. — Eadem ferme Auctor digesserat in opere suo *La Spiritualité chrétienne*, t. II: *Le moyen âge*, Paris 1921, (3e édit.), 230-60, ubi (231) iuste dixerat: « *S. François d'Assise a laissé un esprit bien plus qu'une doctrine. Mais il a, par cet esprit, influé plus profondément sur la spiritualité que beaucoup d'auteurs qui ont écrit des livres* », i. e. his de rebus.

VI. DOMINIQUE TARDI, *La poésie franciscaine de langue latine*, 203-28. — Auctor paucis proponit S. Franciscum contemplatorem humanitatis Christi (206-7). Dein de Iacoponi Tudertini *Stabat mater dolorosa* sermo fit (207-13); de *Dialogo inter Mariam et crucem*: *O crux dura quid fecisti?* quem Fr. Ubertinus de Casali, *Arbor Vitae*, IV, 25, praebet (213-15); de *Laudibus B. Mariae Virg.*: *Ave caeleste lilium* S. Bonaventurae perperam hic tributo carmine et de eiusdem *Philomena* tunc dicitur (216-20). [Cf. S. Bonav. *Opera*, VIII (1898), 667 ss., ubi alia prostant carmina eiusdem, sed de *Ave* illo omnino siletur]. Cf. plura in opere recensito ap. AFH XV, 529-32. — Dein (221 s.) pauca excerpuntur e Fr. Boni Iohannis de Cavriana *Anticerbero*; ex *Officio S. Francisci* (222 s.) et *Dies Irae* qua Fr. Thomae Celanensis carmen (221-7) gallice vertitur. Parum completa est dissertatio, non secus ac sequens.

VII. PIETRO ARCADI, *Les Laudi*, 220-44. — Adumbratur indoles (230-4) et evolutio historica *Laudae* italicae in genere (234-8). Umbria semper praeeminentiam hac in re litteraria et religiosa tenebat, ait Auctor (234); item: « *Le premier et le plus grand, parmi les créateurs de la laude, est S. François* » (238), ob *Canticum solis*. Dein sermo vertitur ad Iacoponum (239-42).

VIII. P. LEONE BRACALONI, O. F. M., *Saint François et l'art*, 245-67. — Hae praecipuae theoriae auctoris sunt. S. Francisco debetur novus conceptus artis et pulchri: pura spiritualis laetitia et poësis sacrificii dolorisque, amore mystico et sereno pervasa (245-8). 'Ipse in terram reduxit amorem indutum humanitate nova ac amorem humanum in creaturas bonas pulchrasque Dei' (249). — « *Il n'est pas exagéré* [?] *d'affirmer que le Poverello fut le père de l'art italien ou plutôt de l'art chrétien* [?]; *cet art revivait* (sic) *en lui dans une atmosphère d'optimisme réconfortant, nourri de naturalisme mystique et revêtu de pure simplicité* » (250). Quae dicta gravia Auctor probationibus non firmavit. — In scriptis suis S. Franciscus summe originalis fuisse dicitur, quoad affectus et simplicitatem vivam ac sinceram (251), Evangelii monita vulgi captui adaptando (252), etc. *Canticum solis* dictum est, ait Auctor, « *la première* [?] *fleur de la poésie chrétienne après l'Evangile et il reste le premier chant lyrique italien que seul ce divin jongleur était capable d'entonner* » (252). Influxus Ordinum ipsius maximus fuit, licet saepe difficulter eruendus (252-5). Nova themata artificibus a gestis Sancti creata et proposita etiam technes progressum promoverunt (257-8); Ob-

servantia inde a saec. XV florescens haec benefica proficue ubique auxit (257-9). Arti hodiernae 'symbolicae et mysticae' S. Franciscus plura subministrat (261-2). Subsequitur apologia 'aesthetismi franciscani' artisque franciscanae, fundatorum in 'forti ascetismo et in fervore mystico' (262-7). — Inter plura bene dicta in hac dissertatione, nonnulla hyperbolen sapiunt.

IX. Louis Gillet, *Nouvelles études sur la Basilique d'Assise*, 268-87. — Contra B. Kleinschmidt (cf. AFH XIII, 602ss.; XIX, 168ss.) contenditur basilicam inferiorem eumdem architectum habuisse atque superiorem (270-2); inde contra I. B. Supino (ibid. 173ss.) negatur Fr. Heliam utriusque ecclesiae architectum fuisse (272-6), item ecclesiae susuperioris fornices gothicas postmodum structurae innexas esse (277-80); demum propugnatur iugum ingressus ecclesiae inferioris postmodum adstructum fuisse (280-1). Contra C. L. Sàgui qua architecti basilicae excluduntur magistri lapicidae Cumenses: « *maestri Comacini* » (279-83). Utraque ecclesia constructa est a quodam anonymo formas gothicae Galliae meridionalis (a formis Parisiensibus dissidentes) iam libero modo adhibente, minus qua partes logicas sive organicas structurae merae gothicae quam spatiosi aedificii talibus formis ornati fabricandi causa (283-7).

X. Louis Bréhier, *Les Missions franciscaines au moyen âge*, 288-308. — Summarium rapidum est historiae nostrarum Missionum saec. XIII (288-95) et XIV (295-307), paucis e saeculo XV subiunctis. — Idem auctor paucioribus de Missionibus Ordinis dixerat in suo libro: *L'Eglise et l'Orient au moyen âge. Les Croisades*, 4e edit., Paris 1921, 212-4, 220-1, 227, 268-86, 311-2.

XI. Pierre de Cenival, *La Mission franciscaine du Maroc*, 309-20. — Compendium priore paululum prolixius Missionum Marochii saec. XIII-XX; additis in fine operibus praecipuis, inter quae *Arch. Ib.-Americ.* XIV (1920); de quo cf. AFH XIV, 593s. **P. Michael Bihl**, O. F. M.

Edouard d'Alençon, Fr. Min. Cap. — *Frère Jacqueline. Recherches historiques sur Jacqueline de Settesoli l'amie de Saint François. Nouvelle édition, revue et corrigée.* — Paris, Soc. et librairie S. François d'Assise; Rome, Postulation générale des FF. MM. Capucins, [1927]. — In-8o min., 65 pp.; illustr. — (Fr. 6).

Secundo, immo tertio hic in lucem prodit opusculum quod P. Eduardus *Fratri Iacobae*, nobilissimae nempe illi dominae Romanae *de Septemsoliis* cognominatae, S. Francisci amicae dedicavit. Primum enim prodierat qua dissertatio inscripta: *Jacqueline de Settesoli* ap. *Etudes Francisc.* II, Paris 1899, 5-20, 225-42, atque hinc seorsim sub titulo novo, eodem cum supraposito, Paris 1899; in-8o, 40 pp. — Circa Septizonium alias *Septemsolia* (10-2), v. etiam locos ab auctore citatos AFH III, 163, 583s.

Nova editio retractata auctaque fuit in pluribus. Saepius opusculum hoc supra laudatum est, 49ss. E bulla Innocentii IV, die 9 ian. 1254, qua P. Eduardus iam ap. *Etud. Franc.* II, 235, usus erat, idem *Tractatum*

de mirac. Romae 1906 denuo edens, circa tempus quo *Tractatus* compositus esset, illationem non traxit, neque in hac nova editione (51) trahit. In hac, quae anno 1927 exeunte edita est, interdum *Legendam Perusinam* Celanensi praetulit (36), qua de re supra (194 ss.) iam dictum est. — Ea quae de familia *Frangepanis* saec. XII et XIII usque circa an. 1260 innotuerunt, in hoc Opusculo collecta quilibet inveniet. Iacoba enim e progenie nobili Normannorum orta in stirpem *Fraiapanis, Frangepanis* innupserat, matrimonium iniens cum Gratiano de Frangepanis, rami *de Septemsoliis* agnominati. — Circa annum emortualem Iacobae, Assisii in basilica S. Francisci sepultae, opinioni communi P. Ed. stat (41 ss.), eam an. 1239 obiisse censens, eamque probe distinguens a « *domina Iacoba de Roma* » (61ss.). Haec item Assisii morata, an. 1258 ibidem legata quaedam accepit (61; cf. supra, 131) et an. 1288 in bulla Nicolai IV agnominatur « *Christiana* »; cf. E. Langlois, *Registres de Nicolas IV,* II (1905), n. 7154; uti correxit P. Eduardus 62-3 [cf. supra, 50, nota 4]. — Inter memorias Iacobae adhuc exstantes recensentur atque ectypis exprimuntur: Molendinum Septizonii, Romae (54-6); « *pulvillus pro capite* et *sindon pro facie* iuxta III Cel. 38 a Iacoba S. Francisco iamiam morituro allata (56-8; 58-60; cf. supra, 197). Accedit (60) « *una crux parvulina de argento... quae fuit domine Iacobae* » recensita in *Inventario Assisiensi* an. 1338, ap. AFH VII, 77, n. 26, sed nunc deperdita. — *Ferculum* a S. Francisco appetitum et a Iacoba allatum Roma P. Eduardus arguit (sic miscens utili dulce) minime *mustacciuoli,* cibum indigestum, fuisse sed dulce quoddam delicatum amygdalorum cremore confectum, modo adhuc a vulgo Romano *frangepane* nuncupatum, fortasse e nomine stirpis Frangepanis (26-7). — In fine Auctor nos docet (65) recens an. 1927 viam eousque dictam *Via di Porta Portese,* iuxta ecclesiam S. Francisci Trans Tiberim, mutato nomine, nuncupatam esse *Via Iacopa de Settesoli.*

Opusculi frontispicium est Iacobae sepulcrum Assisii, sub pulpito, cum inscriptione gothica saeculi XIII: *Hic requiescit Iacoba sancta nobilisque Romana,* et cum Iacobae effigie, quae tamen an. 1618 a Caesare Sermei restaurata et refecta est (44s.; cf. AF V, 181). In margine superiore lapidis sepulcralis (idem vel quidam alius) saeculo XVII apposuit inscriptionem, modo partim evanidam: *B. Iacoba .... Min. P. P. lib. 2 cap. 67 et 73.* Quibus (recte ait P. Ed., 45) allegatur Marcus de Lisbona, *Chron. Ord. Min.* pt. I, l. II, c. 67 et 73 [Brescia 1582, I, 300, 310; Venezia 1625, I, 260, 265]. **P. Michael Bihl,** O. F. M.

Anson, Peter, F. — *The Pilgrims Guide to Franciscan Italy. Introduction by the Most Rev. Fr.* Bernardine Klumper, *O. F. M., late Minister-General of the whole Order of Friars Minor. With Maps and Plans and Illustrations by the Author.* — London, Sands & Co, and at Edinburgh, 1927. — In-8º min., **xx**, 243 pp. — (Linteo relig. 6 sh.).

Cl. v. P. E. Anson, « tertiarius S. Francisci », viator sedulus, auctor doctus, artifex expertus, hoc *Vade-mecum* in commodum peregrinorum.

qui sanctuaria Franciscana Italiae, Mediae scilicet et Superioris, pie et commode, tempore libero haud modico fruentes invisere velint, exaravit. Singula oppida, vicos sparsos, eremitoria disiecta atque solitaria dux iste itinerandi pede indefesso peragrabat.

Quomodo loca ista sint adeunda sive pedestri itinere sive raedis publicis cuiuslibet generis, Anson peregrinos accurate edocet, vias semitasque indicat, quamnam in partem sit volvendum in compitis seu triviis eos instruit. Viatoribus, cum in oppida pervenerint, varia diversoria recenset etc. (218 ss.); dein alias ecclesias praetermittens, ad sanctuaria Franciscana (cum S. P. Francisco relationes speciales habentia) eos deducit. Singula facta vitae S. Francisci eis tunc narrat, sive fontes antiquos interpretatus, sive auctores nostri temporis apte exscribens; tunc singula artis opera, quae ecclesias, conventusque exornant, breviter sed exacte recenset, historiam eorum paucis adumbrans.

Seriem locorum ab auctore et ductore descriptorum quilibet pro lubitu suo et temporis opportunitate invertere poterit, usus etiam instructionibus ab ipso Anson subministratis. — Nos cum ipso duce itinerante primum Assisium adimus, septem « visitationibus » sanctuaria oppidi aliaque circumcirca usque Rivum Tortum, Canariam, Bevanium et Montemfalcum (80-9) periucunde invisentes; in specie basilicam S. Francisci (7-20), Ecclesiam sic dictam Novam (25-6), S. Claram (29-34), S. Damianum (41-55), Portiunculam (56-73), Carceres S. Francisci (73-80) etc. — Inde statim in sacrum Montem Alvernam proficiscimur summa accuratione descriptum (93-121); dein in Vallem Reatinam (125-32) deducimur: in Fontem Columbarum (132-40), ad Forestam (140-2), in Podium Bustonis (142-6), Graecium (146-55) — Deinde, ii quibus itinerandi cupiditas, facultas tempusque suppetent, cum viatore impigro Anglo ducente ac comitante peregrinare poterunt in Picenum (159-61), Aretium (161-2), Bononiam (162-6), Burgum S. Sepulcri (166 s.), in Montem Casalem (167-70), Civitatem Castelli (170 s.), ad Cellas subtus Cortonam (171-4), Sarteanum ac Cetonam (174 s.); tunc Florentiam (175-8), Fulgineum (178 s.), Eugubium (179 s.), Narnium (180-1) hincque ad Specus S. Francisci (181-3), Ortam (183-5), Urbem Veterem (185-6), Perusium (186-9), Podium Bonizi (189 s.), Romam (190-7), Senas (197-200). Inde Spoletum remeamus (200-3), Montem Lucum ascensuri (203-6); hinc Interamnas meamus (206-7); exinde rapido cursu iuxta Lacum Transimenum (207-9) vi vaporis vecti Venetias festinamus (209-10), ubi iam defessi, ast iucundissimis piissimisque memoriis repleti, ductori grati valedicimus.

Ipse Auctor non solum in 7 chartulis itinerariis magis quam geographicis vias peragrandas exhibentibus librum suum utiliorem reddidit, sed etiam 37 delineationibus varia sanctuaria mentibus peregrinorum rememorandi causa obsistit. Quarum delineationum complures subtili calamo ductae, ut sunt accuratissimae (praesertim eae quae aspectum externum aedificiorum adumbrant), ita etiam visu sunt delectabiles. — « Introductio » in titulo libri rememorata est Epistola laudati Rev.mi Patris (p. IX). — Inter sescentas res ab auctore memoratas,

fieri non potuit, quin aliquae minore diligentia proferrentur. — De re tacta p. 9, nihil legitur in citata ibi *Vita II* Celanensis; allegari poterant AF III, 72; I, 19; AFH III, 50. — Idem dicendum ad p. 88, ubi allegatur I Cel. 59 quoad Tertium Ordinem et intenditur in *Leg. mai.* XII, 4. In utroque loco agitur revera de hirundinibus iussu S. Francisci tacentibus. Quoad rem cf. AFH XIV, 3-4. — P. 19, l. 4 (ab infra) lege: *Alife* pro *Assisi;* item p. 27, l. 4, lege *Iesi* pro *Assisi.* – P. 38 invertas adnotationes. — Picturae murales a Sermei et Martelli confectae sunt saec. XVII, non iam saec. XIII (10). — De Foresta prope Reate traditiones non verae repetuntur (141); cf. AFH XX, 424-5. — Corpus Sanctae p. 32 memoratum, incorruptum non est, sed ossa contecta sunt cera. — P. 160 deleas cognomen Divini Fr. Pacifico tributum. — Loca Franciscana Florentiae propinqua recolens, Auctor etiam Collegii ad Claras Aquas paucis meminit (178).

Hoc « vade-mecum » auctoris docti artificisque strenui per loca Franciscana Italiae peregrinaturis plurimum afferet commodi atque delectamenti. **P. Michael Bihl,** O. F. M.

Harris, C. R. S., M. A., D. Phil. — *Duns Scotus.* — *Vol. I: The place of Duns Scotus in medieval thought.* — *Vol. II: The philosophical doctrines of Duns Scotus.* — Oxford, At the Clarendon Press, MCMXXVII. — In-8°, XII. 380 pp. et [II], 401 pp. — (Linteo relig., 42 shill.).

Opus hoc insigne, cuius publicum ius gaudium affert omnibus Scholae Franciscanae ex corde adhaerentibus necnon quotquot historiae idearum medii aevi faventibus, duobus voluminibus constat, quorum prius agit de loco Duns Scoti in vita intellectuali mediae aetatis, alterum de doctrina Subtilis philosophica. Intendit auctor probare Scholasticam culminare in Scoti systemate, in quod omnia flumina intellectualia temporis medii principalia confluxerunt, quodque magis quam Thomismus ostendit evolutionem traditionis mediaevalis philosophiae ditiorem ac maturiorem fuisse quam vulgo credatur.

I. In praefatione (I-IX) auctor candide fatetur se plurima debuisse operibus aliorum, uti Werner, Minges, Grabmann, Gilson, Prantl, etc. quorum quandoque studia modo suo in compendium redegit. Quam vera sit haec confessio, iam primo capitulo (1-37) patet, ubi agit de vita et operibus Scoti. Annum nativitatis probabiliorem habet 1265, uti Döllinger iam suggesserat. De patria Subtilis Doctoris auctor anceps haeret inter Scotiam et Angliam profertque unum testimonium catalogi bibliothecae Assisiensis a. 1381, ubi « *doctor subtilis nuncupatur de provincia Yberniae ordinis minorum* » (7). De hoc cf. AFH X, 13. Contra opinionem Ioannis Maioris Scotum fuisse socium Collegii Merton Oxoniae, iudicat illum ad hunc errorem inductum fuisse confundendo quemdam John Doune cum Doctore nostro. Pro tempore quo Scotus studio Parisiis vacabat, adhibenda fuissent auctori ea quae P. Callebaut exposuit ap. AFH XVII, 3-12. Scotum indicari in *Divina Com., Par.* X, 109, quem Dantes

ipse Parisiis cognovisset, auctor contra G. Leigh valde problematicum habet (11).

Motivum Scoti proficiscendi Coloniam fuisset probabilius desiderium Ordinis condendae novae Scholae Coloniae, ubi iam Fr. Praedicatores fama doctrinae gaudebant (11). [Cf. supra, 206 ss.]. Uti semper et istae opiniones valde prudenter proponuntur, quod laude dignum est; sed sic lectores carent quodam profectu, quadam penetratione in problemata biographica B. Duns Scoti. Gravior hic defectus videtur in tractanda authenticitate operum Scoti, quae utique basis totius operis cl. Harris est (16-37). In appendice III tractat fusius de authenticitate *Theorematum* et *De rerum principio* (360-75). Scire potuisset ex hoc AFH XV, 273-7 *Grammaticam speculativam* certo opus esse Thomae Erfordiensis, uti probavit Dr. Grabmann, necnon auctorem *De rerum princ.* Vitalem a Furno, uti P. Delorme exposuit ap. *Fr. Fr.* IX, 1926, 421 ss. Quoad *Theoremata* cl. auctor confitetur stylum huius operis differre ab illo in *De primo Principio* v. g., sed fieri posse ut nihilominus sit genuinum, quamvis non sit tanti momenti quanti alia Scoti opera (364). Videtur itaque auctor admittere genuitatem *Logicalium, De Anima, Collationum, De rerum princ., Tractatus imperfecti de Cognitione Dei, Metaphysicae, Quodlibetalium, Oxoniensis et Parisiensis Commentarii,* sed nolumus praevenire studia instituenda et absolvenda adhuc de authenticitate operum Scoti, cuius editio critica, uti annuntiatum est, a Patribus nostri Collegii praeparatur.

Claro suo modo cap. 2 (38-83) auctor exponit doctrinas scholasticorum circa relationes fidem inter et rationem. Quae cl. Harris disserit de Cosmologia aristotelica, praesertim de aeternitate mundi, non videntur veritati consonare. Si enim Schola Franciscana non admittit *possibilitatem* mundi aeterni, hoc fundatur rationibus philosophicis, non theologicis, ita ut dici nequeat, « creationismum » (?) a throno suo philosophicae veritatis depositum constrictum fuisse refugium quaerere in dominio theologiae fierique postulatum fidei. Sic etiam de aliis veritatibus, a philosophis derelictis, iniuste opinatur Dr. Harris (73). De contentionibus inter Augustinismum traditionalem et renovatum Aristotelismum cf. etiam articulum P. Callebaut, AFH XVIII, 441-72.

Consideratis quae Scotus docet de iam dicta relatione fidem inter et intellectum, theologiam inter et philosophiam (84-112), agitur de Schola Oxoniensi eiusque influentia in Scotum (113-140). Breviter sed vigilanti verbo cl. auctor indicat tres causas coordinatas quae locum Doctoris nostri in historia Scholasticae determinant: tempus quo vivebat, Ordinem cui adhaerebat, Universitatem quam frequentabat. De Rogerio Bacon tractat Dr. H. valde bene, exponens in quibus conveniant aut differant famosi ambo Doctores. Eodem modo conferuntur doctrinae S. Thomae et B. Ioannis Duns (150-99), uti iam pluries ab aliis factum fuit.

Probat deinde Subtilem ab Angelico differre praesertim in doctrina de universalibus, de modo cognoscendi individua, de compositione angelorum, de unitate vel multiplicitate formarum. Quoad hoc Scotus traditioni Ordinis inhaerebat, evolvens doctrinam Alexandri Halensis (mor-

tui an. 1245; non an. 1264, ut auctor opinatur), S. Bonaventurae et Richardi de Mediavilla, quem forsitan Oxoniae fuisse Scoti magistrum Dr. H. suspicatur, debili nitens ratione.

Defendit Doctor Marianus cum S. Augustino, S. Anselmo, Alexandro et Rogerio Bacon primatum voluntatis, S. Thoma cum Avicenna Averroeque potius intellectum praeferente. Immerito hanc quaestionem « plus curiositatis quam utilitatis » cl. auctor existimat; multae enim conclusiones theologicae hoc cum problemate connectuntur. Imo, uti recte exponit Dr. H., voluntarismus Scoti nota characteristica eius Theologiae est. Qua in doctrina Henricus Gandavensis praecursor immediatus nostri Doctoris fuit (247), quamvis in aliis v. g. reiectione specierum intelligibilium, valde a Scoto distet. Sanctus tamen Anselmus exemplar Scoti fuit, maxime pro huius opere *De primo principio* (175).

Ubi Dr. H. agit de theoria cognitionis (193ss.) iuxta Robertum Lincolniensem, S. Bonaventuram, etc., plura invenisset apud M. Grabmann, *Die philosophische und theologische Erkenntnislehre des Kardinals Matthäus ab Aquasparta* (Wien 1906) et apud B. Luyckx, *Die Erkenntnislehre Bonaventuras* (Münster i. W. 1923; cf. AFH XVII, 285s.). Uti notum est, hac in theoria Scotus non adhaeret opinioni Augustinismi, concordat potius S. Thomae, sed « clarius exprimit », ait lepide auctor, « id quod Thomas terminis augustinianis proposuerat » (198).

Agitur deinde hoc in volumine de influxu Aristotelis eiusque commentatorum in Scotum (200-237). Sed, utinam melius constaret de quibusdam commentariis, utrum Scoto attribuenda sint necne! Notamus tantum Scotum libentius sequi Avicennam, ponentem Deum eiusque attributa in dominio Theologiae, quam Averroem qui potius totam suam Theologiam ad metaphysicam refert. Voluntarismus Scoti non dependet, uti probat auctor, ab illo hebraei Avicebron, sed potius ab Augustino et Anselmo (233). Ex auctoribus Scotum praecedentibus tractantur Henricus Gandavensis (238-53), Gulielmus Lamarre cuius doctrinam exaggeratam de pluralitate formarum Scotus reiecit (253), Richardus de Mediavilla (254-9), de quo omnino legendum fuisset E. Hocedez. *Richard de Middleton* (Louvain 1925; cf. AFH XIX, 274ss.), et Aegidius Romanus (259-63).

Speciali capitulo considerat cl. auctor, quid Scotus pro historia medii aevi idearum significet (264-312). Explicatis defectibus styli praesertim et methodi, qui saepius ansam praebebant falso iudicio de doctrina Scoti, laudat systema scientificum et criticum, in quo, ait, Philosophia scholastica culmen suae evolutionis attigit. Scotus largiorem idearum campum gradumque consistentiae illo S. Thomae maiorem necnon profundiorem appreciationem necessitatum philosophicarum Catholicae Ecclesiae exhibet (267).

In appendice I (313-5) datur elenchus operum Scoto attributorum. in II (316-60) copiosa bibliographia, in III (361-75) disseritur de authenticitate aliquorum operum. Concluditur hoc volumen (377-80) bonis indicibus personarum.

II. Alterum volumen praesertim philosophorum interest. Exponit enim cl. Harris totum systema philosophicum Doctoris Subtilis, scil.

Logicam et Epistemologiam (1-51), Ontologiam (52-74), Theologiam naturalem (178-248), Psychologiam (249-304), Philosophiam moralem et politicam (305-58). Specialia capita dedicat doctrinae Scoti de forma et materia (75-121), de spatio et tempore (122-46), dum etiam eius argumenta pro Dei exsistentia latius exponit et critice considerat (147-77).

Dicamus pauca de multis. Videtur cl. auctor theoriae relativitatis quodammodo favere (51). Dicit quidem nostras ideas adhiberi non posse ut mensuram philosopiae temporis acti, sed huius sui axiomatis immemor, quandoque iudicat de Scholastica ex tribunali modernae culturae. Sic v. g. quando cum Hauréau opinatur, a tempore S. Anselmi frustra concordiam rationem inter et revelationem quaesitam fuisse (178). Numquid solus Aristoteles philosophus fuit? Et si Theologia naturalis tum S. Thomae, tum B. Ioannis Scoti, non concordat conceptui deitatis, quam Aristoteles habuit, numquid ideo « Deus scholasticorum monstrum remansit » (180), quia isti Principes Scholasticae terminologia usi sunt quam etiam Stagyrites adhibuit?

Valde laude dignum est quod Dr. H. defendit voluntarismum Scoti contra Landry, Ritter et alios qui falsos conceptus de sic dicto « indeterminismo » Scoti per mundum spargebant (290 s.). Hoc nobis generaliter loquendo maximum libri momentum videtur, quod fortiter impugnat perplures calumnias quae decursu saeculorum contra Doctoris Subtilis doctrinam protulerunt aut inimici aut ignari. Hac in refutatione multum debet auctor operibus P. Parthenii Minges. Quicumque in posterum scribet de aliqua Scoti doctrina, opus Dr. Harris evolvat necesse erit. Schola autem Franciscana gratias quam maximas debet auctori pro labore indefesso et arduo huic libro impenso.

Reliquum est ut notemus adhuc aliquos textus in editione Waddingi non inclusos et ab Harris nunc primo editos. 1.° Habetur ex cod. Oxoniensi Coll. Ball. *CCIX*, (ubi inter *Collationes Parisienses* invenitur ut qu. 18) et ex cod. Coll. Merton *XC* quaestio: *Utrum in divinis possunt esse plures emanationes unius et eiusdem rationis?* (361-7); 2.° ex iisdem codd. qu. 19: *Utrum in Deo sint aliquae relationes ad intra praeter relationes originis?* (367-70). In fine huius quaestionis habetur: « *Explicit Collatio Parisiensis Doctoris Subtilis scripta per me Iohannem Reynbold de Monte Ornato terrae Hassiae Allemannicum, Anno Domini Millesimo CCCC^mo lxv die mensis Maii vicesimo primo* ». 3.° Editur qu. 4 ex *Collationibus Oxoniensibus* prout in iisdem codd. habetur: *Utrum conceptus entis sit simpliciter univocus Deo et creaturae?* (371-6); 4.° habetur qu. 20 eiusdem operis ex Coll. Ball. *CCIX* tantum: *An apprehenso per intellectum in via bono in communi, possit voluntas non velle illud?* (376); 5.° est eiusdem cod. et operis qu. 22: *Utrum beatus videns Deum et amans eum, possit post, non velle eum et sic peccare?* (376-8).

Sequitur tandem tractatulus *De cognitione Dei* (379-98) ex Coll. Merton. cod. *XC*. Index personarum claudit volumen (399-401). Non solum auctor, sed etiam editor atque typographus bene meruerunt de B. Ioanne Duns Scoto, imo de scholastica, uti aiunt, philosophia et Theologia.

Ad Claras Aquas. **P. Willibrordus Lampen**, O. F. M.

1. **Doncœur, Paul.** — *Le Livre de la Bienheureuse Angèle de Foligno. Documents édités par le Père* P. D. *avec le concours de Mgr.* Faloci Pulignani. *Texte latin.* — Paris, Art catholique; Toulouse, Editions de la Revue d'ascétique et de mystique, [1926]. — In-8°, xlii, 233 pp. — (Fr. 30). — *(Bibliothèque d'ascétique et de mystique, fascicule II).*
2. **Ferré M.-J.** — *Sainte Angèle de Foligno. Le Livre de l'expérience des vrais fidèles. Texte latin publié d'après le manuscrit d'Assise par* M.-J. F., *traduit avec la collaboration de* L. Baudry. — Paris, Editions E. Droz, 1927. — In-12°, 534 pp. — (Fr. 40). — *(Collection de Textes Franciscains publiés sous la direction de* Henri Lemaître).
3. **Doncœur, Paul.** — *Le Livre de la Bienheureuse Sœur Angèle de Foligno du Tiers Ordre de S. François. Documents originaux édités et traduits par le Père* P. D. — Paris, Librairie de l'Art catholique, 1926. — In-16°, 366 pp. — (Fr. 20).
4. **Faloci Pulignani, M.** — *Il Libro della Beata Angela da Foligno pubblicato da* D. M. F. P. — Perugia, Unione tipografica coop., 1918 [1918-21]. — In-24°, 341 pp. — (L. 3).
5. **Idem.** — *La Beata Angela da Foligno. Memorie e documenti.* — Gubbio, Scuola tip. Oderisi, 1926. — In-12°, 92 pp.
6. **B. Angiola da Foligno.** — *Visioni e Consolazioni volgarizzate da Mons.* **A. Pisaneschi** *e illustrate da* Attilio Razzolini. — Sancasciano Val di Pesa, Soc. editr. Toscana, 1926. — In-12°, xx, 232 pp. (con 8 silografie). — (L. 15).
7. **Jan van den Arend.** — *Gesichte und Tröstungen der seligen Angela von Foligno. Nach ihren eigenen Worten aufgezeichnet von Bruder Arnaldus, O. F. M. Aus dem Lateinischen neu übertragen von* J. v. d. A. — Mainz, Matthias-Grünewald-Verlag, 1924. — In-8°, 167 pp. — (RM. 2,40, relig.). — *(Religiöse Geister, Band 15).*

1. Nova ista editione *Liber visionum et instructionum* B. Angelae de Fulginio, quandoque *Magistrae theologorum* nuncupatae, nova penitus veste indoleque longe sinceriore prodit, quam in omnibus quae praecesserunt editionibus. Textus hucusque communiter receptus huius opusculi, licet suffultus esset auctoritate Bollandi ap. *AA SS.* I, 186-231, omnino retractatus, sus deque versus, interpolatus, mutilatus fuisse nunc apparet. Verum et Bollandi et priorum editorum textus (mox post an. 1500 ac dein saepissime typis cusi) in MSS. saeculi XV innitebatur, utique iam fato modo perturbatis. Quotquot dein huius *Libelli spiritualis doctrinae* B. Angelae († 1309) curaverunt sive editiones sive versiones in idiomata vulgaria, eo fidentius textui huic recepto inhaeserunt, dempto Ioh. Bapt. Boccolino, Fulginate, *B. Angelae Fulginatis Vita et opuscula,* Fulginiae 1714, qui et ipsi textui recepto aliquot locos eo-

usque omissos inseruit et in Appendice (247-74) plurimos subiecit sumptos e codice quodam Assisiensis Bibliothecae conventus S. Francisci.

Codex iste adhuc exstat ibidem in bibliotheca municipali num. *342*; membraneus, 52 foll., scriptus post an. 1309 et ante an. 1381, quo in *Inventario* laudatae bibliothecae (ed. L. Alessandri, 1906, 176 s.) recensitus est (p. XII-XIV). Huic proximus accedit cod. Sublacensis *CXII*, exemplatus an. 1496 (p. XIV s.), — cui adde MS. Isidori Romae, 1/142, saec. XIV exeuntis, quod P. Doncœur postea tantum cognovit. Hi tres signantur siglis A, S, Is, continentque *Librum B. Angelae* (3-100) una cum aliis *Documentis*, i. e. *Epistolis* et *Exhortationibus* eiusdem (101-202) hic paucioribus, illic pluribus. — Alii 4 codices familiam B constituunt, item *Librum* et *Documenta* plura complectentes, sed iam ordine novo disposita et stilo retractata; voces vulgares complures melioris Latinitatis vocabulis suffectae sunt (p. XVII). Qui textus exhibetur in tribus MSS. Bruxellensibus et uno Bononiensi: Bibl. Universit. *1741*, (= O) qui et ipse in Belgio saec. XV scriptus est (XV-XVIII). Cf. plura de his infra, 385. — Textus receptus exhibetur in cod. Bibl. Nat. Parisiensis, *lat. 5620*, saec. XV (= C). Textus vulgaris Italus item magnopere retractatus reperitur in MSS. Bibl. communalis Perusinae *1176* et *1200* (XVIII s.). Cf. infra num. **4.** — Alia duo MSS., alterum in Bibliotheca Trivulziana, alterum in Bibl. Arsenalis, Parisiis, n. *8513*, utpote versiones italas tardiores continentia, pretio quocumque carere breviter dicuntur, atque editiones priores paucis expediuntur (XIX). — Cf. alia infra ad num. **3.**

Liber B. Angelae ab ista dictatus fuit cuidam Fratri Minori A., Fulginati, consanguineo ipsius Angelae, cuius etiam confessarius erat. In textu recepto nuncupatur Fr. *Arnaldus*. Hoc tamen nomen, quia dubio gravi subiacet, ab editore non iam adhibetur, qui ideo *Librum*, iuxta ipsum scriptorem (p. 20, l. 27), vocat *Memoriale Fratris A.* (pp. XXII-IV). Post mortem mariti sui, matris atque filiorum Angela Tertio Ordini S. Francisci nomen dedit, iamque 19 « *passus* » mysticos perfecerat, cum *passum* XX^{m} agens, an. 1291 in basilica S. Francisci Assisi, quo piae peregrinationis causa advenerat, magno cum eiulatu concidit. Hoc facto Fr. A. motus est secreta sua ab Angela Fulginei exquirere, quae experientiam suam mysticam ei tunc narravit, nulli alteri communicandam (21). Ipsa in vulgari idiomate suo Umbro res pandebat, quas Fr. A. currenti calamo latine reddebat, veraciter sed valde « *diminute* » et « *detruncate* », quia res a Beata dictatas ipse saepe non intelligebat, aliasque ob rationes (21-3). Passus 1-19 breviter adumbrati sunt (7-21); passus 20-26, de illuminationibus sive elevationibus internis B. Angelae factis, de Christo patiente, de amore, unione, transformatione mystica, de divinis amplexibus, aliisque reconditis rebus summae mysticae prolixius expanduntur (24-111; cf. p. XXIV-XXXI).

Post *Memoriale* (3-100) sequuntur 27 *Documenta* sive scripta varia et brevia item mystica, *Epistolae* Angelae « *matris* » ad suos filios spirituales Ordinis Fr. Minorum instructionis causa etc. directae (103-182), in codd. A, S et Is contenta. — Appendicem tunc efformant (185-201)

alia *Documenta* similia, quae in A desunt, sed in S leguntur (duo etiam in Is comparent); edita qua documenta 28-35. Ultimum doc. 36 (201-2), in S et cod. C exstans est monitum cuiusdam collectoris (XXXI-IV). — In Praefatione de momento totius huius collectionis brevia Auctor subnectit (XXXV-VII) atque notitias quasdam de B. Angela, praesertim de eius cultu a Faloci subministratas inserit (XXXVIII-XLI). Cf. infra, num. **5.** — Maximam partem Praefationis P. Doncœur alibi iam praelibaverat: *L'édition critique du Livre de Sainte Angèle de Foligno*, ap. *Revue d'ascétique et de mystique*, V (1924), 289-306. — Idem, *Ste Ang. de Fol. et la traduction de ses œuvres par Hello*, ap *Revue d'apologétique*, 34 (1922), 546-52, censuram tulerat de versione in linguam francogallicam an. 1868 primum vulgata ac dein saepissime typis recusa, ab Ern. Hello exarata subtili ingenio, emphasi micanti sed infida.

Textum *Memorialis* a P. Doncœur editur iuxta cod. A, in quo Prologus incipit: *Vere fidelium experientia probat, perspicit et contrectat.* Sed in pagina praecedenti textus quidam codicis A omnino abrasus est, in S servatus, nam rasura totidem fere lineas afficit, quot textus in initio S positus occupare poterat. Est vero notitia de censura et approbatione data per « *dom. Iacobum de Columpna, diaconum cardinalem, antequam cum summo pontifice in scandalum incideret, et per VIII Fratres Minores famosos lectores* » quorum tamen nomina non fiunt (5). Notitia haec authenticationis formam iuridicam non praefert, attamen factum in ea contentum vix in dubium vocari potest. Approbatio ergo facta esset ante 10 maii 1297, quo die Bonifatius VIII Iohannem et Petrum de Colonna cardinalatu privavit, immo ante 3 maii 1297 (*sic*), quo lucta lisque acerba inter Papam et Columnenses escandescebat; cf. L. Mohler, *Die Kardinäle Jakob und Peter Colonna*, Paderborn 1914, 55ss.; cf. Oliger, ap. AFH XVI, 333s.; v. Marianus, ib. II, 633. Approbatio ista solum *Memoriale* spectabat, cuius examen, (Cardinalis enim probabilius iudicio Fratrum doctorum stetit), non multum requirebat temporis.

P. Doncœur longe pluris quam caeteros codices A aestimat, non solum quia caeteris antiquior est et in genere bonum textum praebet, sed quia eiusdem amanuensis declaraverit, se « *exemplar* » transscribere, 'scilicet (ait P. Doncœur) textum ex officio recognitum tamquam normam exemplorum inde postea fiendorum' (p. XIII), et quidem hac postilla marginali: « *Dubito, ne ista rubrica debeat esse in principio presentis capitis, scilicet Item; in exemplari autem erat in margine sine signo* » (38). — Sed aestimatio ista valde dubia nobis videtur. Approbatio in initio *Memorialis* de tali exemplari normali et officiali non loquitur. Si *exemplar* illud revera tale fuisset, rubrica ista non in margine in loco impraeciso vagata fuisset, sed suum locum certum sive in margine, sive potius in ipso textu assignatum habuisset. Uti adnotatio illa amanuensis dubitantis sonat, nihil aliud nobis indicare videtur, quam rem in codice quocumque, quem scriba exemplabat. Codex eiusmodi *exemplar* communiter dicebatur, (modo editores eum archetypum vocare solent), quin quidpiam officiale sic insinuaretur. Voce *exemplar* sic ad sensum

communem reducta, facilius explicantur crebri errores et mendae a scriba codicis A commissa, qui certo linguae latinae minime ignarus erat, sed plura verba magis « *pingendo* » (ut ipse Frater A. de suis notaminibus scripsit, 63, 10; 78, 28; 79, 19) retulit, quam intelligenter scripsit. Iamvero in exemplari officiali talia vocabula recte et clare scripta fuisse dubitari non potest. Librarius codicis A sic fidelior quam imperitior fuisse apparet, quin casus librariis ordinarie contingentes ideo ipse effugerit, si isti non iam exemplaris sui seu archetypi scribae acciderant. — His recte consideratis, editorem laudandum censemus, quod soli A inhaerere noluerit, in quibusdam vitiato.

P. Doncœur apparatum suum criticum in voluminis sui finem haud apte relegavit (203-32), cui demum manipulum non levem corrigendorum (233) subnexit. Apparatus dispositio insuper nimis spissa est; singulae variantes saltem intervallis quadratis ab invicem separandae erant, quibus signa mathematica omissionis et additionis clariora facta fuissent. Praeter S frequentius in apparatu recurrent sigla O = MS. Bononiense cit.; R = cod. Bibl. Regiae Bruxellensis, num. *2864* (quocum plerumque consonat R' = ibid. n. *2233*); D = cod. Musei Bollandiani, ibidem, n. *398*. Sic classatim in hos offendes figuras in apparatu SORD et ORD. Sed A plerumque quoad omissiones signatur. Quae et ipsae iam dubium gignunt, quin A in exemplari officiali innitatur. Nam plures haurum omissionum ex homoioteleutis ortae sunt. P. 180, 18-9: *a predicta visione istius summi esse Dei. [Et postquam anima habet visionem istius esse Dei] et amorem sufficientem [et correspondentem] isti esse;* sic habet R, sive potius habent ORD (quod hic et alibi clarius adnotari potuit); sed A hic et infra omisit verba inter uncos posita, contextui omnino necessaria. Quod etiam accusativus *amorem* plane manifestat. — Ibid. 12-4: *Quia enim novit et [scit] amare [istud summum esse, novit et scit amare] creaturas, secundum eorum convenientias* etc.; sic ORD (uti videtur); sed pro *scit* habet *cognoscit* A; alia omisit A, contra eosdem codd. Verba plane necessaria esse apparent. — P. 34, 1-9, refertur a Beata dialogus inter animam et Christum, qui: *etsi non dicebat verba hec omnia, anima [tamen] comprehendebat quod ita diceret, et multo maiora. Et sentiebam ita esse. Et cum ego frater scriptor quererem: Quomodo? Ipsa respondit: [Quia probaveram qualiter anima ita sentiebat esse. Et respondit] anima et clamabat: Postquam ita est, quod tu es Deus omnipotens* etc. A omisit inter uncos posita, ob homoioteleuton patens e contextu ac etiam e coniunctione *et* ante *clamabat.* Istiusmodi homoioteleuta intelliguntur ex incuria amanuensis festinantis, non vero, si iuxta dictatum alterius scribebat, qui necessario lentius agebat pluribus utique insimul dictans. Quae omnia magis editionem alteram (sub n. **2**) concernunt quam istam P. Doncœur.

Editio a P. Doncœur curata prioribus longissime antecellit, subsidium efficax sed adhuc efficacius reddendum praebens conceptus et doctrinas mysticas B. Angelae sincerius cognoscendi. Lectiones codicis A, tanti aestimati ab edente, cui fundamen praebuit, maiore accu-

ratione exemplandae et referendae erant, uti altera editio probat, uti etiam H. Lemaître, eamdem alteram patrocinatus, pluribus digessit, ap. *Revue d'hist. franc.* (RHF), III, 304-6. Quia codex Is codici S valde affinis sed antiquior illo est, editorem plus nobis doluisse opinamur, quod eum tardius cognoverit, licet omnino necessarius dici nequeat. — Textus S. Scripturae sive directe sive indirecte in hoc opere summae theologiae mysticae adhibiti omnes maxima cura exquirendi signandique erant. — Nescio cur editor singulis capitibus *Memorialis* et *Documentis* titulos in lingua sua francogallica praefixerit; quoad istos et Boccolini et priorum editorum exempla utiliter secutus fuisset, quibuscum etiam capitula longiora in plura membra apte dispertivisset.

2. Praefatus P. Doncœur ipse editioni alteri ansam praebuit, nam ab eo rogatus M. I. Ferré codicem A inspexit. Mox vero alter in alteram partem quoad plura abiit, sicque Ferré novam editionem curavit. Qui opinionem non bene fundatam, codicem A inniti in *exemplari* officiali ultra verum in maius extulit, censens A 'valoris unici' esse, quippe qui 'exemplatus sit e textu reviso et authenticato exemplandi causa' (p. XXVII), ita ut codicem A vice *exemplaris* illius reapse in sua editione adhiberet. Assertae illius 'authenticationis' nullibi tamen vestigium Ferré eruit. Iam memorata approbatio a Cardinali et doctis Minoribus facta doctrinam attinebat, non vero textus formam. Sed Ferré in verba et textum codicis A iurat, quem omnino sequendum esse edicit (p. XLIV). Nihilominus plurimas eiusdem vocabulorum mendas apertas in imis paginis adducit et pro isto 'exemplari' emendando ad alia MSS. non raro recursum habuit. Fidelius certe quam P. Doncœur textum sui A refert, dicens se 'plus quam 450 erroneas lectiones' apud P. Doncœur deprehendisse. Correctior ergo lectio codicis A proculdubio alteram hanc editionem commendat, quidquid caeterum de eiusdem valore interno quilibet censeat. Ast aliorum codicum variantes lectiones nonnisi raro adducuntur, etsi Ferré primus codicem Is adhibuerit. Ectypon nitidum folium 7v codicis A lectoribus exhibet.

Ut textum codicum S et Is deprimat, Ferré aliquos locos in A deficientes examinat (p. XLIV-VI), arguens eosdem male interpolatos esse in S et Is. — Ad locum primum duobus (?) vocabulis constantem vix quidpiam dici potest; ideo etiam quia errore laborat; cf. Ferré, 178; Doncœur, 74, 23. — In loco II: *Quia verum erat [illud quod dicebat scriptura divina et non erat] ei contrarium,* ubi inter uncos posita, sicuti et infra, in A desunt, nobis homoioteleuton in causa esse videtur. Verum quia agitur de subtilissima exegesi mystica textus Ioh. 3, 34, plura addere nolimus, adnotantes loci huius exegesim non simpliciter e Rom. 12, 3, repetendam esse. Cf. locum apud Fr 200; apud Dc 88, 28. Sic citabimus duas has editiones: Fr et Dc. — Tertius locus allegatus (Fr 476; Dc 177, 26-7) homoioteleuton non est. Sed quia enumeratio anaphorica etiam in A quadam rubrica dirumpitur, interruptionem alteram minoris aestimamus quam Ferré. Praeterea et ante et post hunc locum tam in A quam in S et Is series intercipitur; quare in mente auctoris continuata non erat. — Quod pariter valet pro loco IV

(Fr 476, l. 18; Dc 178, 9-12). — Locus quintus homoioteleuton: *cum tota se... cum tota se* praesefert; item omissionem. Explicatio ab editore subnexa errore quodam aperto laborat. — Hi ergo loci soli a Ferré allati, ut interpolationes in S et Is demonstret, assumptum editoris probare nequeunt. Accedunt aliae res supra 385, iam notatae. — Quibus alia homoioteleuta subdimus: Fr 194; Dc 79, 29: *quod vix aliquando possum plorare propter desperatum dolorem et iram. Aliquando* [*ploro irremediabiliter. Aliquando*] *tanta ira postea supervenit, quod vix possum tenere me, quod non me totam dilanio.* In contextu ploratus iste revera intercessisse innuitur adverbio *postea.* — F 22: Dc 90, 23-4: *delectabatur enim valde in illo casseto* [*immensa iocunditate; dixit anima: Quare ego tantum delector in isto casseto*] *et cum tu, Domine, sis ubique* etc. Coniunctio *et* dittographiam ostendit. — Cf. etiam Fr 264 cum Dc 108, 25-6 et 27-8; item Fr 268 cum Dc 109, 26-7; item Fr 252 cum Dc 169, 4-5 atque Fr 136 cum Dc 58, 22-3 et 24, etc. — Si A in exemplari authenticato niteretur, in hoc non defuisset saltem signum clarum ubinam rubrica ponenda esset; cf. Fr 80: Dc 38. — Mirandum est magnopere, quod in A suppressus fuit locus de Fr. Iohanne de Murovalle, Ministro generali, 1296-1304, et « *de tanto beneficio nobis* (ait Angela) *impenso* ». Qui locus non in solo R a Ferré allegato adest, sed etiam in aliis; cf. Dc 142; Fr 368. Rationes leves suppressionis a Ferré ap. RHF II, 363, allatae vix ulli rem persuadebunt.

In praefatione sua parum ordinate disposita Ferré paucis ea comprehendit, quae alibi fusius digesserat; *Les œuvres authentiques d'Angèle de Foligno,* ap. RHF I, 296-314; *Les principales dates de la vie d'A. de F.*, ibid. II, 21-34; *Une lettre d'A. de F.*, ibid. 361-75; *Histoire du manuscrit d'Assise,* ibid. 480-92; *La première préface des œuvres d'A. de F.*, ib. III, 1-6; id est in cod. S et ap. *Acta SS.* ian I, 186s. et apud Dc 201-2. — Coniecit Epistolam incipientem: *Desidero multum,* ap. Fr 362-9, ap. Dc 139-42, ad Fr. Ubertinum de Casali directam fuisse. — De chronologia vitae B. Angelae Ferré bene meritus est, licet non nisi paucae notae chronicae certae appareant, quales sunt res annis 1294, 1296 et 1300 affixae. Iam diu constabat e MSS. Angelam obiisse 4 ianuarii 1309. Approbationem *Libri* a Iohanne de Colonna datam in annos 1309-10 reponere studuit rationibus sat dubiis. — Alios S. Scripturae locos in *Libro* adhibitos significavit, alios praetermisit. — Plurium vocabulorum e vulgari Italo originem in adnotationibus lectoribus pandit; plurium aliorum etyma vulgaria non explicavit. Laudandus, quia ad plures locos parallelos *Libri* lectores remisit; quod subsidium frequentius adhiberi potuit, quia in paragraphos textum commode divisit, quamvis hae inaequales valde sint et generatim longiores. — Index rerum in fine haec supplere non potest, quia concisior est (525-31). — P. 38 vox *conventualis* parum recte explicatur, quoniam simpliciter significat Fratrem A. tunc ibi « de familia » conventus fuisse. — P. 40, 9 recte legendum erat *cogere* pro *cognoscere;* nam vox illa in n. 35, 7 eodem modo et sensu recurrit. — Dictum S. Francisci allegatum (474) in *Leg. mai.* XIV, 1, legitur, in quam assumptum est e Celanensis *Vita I,* 103, 12-3.

Post *Memoriale* (1-249) sequitur *Secunda Pars* (250-487), demum *Tertia pars* (488-523). Haec novem *Opuscula minora* complectitur, illa vero 23. Quae 23 cum *Memoriali* in A exstant. Ex illis 9 vero, 8 in S (et partim in Is atque B) leguntur; nonum, scilicet brevis notitia de obitu B. Angelae etiam in margine codicis A reperitur. Hinc omnia ista etiam apud Doncœur inter *Documenta* exstant. — Sed alter editor aliter haec opuscula dispertivit. Num. IV apud Dc (123), in Fr 306 in notam relegatus est. Est enim dictum breve Abbatis Evagrii, de quo sane mirandum, quod in *exemplari normali* fuerit. Addimus hoc effatum legi in *Vitis Patrum*, V: *Verba Seniorum*, X, 20 (P. L. 73, 915). — Dein numeri VI-VIII apud Dc (127-30) respondent unico numero V apud Fr (320-30), etc. Subsequuntur aliae quoque divisionum diversitates, ita ut altera editio alteri non nisi difficulter comparari possit. — In ipsa tabula materiarum ap. Fr (534) titulus numeri 21 erronee omissus fuit.

Ferré e regione textus latini etiam versionem suam francogallicam addidit, de qua pauca nobis dicenda sunt. Generatim fida nobis est visa, sed textui latino libero studio coaptata, quin dicamus liberiore. Non approbamus quod « *frater scriptor* » constanter versum est « *frère copiste* »; nam Frater A. plus quam « copista » fuit, quia textum latinum utcumque exaravit, quocumque stili ornatu neglecto. — Neutrius editionis tituli paginarum utiles erunt lectoribus. In Fr insuper singula opuscula partis II et III latius disposita sunt, et quamvis brevia sint, binas occupant paginas, ita ut quandoque (vi regulae cuiusdam typographicae hic non apte adhibitae) quatuor paginae numeris careant: p. 286-89; 348-51, 354-57. Quod incommodum est evidens.

3. P. Doncœur postmodum eleganti forma typorum (a quibus xylographiae rudiores intersertae magnopere discrepant) versionem propriam *Libri B. Angelae* edidit, item magna, immo maxima fide exaratam. Praecedens versio elegantior est, haec sententias seu phrases latinas accuratius sequitur, nonnihil priscam atque archaicam dictionem aemulans. De quibus scribendi modis gustum attinentibus hic contendere vetamur. Ipsa prima sententia Prologi diversitatem collustrat: *Vere fidelium experientia probat, perspicit et contrectat de Verbo Vitae incarnato* etc. Quae Doncœur sic verbotenus vertit: *Vraiment l'espérience des Fidèles éprouve, perçoit et touche le Verbe de Vie Incarné* etc.; Fr autem ita: *L'expérience des vrais* [!] *fidèles leur fait éprouver, pénétrer* [!], *palper quelque chose* [!] *du Verbe de vie incarné* etc. Ex hac sua interpretatione primarum vocum Ferré etiam titulum libri sui mutuatus est, quem plane congruum non aestimamus. — Vocem *scriptor* Dc (31) interpretatus est *secrétaire,* dein vero rectius: *écrivain* (33, 48, 98). In Praefatione (5-24) de B. Angela paucis disseritur, de temporum in quibus vixit adiunctis, deque aestimatione qua eius Liber habitus sit saec. XVI-XVIII (21-2). — E titulo huius libri auferendae sunt voces « *édités et* », quoniam sola versio hic praebetur. — In versione exaranda Dc usus est etiam codice Is, de quo in Appendice (369-60) pauca pandit, ea repetens quae dixerat ap. *Recherches de science religieuse,* XVI (1926),

191-2: *Un nouveau MS. du XIV siècle du Livre d'Angèle de Foligno;* coniciens Is (directe) promanasse e *Rotulis* primitivis *Libri B. Angelae,* in cod. A incomplete exemplatis. — Historia textus *Libri B. Angelae* adhuc obscura est. — Neuter editor adhibuit neque in libris suis recoluit MS. Seminarii Maioris Leodiensis *6, g. 4,* descriptum a P. Hug Lippens ap. AFH VII, 744, quod aliis MSS. belgicis (sive familiae B) affine est, exemplatum pro Cruciferis Huiensibus an. 1424. Neuter editor inspexit *Epilogum* [qui titulus in se improprius est] *Revelationum B. Angelae* auctore Hieronymo de Praga, Ord. Camald., scriptum an. 1425. Editus est ap. Mitarelli, *Annales Camaldulenses,* Venetiis 1773, IX (*sic*), 868-901, et notatur in *Bibl. hagr. lat.* n. 457. Paucis subiungimus textum hunc, qui compendium est, cognationem habere cum cod S et Is atque cum familia B. Pragensis primum exscribit « 27 passus » (869-90), dein adhuc duo capitula subsequuntur (890-99; 899-901) cum notitia illa brevi de obitu B. Angelae.

4. R. D. Mich. Faloci Pulignani e codicibus Bibliothecae Perusinae *1176* et *1200,* saec. XV scriptis pro Clarissis monasterii Montis Lucis, Perusiae edidit versionem italam *Libri B. Angelae,* quam quoad orthographiam et phoneticam usui coaptavit moderno. *Liber* 29 capitulis hic constat (35-333) a conversione B. Angelae, anno 1300 assignata, usque ad obitum pertingentibus. Versio quaedam liberrima est textus *recepti;* aiente editore eius, potius est: « *una rifusione, una ampliazione, una compilazione degli scritti della Beata* » (29). Quamobrem, post praelaudatas editiones textus latini plura de hac 'versione' non subdimus. — In Praefatione (5-34) perdoctus editor de *bibliographia B. Angelae* plura praemisit (5-25), ubi mendae typographicae in titulis exterarum linguarum scatent (v. praesertim 22-4); dein de MSS. illis Perusinis disserit (26-34). Iam an. 1888 bibliographiam B. Angelae collegerat ap. *Misc. Fr.* III, 174-87. — Opusculum separatim expressum est e *Misc. Franc.* XIX-XXI, 1918-20 [horum paginae recensitae sunt ap. AFH XIV, 315] et XXII (1921) 23-34.

5. Ea quae idem auctor Patri Doncœur (num. **1**) praesertim de cultu B. Angelae in patria sua Fulgineo, inde saec. XVI ineunte miserat, postea aliis notitiis auxit, facta etiam quaedam Vitae eiusdem tangens ap. *Misc. Fr.* XXV (1925), 75-80, 113-32, unde hoc opusculum seorsim prodiit. Aliqua etiam bibliographica ibi subnexuit (130).

6. Memoramus paucis versionem italam a L. Fallacara an. 1922 Florentiae vulgatam in collectione *Libri della Fede,* accurationis nimis expertem; cf. AFH XVI, 427s. — R. D. Pisaneschi magna cum peritia interpretatus est textum receptum, usus editione an. 1714 supra (num. **1**) citata. Post mortem interpretis elegantis († 29 dec. 1924), cl. v. Guido Battelli librum edendum curavit.

7. Eumdem textum in linguam germanicam scienter transtulit J. v. d. Arend, qua tomum XV collectionis librorum conscriptorum ab auctoribus tum ingenio tum religione seu pietate insignibus.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Cleary, Gregory, O. F. M. — *Father Luke Wadding and St. Isidore's College, Rome. Biographical and Historical Notes and Documents. A Contribution to the Tercentenary Celebrations.* — Roma, [tip. del Senato], 1925. — In-8°, VIII, 263 pp.; (accedunt 25 tabulae).

Inter innumeros qui in dissertationibus apud hoc AFH vulgatis allegati fuerunt auctores, nomen P. Lucae Waddingi principatum clarum tenet. Is enim est qui summo labore maximaque eruditione opus praeclarum valde collegit ac edidit, cuius tomus primus hanc inscriptionem prae se fert: « *Annales Minorum, in quibus res omnes Trium Ordinum a S. Francisco institutorum ex fide ponderosius asseruntur, calumniae refelluntur, praeclara quaeque monumenta ab oblivione vindicantur* ». Volumen I Lugduni an. 1625 prodiit; ibidem volumina II-VII typis cusa sunt, 1628-48; VIII quod rerum gestarum narrationem usque in an. 1540 perduxit, Romae editum est an. 1654 ac denuo Lugduni 1657. Narratis a se plurimos textus antiquos interseruit Waddingus, aliaque documenta; praesertim in cuiusque voluminis fine *Regestum Pontificium*, i. e. *Bullarium Trium Ordinum* subiecit. — An. 1733-36 nova editio horum 8 tomorum in binos dissectorum Romae prodiit, quos numero alii postea auxerunt; XXV et ultimus an. 1886 editus, res tantummodo usque in annum 1622 prosecutus est. — Hinc nil mirum, quod an. 1907, cum de hoc nostro AFH fundando ageretur, aliquibus visum sit, ei titulum *Analecta Waddingiana* praefigere, quia istud periodicum non poterat quin satageret Waddingum supplere, augere, corrigere, ubi hoc opus foret.

His visis, rationes abundant intimis ex praecordiis plaudendi operi docta industria a P. Gregorio Cleary composito, cum tertium centenarium Collegii S. Isidori a Waddingo in Urbe an. 1625 fundati recurrebat. — Prima pars merito dedicatur biographiae P. Lucae texendae (1-60), cuius stirpi insigni huius partis appendix (60-72) reservata est. Lucas natus Waterfordiae 16 octob. 1588, baptismate lotus renatus est 18 oct. in festo S. Lucae, cuius nomen accepit. A fratre maiore, qui mercator erat, an. 1602 in Lusitaniam vectus, Ulyssipone in Collegio Hibernorum philosophiae studio incubuit, sed mox Ordinis Minorum habitum sumpsit in conventu Matozinhos prope Portuensem civitatem Lusitaniae. Exinde Leyriae, tunc Coimbriae philosophiae Scotisticae initiatus est; theologiae curriculo absoluto, an. 1613 presbyteratus ordinem suscepit, dein Salmanticam adiit. Ibi lectorem agens a P. Antonio de Treio, antea (1613-18) Vicario generali Ordinis, tunc episcopo Carthaginensi, qui mense octobri 1618 Romam qua Legatus extraordinarius Philippi III pro causa Immaculatae Conceptionis promovenda missus est, ceu Legationis regiae theologus accitus fuit (1-10). Quod munus ut proficue obiret, Romae bibliothecas indefessus Lucas lustrabat, moxque plurima in lucem opera edidit (10-8). Waddingi copiosam bibliographiam auctor accurate recenset (53-9). Ultra *Annales*

Minorum, collegit *Scriptores Ordinis Minorum,* Romae 1650; 1806 [sic; non 1810]; 1906. In lucem quoque edidit commentariis variorum aucta *Iohannis Duns Scoti Opera omnia,* Lugduni 1639, 12 voll. sive 16 tomis in-fol. Quibus accedunt alia opera complura.

Praeter Collegium S. Isidori, an. 1627 adiutus munificentia Cardinalis Ludovisii, Collegium Hibernorum Ludovisianum pro clero saeculari patriae instruendo erexit. Huius alumni lectiones apud S. Isidorum frequentabant; ast Franciscanorum protestationes non impediverunt, quominus iam an. 1635 Iesuitis concrederetur (38-45; cf. etiam documenta, 194-212). — An. 1656 Capranicae domum novitiatus pro confratribus suis Hibernis fundavit (45-7 et 216-20). — Cum Hiberni catholici an. 1641 bellum contra Anglos inirent, Waddingus agens politicus et procurator habilis actuosusque valde Confoederatorum Hibernorum factus est, quibus pecuniam (belli nervum), bombardas, scopleta, aliaque plurima subministrabat, sed incassum ob discordiam inter eos mox serpentem (19-38). Cardinalis galerum recipere renuit, alios honores flocci faciebat (47-51). Traditur etiam ipsum in conclavi papali (an. 1644) aliquot Cardinalium vota tulisse (49). Obiit vir religiosissimus, Frater Minor humillimus et doctissimus die 18 nov. 1657; sepultus in ecclesia S. Isidori.

Tertia pars operis inscribitur: *De fundatione Collegii S. Isidori* (157-71). P. Lucae tunc in conventu Montis Aurei degenti, Minister Generalis Ordinis an. 1625 obtulit domum, quam PP. Discalceati Hispani in colle Pincio construi ceperant pro suo Procuratore generali, imperfectam, graviterque obaeratam. Lucas intrepidus domus ecclesiaeque constructionem absolvit, aes alienum persolvit, sicque Collegium celebre S. Isidori Provinciae Hiberniae, domum piae recollectionis ac studiorum severiorum ibi instituit, annuentibus rege Hispaniae atque Summo Pontifice; cf. etiam documenta, 175-194, 211-60. Inter haec documenta adsunt plura inventaria reliquiarum et aliarum rerum (non codicum neque librorum) S. Isidori saec. XVII et XVIII; sed praesertim *Statuta* austera pro Collegio a Waddingo an. 1625 composita (185-94).

Fama Collegii non in solo P. Luca innitebatur, sed etiam in confratribus, quos sibi illuc arcessivit. Isti « *socii et discipuli Waddingi* » in secunda parte (73-171) recensentur iuxta morem operum bio-bibliographicorum, sed plurimae notitiae novae e tabulariis adduntur. Omnes Hiberni erant, duobus Hispanis: Gaspare de la Fuente, Scotista atque Iohanne de Riera, Lullista, exceptis (79-80). Saltem nomina aliquorum, opera eorum reticentes, hic recensebimus: Antonius Hickey (Hiquaeus; pseudonyme: Dermitius Thadei; 73-81); Iohannes Ponce (Poncius), ut praecedens Scotista praeclarus (83-6); item Bonav. Baro(nius), Waddingi ex sorore nepos (88-100), dignus, cui monographia specialis dedicetur, ait auctor (92). Horum trium effigies a Fratre laico Emmanuele de Cumis (Como), O. F. M., affabre depictae an. 1672, in parietibus aulae theologicae Collegii S. Isidori conspiciuntur. Hos adornant etiam imagines Waddingi, Fratrum Mauritii a Portu (O'Fihely, Archiepisc. Tuamensis, † 1513), Hugonis

Cavelli (Mac Caughwell, archiepisc. Armachani, † 1626) insignium Scotistarum atque ipsius B. Iohannis Duns Scoti († 1308). Hae imagines cum pluribus aliis, Collegii aspectus varios dilucide referentibus, opus exornant. Optabilius erat etiam earumdem imaginum inscriptiones typis edere. Collegium S. Isidori centrum studiorum Scotisticorum tunc constituebat, e quo Lectores non solum in duo alia Collegia Hibernorum Franciscanorum: Lovaninm et Pragam mittebantur, sed etiam in alias Provincias Ordinis. — Sed elenchum suprafatum paucis prosequamur: Iacob. Milesius (82s.); Bonav. Conny (alias: Quinaeus, 100-2); Bernardinus Barry (102s.); Antonius O'Brien (103s.); Franciscus O'Molloy (104-8); Paul. King (alias: O'Cingeadh; 114-8); Patricius Tyrell (118-21); Franc. Porter (121-3), aliique plures. — Memoramus expresse Franciscum Haroldum (108-12) alius sororis Waddingi filium, Lucae successor qua *Ordinis Annalista.* Inter alia, 8 tomos Annalium avinculi sui in 2 volumina compegit et compressit: *Epitome Annalium Ord. Minorum,* Romae 1662, 2 voll. in-fol.; tomum IX paravit sed non absolvit, neque in lucem dedit sed alius hoc egit, Haroldi partes ac nomen silens. *Epitomae* etiam *Vitam* Waddingi praefixit (t. I, 7-91), recusam in IIa editione *Annalium* (I, 1733, p. I-CLXXX). Haroldus defunctus est an. 1685.

Alii Waddingi discipuli et adiutores ab haereticis pro fidei causa martyrio affecti sunt: Patricius Fleming (142); Bernardus Conny (alias: Mac Giolla Coinne; 145s.); Franciscus O'Sullivan (147s.); Eugenius O'Cahan (148s.); Dionys. O'Nelan: Thaddaeus O'Carraghy; Richard. Synott (149-53); Bonav. Bruodin (153-6). Michael O'Duvin (alias a S. Maria), Ianuae ubi Lectorem egerat, maxima in sanctitatis fama obiit an. 1652 (142-5).

Circa *Oculum moralem* (14), videsis AFH XVI, 309-22. — Waddingi *Apologeticus de praetenso monachatu Augustiniano S. Francisci,* Madriti 1625, denuo editus ap. *Annales,* I¹ (1625), una cum *Apologetici Defensione* (51), tertio prodiit ap. *Annales,* II² (1732), 441-98, una cum *Defensione,* 499-596. — Alph. Ciaconii *Vitae et res gestae Pontificum et... Cardinalium* (58) primum prodierant Romae, 1601, 2 voll. in-fol.; editionem II curavit Andr. Victorellus, ibid. 1630, 2 voll., large adiutus a Waddingo, ut ipse in praefatione statuit. Victorelli praefatio recusa est etiam in edit. III, quam perfecit Aug. Oldoinus, Romae 1677, 4 voll. in-fol.: cf. I, 1-4. Ipse Oldoinus Waddingi merita recognoscit, (I, p. v).

E corde optamus, ut auctor mox etiam Collegiorum Lovaniensis et Pragensis Hibernorum O. Min. historiam (ad quam alludit, 142) in lucem sit editurus.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Teodosio Somigli di S. Detole, O. F. M. — *L'Itinerarium del P. Remedio Prutcky, viaggiatore e missionario francescano (Alto Egitto) e il suo viaggio in Abissinia. 21 Febbraio 1752 — 22 aprile 1753.* — Le Caire, Imprimé par l'imprimerie de l'Institut Français d'archéologie orientale du Caire, pour la Société Royale

de Géographie d'Egypte, 1926. — In-8 mai., pp. 157-195. (Accedunt 2 tabulae). — *(Extrait du « Compte rendu du Congrès International de Géographie », Le Caire 1925, t. V).*

Supra, 331, 345, Fr. Caius Othmer hoc opusculum non solum laudavit, sed etiam proficue adhibuit ad iter per Aethiopiam an. 1711-12 a P. Liberato Weis sociisque peractum illustrandum. Ipse P. Theod. Somigli in AFH VI, 129-43, de P. Remedio Prutky (*sic*) Bohemo disseruit ac de itinere quod an. 1752 in Aethiopiam suscepit, motus Epistola ab imperatore Yasu II e Gondar an. 1750, 18 oct., Cairum directa. P. Theodosius ibidem brevem Relationem huius itineris faticosi et mox frustrati a P. Remedio an. 1764 scriptam edidit (136-42), unde plura de eo hic addenda non sunt. Cairo profectus cum suis confratribus P. Martino Lang et P. Antonio de Aleppo die 20 augusti 1751, in Suez abierunt, unde versus Rabegh, portum Medinae navigantes, illinc Mare Rubrum transfretaverunt, navem ad Massauam appellentes. Post plurimos labores exantlatos et pericula superata in montibus et saltibus asperrimis abruptisque, tandem ad Yasu II in Gondar pervenerunt 19 martii 1752. Ast iam 25 dec. eiusdem anni abire coacti sunt PP. Remedius et Martinus, P. Antonio solo in Gondar retento.

Iter illud atque reditus an. 1752-53 a P. Remedio descripta sunt in MS. apud Fratres Minores Pragenses servato: *Itinerarium in quo... imperia, regna... montes... populi... describuntur,* in-8°, pp. 892. Hoc MS. usus, P. Theodosius itinerarium P. Remedii sociorumque accurate describit, loca peragrata ope aliorum auctorum posteriorum docte indagans, notitias topographicas, geographicas, nonnullasque ethicas et ethnographicas ex eodem proferens atque illustrans. Ipse enim sub prelo habet volumen e documentis compositum: *L' Etiopia Francescana,* quod mox proditurum esse auguramur atque optamus. — In initio aliqua circa Fratres Minores alios in Aethiopia collegit (158-61), in fine notitias « politico-historico-geographicas » de Aethiopia e praelaudato *Itinerario* depromens (187-95). — Opusculum caeterum est Relatio, quam P. Theodosius coram Congressu Internationali Geographiae promovendae an. 1925 Cairi habito, recitavit. — Addi fecit maximam tabulam seu chartam geographicam Aegypti et Abyssiniae, ctm. 44×77, in qua etiam alia itinera aethiopica a Fratribus Minoribus intrepidis saeculis XVII et XVIII peracta delineavit. Cui accedit alia Tabula minor, cm. 30×30, in qua Aethiopiae itineraria a Massaua usque in Gondar, prope Lacum Tsana, delineata sunt. Hae proinde tabulae aliis quoque scriptoribus rerum Aethiopicarum utiles erunt. — Ad p. 162, l. 2, notamus P. Antonium a Yasu II detentum esse, non ut Psalmos verteret, sed Pentateuchum, sicuti P. Remedius in brevi sua Relatione scribit, ap. AFH VI, 141. -- Inter plurimos quos allegat auctores recensemus (188): Carlo Conti Rossini, *Il « Libro del conoscimiento » e le sue notizie sull' Etiopia,* Roma 1917, in-8°, 26 pp. (Extract. ex *Bollettino della R. Soc. Geografica Italiana).* De quo opere gravi et grandi cuiusdam anonymi Fratris Minoris Hispani saeculi XIV, cf. v. gr. Civezza, *Saggio di bibliogr. sanfrancesc.* 331-2.

P. Michael Bihl, O. F. M.

— — *The Friars Minor in the United States. With a brief History of the Orders of St. Francis in General. Published under the authority of the Very Reverend Ministers Provincial of the Friars Minor in the United States.* — Chicago, Ill.,: Publication Office, 1434 West 51 Street, [1926]. — In-4°, [IV], 365 pp. (linteo relig.).

In parte postica tituli legitur: hoc opus anonymum publicatum esse auctoritate A. R P. Ministrorum provincialium O. F. M. Etiam totius operis tenor manifestat ipsum a variarum Provinciarum Patribus conscriptum esse; secus enim notitiae complurimae quibus constat, circa initia singularum Provinciarum et domuum, circa earumdem progressus miros profectusque fecundos, tanta ubertate et accuratione coadunari non potuissent. Licet in his proponendis non ubique eadem methodus vigeat, optimus conspectus praebetur initii, evolutionis, actuositatis impigerrimae a singulorum conventuum patribus in salutem animarum procurandam et promovendam naviter impensae.

Maxima pars libri dedicata est domorum historiae non quidem narrandae sed paucis et insignioribus notaminibus factisve adumbrandae. Res praeprimis etenim versatur circa ecclesias parochiales fundatas, circa domus eisdem adstructas, mox ampliatas, sive residentiae remanserint Patrum in curam animarum incumbentium propria in ecclesia et in alias stationes et missiones excurrentium, sive in conventus magnos excreverint. Quae quamvis perfunctorie proposita et exhibitis complurium ecclesiarum domuumque effigiebus apte illustrata, non possunt quin admiratione confratres veteris nostrae continentis afficiant, quandoquidem industria haec non solum incolas catholicos in Statuum Unitorum vastissimas plagas immigrantes complectitur, sed etiam ad Indianos convertendos incumbit et usque in missiones Sinenses sese extendit.

Provincia S a c r a t i s s i m i C o r d i s I e s u primum initium habuit an. 1858 a Patribus Provinciae S a x o n i a e, an. 1862 Commissariatus institutus est; an. 1879 Provincia canonice erecta est (39-135). Collegium S. Ioseph Teutopoli fundatum an. 1862, usque in an. 1898 simul dioecesanum erat; hinc mere 'Seraphicum' declaratum est; cui an. 1870 accessit collegium publicum pluries ampliatum in Quincy (112-7; 129-33). — Provincia S. I o h a n n i s B a p t i s t a e sive C i n c i n n a t e n s i s (139-227) exordium sumpsit a PP. Provinciae S. L e o p o l d i Tyrolis an. 1844: custodia effecta an. 1859, Provinciae iura obtinuit an. 1885. Collegium Seraphicum iam an. 1858 coeptum, an. 1923 spatiosissima structura alio in loco prope Cincinnati renovatum est (160-3). — Iunior est Provincia SS. N o m i n i s, an. 1875 inaugurata a PP. Provinciae F u l d e n s i s, an. 1901 qua Provincia constituta, quibusdam domibus Custodiae Immac. Conceptionis ipsi addictis (231-51). Collegium et Seminarium S. Bonaventurae in Allegany etiam clericis plurium dioecesium patet inde ab an. 1859 (137-9), cui an. 1910 Collegium Seraphicum in Callicoon accessit (243s.). — Provinia S. B a r b a r a e in California et statibus con-


tiguis filia est Provinciae SS. Cordis, an. 1915 autonoma facta. Plures Missiones Patrum Hispanorum saec. XVIII huius Provinciae Patres inter Indos resuscitaverunt (255-93). — Provinciae Immaculatae Conceptionis an. 1855 initium dederunt Patres Itali, qui an. 1861 Custodiam efformaverunt, inde vero ab 1911 Provinciam propriam. Collegium suum Seraphicum in Catskill an. 1908 construxerunt (297-314). — Commissariatus B. Mariae Assumptae in Pulaski a Patribus Polonis Galliciae, immo a Fr. laico Augustino Zeytz an. 1886 institui coepit. Collegium Seraphicum an. 1903 structum, an. 1922 in Sturtevant translatum est (315-33). — Commissariatus S. Crucis originem duxit a PP. Slovenis Provinciae Carnioliae an. 1839 ac de novo an. 1909, quibus etiam Croatiae et Slovachiae confratres se adiunxerunt (337-48).

Opus pulchre editum, ubertate factorum et gestorum, grave et persuasivum, clauditur cum notitia de Commissariatu Terrae Sanctae, cuius sedem apud Americanos famosam mira structura an. 1898 condidit P. Godfridus Schilling (351-3). — In prima parte voluminis conspectum habes generalem probumque historiae Ordinum S. Francisci (1-25) atque notitias breves de Fratribus Minoribus in finibus Americae centralis, meridionalis atque septentrionalis (29-35) saeculis XVI-XVIII.

P. Michael Bihl, O. F. M.



MISCELLANEA



De antiphona S. P. Francisci: « Plange, turba paupercula ». — Olim infra octavam festi S. Francisci ad Benedictus et Magnificat pro commemoratione S. Patris quatuor antiphonae cantandae vel recitandae assignabantur in antiquis breviariis et antiphonariis, scilicet: *Sancte Francisce, propere* (¹), dein: *Caelorum candor* (²), tertio *Salve sancte Pater* (³), demum:

Plange (⁴), *turba paupercula* (⁵), | *ad patrem clama pauperum!*
Hoc lugubre suspirium, | *Pater Francisce, suscipe,*
Et prode Christo stigmata | *lateris, pedum, manuum,*
Ut nobis reddat orphanis | *tanti patris vicarium.*

Integram hanc antiphonam Bartholomaeus Pisanus de stigmatibus agens, suo *Libro de conformitatibus* inseruit (⁶) scribens: « Et quia dominus Papa Gregorius sic est certificatus, ideo in Prosa, quam fecit de b. Francisco quae incipit: *Caput draconis ultimum,* subdit de stigmatibus: *Verum de Christi latere* ... Et in antiphona quam fecit de b. Francisco, scilicet: *Plange turba* etc. ».

Post Pisanum (⁷) Petrus Rodulphius simpliciter scripsit (⁸): « Gregorius IX Pont. composuit antiphonam: « *Plange turba paupercula* », scilicet in honorem S. Francisci; item eumdem Antiphonae scopum atque auctorem indicans Waddingus (⁹) dixit: « et quae recitatur, defuncto

---

(¹) Adest adhuc in *Breviario Romano-Seraph.* ad 4 octob.: « *Infra octavam ad Laudes* »; sed ibi vox tertia modo sonat: *propera.* — Eam habes etiam ap. Elis. Bruning, O. F. M., *Officium ac Missa de festo S. P. N. Francisci,* Parisiis, Tornaci, Romae 1926. 102, cum notis musicis; ap. Hil. Felder, O. M. Cap., *Die liturgischen Reimofficien auf ... Franciscus und Antonius,* Freiburg (Schweiz) 1901, 124; ap. Dreves-Blume, *Analecta hymnica,* V, Lipsiae 1889, 179. Cf. Chevalier, *Repert. hymnol.* n. 18465.

(²) Usque ad ultimam reformationem Pianam Breviarii (1911), post Completorium dicebatur. Ap. Felder, 124; *Anal. hym.* 52, 181. Chevalier, n. 3589; cf. ibid. *Suppl.* IV, 95.

(³) Adest adhuc in *Brev. Rom.-Seraph.*: « *Infra octavam S. P. N. Francisci in Vesperis* ». Ap. Bruning, 97, 100; Felder, 124; *Anal. hym.* 52, 183. Chevalier, n. 3589.

(⁴) Ap. Bruning, 102; Felder, 125; *Anal. hym.* 52, 179.

(⁵) Antiphona haec ne confundatur cum hymno ad Laudes in festo S. Francisci: *Plaude turba paupercula,* qui Cardinali Rainerio Capoccio tribuitur; ap. Bruning, 57-8; Felder, 122; *Anal. hym.* 52, 181. — Cf. infra, 400.

(⁶) AF V, 407.

(⁷) Cuius locum omisit Felder, l. c. 50-2.

(⁸) *Historiarum Seraphicae Religionis libri tres,* Venetiis 1586, f. 118 v.

(⁹) *Annales,* ad an. 1228, n. 78 (II², 204).

Generali Ministro: *Plange, turba paupercula* ». Waddingus enim in hoc loco recte Gregorio IX plura alia carmina in S. Francisci laudem composita tribuerat.

Cum Waddingus haec scribebat an. 1625, fata antiphona post mortem Generalis, in officio defuncti, cantabatur iuxta *Statuta Familiae Cismontanae in Capitulo Vallisoletano an. 1593 restituta* (1). Ex antiquioribus Statutis hic allegamus *Statuta generalia Alexandrina* nuncupata, an. 1500 in Capitulo Interamnensi edita (2), quorum locus eumdem etiam in medio aevo usum viguisse probat: « Et non cantetur [post electionem Ministri generalis] de caetero antiphona: *Plange turba paupercula,* quae Generalatu vacante, in Vesperis et Matutinis in signum moeroris, loco: *Sancte Francisce, propera* et: *Salve sancte pater,* dici solet ».

Porro parum sibi constantes Rodulphius et Waddingus alibi scribunt fatam antiphonam alia occasione compositam esse, scilicet post obitum Fr. Alberti Pisani. Hic Romae, Fr. Helia tunc deposito, electus 14 maii 1239, iam 23 ianuarii 1240 obiit (3). « Cuius obitus », scribit Rodulphius (4), « tristitiam attulit multis et praecipue Gregorio IX Pont., qui in eius obitu composuit illam antiphonam: *Plange, turba paupercula* ». Quae dicta Waddingus, Rodulphium expresse allegans, aliis verbis exprimit: « sed et ipse Pontifex, qui hominem valde dilexit, et dolenter piam hanc cecinit neniam: *Plange turba ...* »; cuius neniae integrum textum hic Waddingus profert (5). Idem tunc subiungit (6): « Misit lugubre hoc carmen per Provincias, praecipiens ut quotidie cum aliis orationibus in choro recitaretur, donec Dominus substitueret rectorem. Atque ex illo tempore abiit in consuetudinem (7), ut carmen hoc lugubre, quibusdam additis precibus, dicatur semper a Fratribus, exstincto Generali, donec novus subrogetur ». — Hinc nemo mirabitur, quod P. El. Bruning scripserit (8): « Haec antiphona invenitur in fere omnibus Antiphonariis Ordinis saec. 13-15; plerumque cum rubrica: « *Tempore mortis vicarii generalis. Ad Magnificat* ».

Rubrica istiusmodi inniti videri potest in extremis antiphonae verbis: *tanti patris vicarium* ». Attamen non apte ita concepta esset. Quia

(1) Edit. Placentiae 1596, 184-5; ed. Venetiis 1598, 184-5; ap. *Chronologia hist.-leg.* I, Neapoli 1650, 433. Ubique additur integra antiphona. — Ex iisdem Statutis res repetita est ap. *Statuta ... General. ... an 1639 et ... 1642*, Romae 1642, 113; in sic dictis *Statutis Sambucanis* an. 1658: *Constitutiones ... General.* Romae 1663, 165, etc.

(2) Cf. de eis AFH XVII, 118s.; ap. *Chronol. hist.-leg.* I, 183.

(3) Cf. AF III, 233, 696; AFH II, 104. Cf. Iordanus, *Chronica*, n. 70, ap. AFH III, 51; ed. Boehmer, 59s.; Eccleston, ap. AF I, 230, 442; ed. Little, 37s., 82-4.

(4) *Historiar.* 178r.

(5) Ad an. 1239, n. 7 (III², 23). — Waddingi verba, in paucis mutata repetita fuerunt an. 1650 in *Chronol. hist.-leg.* I, 20, itemque ap. De Gubernatis, *Orbis Seraphicus,* I, Romae 1682, 111.

(6) Eadem quoque repetuntur in *Chronol.* et in *Orb. Seraph.*, sed Rodulphius haec non habet.

(7) Dictum hoc aliquatenus moderandum est; v. infra, 399s.

(8) L. c. 139.

etiam supposito, eam an. 1240 scriptam esse, non occasione mortis Vicarii sed Ministri generalis composita fuisset. Sensus ultimorum verborum est: 'ut nobis det tanti Patris vice tenentem' id est alium Ministrum generalem, non vero eum qui saeculis XIII et XIV ex officio vocabatur Generalis Vicarius, qui Generalis defuncti munus interim agebat usque ad electionem novi Ministri generalis seu usque ad proximum Capitulum generale. Sive ergo auctor antiphonae hic S. Franciscum respexerit, sive Fr. Albertum, tenor rubricae illius adaequatus dici non potest.

Accedit quod praeter Vicariatum generalem Fr. Heliae, immediate post mortem S. Francisci, a 3 oct. 1226 usque ad 29 maii 1227, toto saeculo XIII decurrente [1], tantummodo an. 1283-85, post decessum Fr. Bonagratiae († 3 oct. 1283), quidam *quasi* Vicarius generalis Ordinem rexit usque ad proximum Capitulum generale an. 1285, in quo primo [2] Officium Vicarii generalis institutum est [3], atque post obitum Fr. Arlotti Pratensis († mense aprili? 1286) Vicarius Ordinem gubernavit usque ad Capitulum an. 1287. Sed Nicolaus IV bulla sua 14 maii 1288 munus Vicarium generalem nominandi Sedi apostolicae reservavit [4]. Deinde Vicarius generalis Ordinem rexit an. 1328-29, 1342-43, 1358-9 atque saepius in altera parte saeculi XIV [5]. — Ast sensus rubricae illius obvius fit, si admiseris tenorem, uti iacet, legi in quodam Antiphonario saeculi XV pro Observantibus scripto, quibus Vicarius generalis ad instar Ministri generalis praesidebat inde ab an. 1438, respective ab an. 1415 et an. 1443. Horum ergo usui rubrica antiquior de antiphona ista, post mortem Generalis recitanda hic saeculo XV adaptata esse apparet.

Tota autem narratio Waddingi de antiphona nostra an. 1240 composita et a Papa tunc in Ordine cantari iussa [6], parum concordat cum iis quae Fr. Salimbene non quidem de Capitulo generali an. 1240 sed an. 1239 refert. In hoc Fr. Helias generalatu destitutus est coram Gregorio IX, pluribus Fratribus contra Ministrum agentibus. « Fr. Helyas », ait Salimbene [7], « videns quod universale capitulum Ordinis contra eum congregabatur, misit dicendo per loca fratrum, ut singulis diebus in capitulis suis congregati fratres post *Pretiosa* alternatim intelligibiliter legendo dicerent illum psalmum: *Qui regis Israel intende...* ». Quem Psal-

(1) Nihil omnino scimus de Vicario generali post Fr. Alberti decessum instituto.

(2) Constitutiones an. 1260 de hoc officio silent; S. Bonav. *Opera*, VIII, 460; ALKG VI, 124s.

(3) ALKG VI, 53ss. Salimbene, *Cronica*, ed. Holder-Egger, 78s.; ed. Parm. 337; *Chron. 15 Gen.* ap. AF III, 702-3; v. ibid. 382.

(4) BF IV, 21. (5) Holzapfel, *Handbuch*, 689ss.; *Manuale*, 619ss.

(6) Waddingus rem e Mariano hausisse videtur, quem ibi allegat, una cum Angelo Clareno, *Tribulat. II* et Bernardo de Bessa. Hic neque in *Chron. 15 Gen.*, neque in *Libro de laudibus* tale quid refert; (cf. AF III, 666-97), et eo vel minus Ang. Clarenus: cf. Tocco, *Le due prime tribulazioni*, Romae 1908, 83. Hae duae citationes tantummodo mortem Fr. Alberti respiciunt.

(7) *Cronica*, 159; ed. Parm. 411 (quae tamen plura omisit).

mum 79 Salimbene suis glossis Ordini S. Francisci applicat, dein addens: « Diximus ergo diebus illis predictum psalmum ante generale capitulum bene per integrum mensem; quod nec postea nec ante fieri vidi. Quod si fieret ante quodlibet generale capitulum, non reputarem incongruum, maxime autem post generalis ministri decessum. Et post psalmum et *Gloria patri* et *Sicut erat* diceretur antiphona: *Plange turba paupercula.* Versus: *Ora pro nobis beate Francisce* Oratio: *Deus, qui ecclesiam tuam beati Francisci* (1). — Aliis autem temporibus, quando generalis vivit, dicatur post psalmum versus: *Fiat manus tua supra virum dextere tue.* Resp.: *Et super filium hominis quem confirmasti tibi* (2). *Domine, exaudi orat. meam. Dominus vobiscum.* Oremus: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo ministro nostro* etc. *Vota, quesumus, Domine, supplicantis populi ... viderint convalescant. Per Chr. Dom. nostrum* ».

Circa quem locum haec sunt adnotanda. Fr. Salimbene Ordinem Minorum ingressus (3) 4 febr. 1237, haec scribebat an. 1284, i. e. post obitum Fr. Bonagratiae († 3 oct. 1283), unde tunc nondum vigebat usus, saltem in sua Provincia Bononiensi, antiphonam illam tali occasione recitandi. Quod mirum non est, quia tunc primus post an. 1240 Minister generalis in officio defunctus erat. Sed Salimbene de ista antiphona silet etiam, ubi agit de Capitulo generali an. 1285 atque ubi de Capitulo anni 1287, post Fr. Arlotti decessum (4), licet istae res recentissimae tunc essent. Gravius vero aestimamus quod Salimbene obitum Fr. Alberti Pisani referens, nihil de iussione illa Gregorii IX circa nostram antiphonam intulerit (5). — Accedunt formae conditionales verborum loci allegati, quibus Fr. Salimbene hypothetice antiphonam illam dicendam an. 1284 proponit (6), quod non egisset, si in praxi res iam fuisset.

Si integram antiphonam attente perlegeris, vix dubitabis, quin in ea postuletur dignus ipsius S. Francisci Vicarius seu locum tenens, quemadmodum etiam Summus Pontifex vocatur Vicarius Iesu Christi. Carmen revera optime intelligitur, si mox post mortem S. Francisci compositum est tamquam nenia ob patris sancti decessum sive transitum. Duplex apostrophe seu vocativus, quorum prior Ordinem intendit, alter vero ipsum S. Franciscum invocat, propter actoris mutationem, totum tenorem prima facie fortasse minus dilucidum reddit, cum sic etiam aliorum personarum mutationem importet. Hoc in contextu pronomen personale *nobis* optime quadrat; minus autem accommodatum videtur adiectivum correlativum *tanti,* quia hoc potius tertiam personam importat quam secundam, quae consequenter hic erat adhibenda. Ast haec secunda persona ex huius correlativi sensu minime excluditur, immo, licet minus perspicue, ab auctore intenditur.

Nescio utrum prior vocativus auctorem Ordini extraneum directe innuat necne, quia etiam Frater Minor poeta sic suos alloqui poterat.

(1) Est oratio diei 4 octobris. (2) Ps. 79, 18.
(3) *Cronica,* 185, 277; ed. Parm. 68, 120. (4) Ibid. 578s.; resp. 337.
(5) Ib. 643; resp. 391. (6) Ib. 165; resp. 51; cf. etiam 44, 164; resp. 17, 50.

Primo autem obtutu exclusio illa aliquatenus insinuatur. Ita etiam Gregorius IX, amicus intimus Sancti Assisinatis, auctor huius neniae aliquomodo confirmatur, etsi de hoc traditio apud Barthol. Pisanum, an. 1385-90 scribentem, posteriore tantum tempore appareat. Fr. Salimbene expresse dicit (1) Gregorium IX in honore S. Francisci composuisse hymnum *Proles de caelo*, prosam: *Caput draconis* et responsorium VIII: *De paupertatis horreo;* auctorem autem antiphonae *Plange* non nominavit. Ratio tamen deest effatum Barth. Pisani in dubium vocandi. Omnibus consideratis, antiphona *Plange* mox vel fortasse proxime post S. Francisci mortem a Gregorio IX, obitum sancti sui amici plangente composita esse, toto suo tenore inspecto, merito putari potest, uti etiam censuit R. P. Clemens Blume, S. I., eam denuo edens (2).

Hinc consequenter optimo iure conici potest antiphonam istam ante electionem primi successoris S. Francisci in Capitulo generali 29 maii 1227, in quo Minister generalis designatus est Fr. Iohannes Parentis, compositam esse. Ob Gregorii IX reverentiam, S. Franciscum 16 iulii 1228 sollemniter canonizantis, fortasse et ipsa eo die inter « *cantica nova* » (3) cantabatur. Insuper mox postea, eodem anno 1228 adhuc labente, Fr. Thomas Celanensis ad eam bis alludere videtur in sua *Vita I*, ipsi Gregorio IX dedicata, scribens: « *Repraesenta, pater, Iesu Christo, Filio summi Patris, sacra stigmata eius et lateris, pedum, manuum crucis signacula prode* » (4) atque alibi: « *Quidni exaudiatur, qui configuratus morti Christi Iesu in societate passionum eius, manuum, pedum atque lateris sacra vulnera repraesentat?* » (5). — Inter « *cantica nova* », die 16 iulii 1228 decantata, censemus etiam fuisse hymnum ad Laudes in festo S. Francisci, exordientem: *Plaude, turba paupercula* (6), cuius auctor est Cardinalis Rainerius Capoccius, O. Cist., qui in canonizatione Sancti miracula huius antea perlecta « *sacris loquelis, lacrimis perfusus edisserit* », uti ait Fr. Thomas Celanensis (7). Initium huius hymni expresse, licet poetice et pro forma tantum, contradictorium est exordio antiphonae *Plange, turba paupercula*. Hoc nobis etiam insinuare videtur antiphonam hanc priorem hymno fuisse, cuius *Plaude* certo inde ab eodem illo die 16 iulii 1228 magis consonum erat rebus quam *Plange* illius antiphonae. — Ita loci illi Celanensis et hymnus Cardinalis Rainerii confirmare nobis videntur et auctorem et tempus compositionis antiphonae istius, postmodum in Ordine Minorum Officio liturgico S. Francisci insertae (8), ob reverentiam Gregorii IX, atque dein post luctuosum obitum supremi moderatoris Ordinis a Fratribus pie decantatae.

P. Michael Bihl, O. F. M.

---

(1) *Cronica*, 383; resp. 194. (2) Ap. *Anal. hymn.* 52, 179; v. etiam 184.
(3) I Cel. 126, l. 11. (4) I Cel. 118, 13-4.
(5) I Cel. 119, 11-3. Cf. AF X, 102, nota 4. — Idem conceptus enuntiatur etiam in versu Gradualis antiquissimae Missae S. Francisci incipientis *Os iusti*, scilicet: « *Sancte pater Francisce, ostende Christo stigmata corporis tui, ut nobis concedat gloriam regni sui* ». (6) Cf. supra, 396, nota 5. (7) I Cel. 125, 19.
(8) In antiquissimo *Breviario Ordinis Minorum* nunc Monachii apud nostrates servato haec antiphona deest in officio S. Francisci.

Innnocenzo Papa IV ordina di dare ai Frati Minori di Milano la chiesa dei Santi Nabore e Felice. — Gli storici milanesi assicurano che i Minori nel 1233 gettarono la prima pietra per erigere il tempio a S. Francesco d'Assisi coll'annesso convento (1). Frate Leone da Perego, ministro Provinciale di Lombardia, presiedeva ai lavori di costruzione e inteso anche a provvedere di libri i suoi religiosi, incontrò debiti. A soddisfarli ricorse al Comune di Milano, il quale ai 12 febbraio 1237 ordinò di rifondere per questo scopo quanto si doveva restituire allo stesso comune per le passate usure o per mali acquisti o per ingiusti possessi (2).

L'arcivescovo Rizzoli (1230-1241) aveva promesso ai Minori la chiesa di S. Nabore colle adiacenze, perchè la località ove stavano era troppo ristretta ed i Minori, cresciuti di numero si trovavano nell'imperiosa necessità di ampliare il convento e la chiesa. Forti della promessa dell'arcivescovo Rizzoli, col favore di frate Leone Perego, succedutogli nell'arcivescovado di Milano fin dal 1241, si rivolsero al Papa Innocenzo IV per ottenere l'annessione della chiesa naboriana. Il Pontefice annuì alla domanda, e ai 18 maggio 1249 emanò la bolla « *Ex parte dilectorum* » indirizzandola a frate Leone arcivescovo di Milano, a Gariselo, abate di S. Vittore al Corpo, ed a Gaspare, primicerio della cattedrale di Milano. Questi vengono incaricati dal Papa a consegnare la predetta chiesa, e trasferire i chierici e le prebende di S. Nabore in altre chiese. Avuta la bolla, frate Matteo Apriglioechi, guardiano di S. Francesco di Milano, ai 26 giugno la presentò al detto Gaspare. Nello stesso giorno *Doninus magister fratrum minorum* (3) e frate Ugo dello stesso Ordine comunicarono la medesima bolla all'abate Garisello.

La bolla è inclusa nell'atto, del notaio Durando Ripa, 26 giugno 1249, dal quale appare come essa venne consegnata ai destinatarii. Di essa fa menzione Alessandro Papa IV, 5 febbraio 1255: « *Ex parte dilectorum* » (4), rinnovando le concessioni della chiesa di S. Nabore ai Minori e ingiungendo ai vescovi di Novara e di Tortona di dar esecuzione alla bolla. — Ignota allo Sbaraglia, e ormai irreperibile nella sua forma

(1) Fiamma, *Manipulus Florum*, in Muratori, R. I. SS. XI, 672, an. 1233: *Primus lapis in ecclesia fratrum minorum ponitur*. Nel 1235 la chiesa già si denominava di S. Francesco, come risulta da documento dello stesso anno, 8 marzo, nel quale appare un certo Descasio, che volendo risarcire un danno recato a S. Ambrogio, di cui era stato custode, per aver rubato una moneta d'oro, donava al prevosto Ambrogio Boffa una casa, confinante a mezzodì con S. Francesco o sia con S. Nabore: *a meridie ecclesia sancti Francisi, sive sancti Naboris* (Bibl. Ambr., *Codex Diplom.* di Nic. Sormanni, ora attribuito alla *Della Croce*).

(2) AFH IV, 259-61.

(3) Il testo dice *Donino, maestro dei frati minori*, forse indicando il *lettore* del convento.

(4) Sbaralea, *Bull. Franc.* II, n. XX, p. 15-16: *Non obstante quod f. r. Inn. Papa, ... ven. fr. n. archiepiscopo et ... abbati S. Victoris et primicerio Mediolan. suis dedit litteris, ut dicitur* etc.

autentica, la pubblichiamo come trovasi inclusa nell'atto, scritto su pergamena, del predetto notaio Ripa (1).

In nomine Domini. [*Amen*]. *Anno dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, die veneris, sexto ante kalendas iulii, indictione septima.*

In presentia infrascriptorum testium frater Mattheus Aperioculus, guardianus fratrum minorum S. Francisci Mediolani, nomine et vice ipsorum fratrum conventus eorumdem representavit et dedit domino Gasparro, Dei gratia Mediolanensis ecclesie maioris primicerio, infrascriptas litteras d. pape sanas integras et inlesas et non vitiatas, nec in aliqua parte sui coruptas, sigilo plumbeo pendente ipsius d. pape sano et integro et inleso sigilatas. Quarum tenor talis est:

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri .. archiepiscopo Mediolanensi, dilectis filiis abbati S. Victoris ad Corpus et primicerio Mediolanensi sal. et ap. bened.

Ex parte dilectorum filiorum ministri et fratrum minorum Mediolanensium fuit nobis humiliter suplicatum, ut cum locus eorum nimis ar[*c*]*tus existat, ita ut pro sui parvitate fratres degentes in ipso nonnulla cogantur incommoditatis et ineptitudinis onera sustinere, ac ecclesia et locus S. Naboris Mediolani eodem* (2) *loco, ut dicitur, adeo sunt coniuncta, ut dictis fratribus eis carentibus, nequeat ipsius loci, prout honestati eorumdem fratrum expedire noscitur, ampliatio provenire, super hoc eis providere paterna solicitudine curaremus.*

Nos igitur attendentes utilitatis fructum et animarum profectum, qui ex conversatione dictorum fratrum in illis partibus producuntur (3), *ac reputantes ipsos ex hoc et ex sue religionis favore dignos plenitudine gratie spetialis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus,* [*quatenus*] *ecclesiam et locos predictos pro ampliatione ipsa fratribus auctoritate nostra concedentes et assignantes eisdem, nec non et clericis ipsius ecclesie fatientes in aliis ecclesiis Mediolanensis civitatis et diocesis, si commode fieri poterit, provideri, de ipsis ac iure et prebendis eiusdem ecclesie disponatis et ordinetis, prout secundum Deum noveritis melius expedire. Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo. Quod si non omnibus hiis exequendis poteritis intervenire, duo vestrum nihilominus exequantur. — Datum Lugduni, XV kalendas iunii pontificatus nostri anno VI.* — [18 maii 1249].

Actum in porta horientali ad domum dicti d. primicerii. Interfuerunt ibi frater Martinus, q. Girardi de Olzate, et Petrus q. Andriotti Magantie porte comacine, et Anricus q. Constantii de Lotia, qui moratur ad S. Franzischum predictum, et Philippus f. Beltrami de Prato, qui moratur cum suprascripto d. primicerio, testes.

(1) Arch. Stato Milano, *Bolle e Brevi*, X. Nei *Regesti Vaticani* di Innocenzo IV non è inclusa, quantunque la *Bolla* sia stata realmente spedita a Milano.

(2) Corr. *eidem*.

(3) Nel testo si legge *producantur*.

Preterea vero ipso die et presentibus infrascriptis testibus, frater Doninus magister fratrum minorum suprascriptorum, et frater Ugo ordinis fratrum minorum S. Franzischi Mediolani, nomine et vice suprascriptorum fratrum et conventus eorumdem, representaverunt et dederunt d. Garisello, Dei gratia monasterii S. Victoris ad Corpus Mediolanensis abbati, suprascriptas litteras istius tenoris et suprascripto sigillo sigillatas, sanas et integras et inlesas, non vitiatas, nec in aliqua parte sui corruptas, ut supra dictum est.

Actum ad suprascriptum monasterium; unde plura instrumenta uno tenore rogata sunt fieri.

Interfuerunt ibi Ubertus, Mons et Petrus fratres, filii Iohannis Belli de Amberzago (1), *civitatis Mediolani, porte vercelline, et Beltranus q. Ambrosii Muzi, qui habitat in infrascripto monasterio et plures alii testes.*

Ego Durandus, qui dicor de Ripa, notarius, q. Girardi, civis Mediolani de burgo porte vercelline, interfui et rogatus tradidi et scripsi.

A tergo: *Quod locus et ecclesia Sanctorum Naboris et Felicis dentur fratribus minoribus.*

Frater Georgius vidit.

P. Paolo M. Sevesi, O. F. M.

De Fr. Richardo Rufo, Cornubiensi, O. F. M., ultimis hisce annis pluries in periodicis sermo fiebat et non semper recte. Sic v. g. R. P. Mandonnet (2) opinatus est Richardum Rufum unum fuisse ex quatuor Magistris qui famosam *Expositionem Regulae* scripserunt, eumdemque Richardum reprobatum esse die 13 ian. 1241 ab Episcopo et S. Theol. Magistris Parisiensibus propter aliquos errores quos docuisset. Huic opinioni merito contradixit cl. A. G. Little (3), demonstrans P. Mandonnet niti in falsa lectione Rogerii Baconis (secundum editionem Charles) dicentis Richardum reprobatum Parisius «*priusquam* legeret sententias Oxoniae ab anno Domino 1250», dum legendum est: «*postquam* legeret sententias Oxoniae», uti et editio Rogerii, procurata ab H. Rashdall (4), habet. Similiter Rufum fuisse unum ex quatuor Magistris nititur in falsa lectione apud *Firmamentum Trium Ordinum,* ubi legitur Richardus pro Rigaldo (5).

Post Little fusius de Rufi curriculo vitae egit P. Andreas Callebaut (6), unde nunc constare videtur Richardum circa an. 1238 Parisiis Ordinem ingressum, in Anglia dein professum, iam Magistrum in artibus, *postea* cursorie Sententias Parisiis legisse. Ioannes de Parma praesidens Capitulo provinciali Oxoniae an. 1248, dedit Richardo licen-

(1) *Imbezago.*

(2) *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur,* in *Revue Thomiste,* N. S. VIII, 1925, 512.

(3) AFH XIX, 483, nota 2.

(4) *Fr. Rogerii Bacon Compendium Studii theologiae,* III, Aberdoniae 1911, 52s. AFH XIX, 812. (5) AFH XIX, 841, nota 11.

(6) *Alexandre de Halès, O. F. M., et ses confrères,* etc. in *La France Franciscaine,* X, 1927, 263 ss.

tiam seu « obedientiam » Parisios petendi [1], sed nonnisi an. 1253 profectus est in Galliam, testante Adam de Marisco [2]. Anno tamen 1256 iam rediit Oxoniam, ubi successit Magistro Tomae Eboracensi.

Circa opera eius non deest aliqua confusio, uti cl. Little iam indicavit [3]. Attribuitur Richardo Rufo quaedam *abbreviatio Commentarii S. Bonaventurae in Sententias,* de quo primus Praefectus nostri Collegii, P. Fidelis a Fanna, circa an. 1880 haec notavit in catalogo suo manuscripto [4]: « Codex membr., saec. 13 exeuntis, binis columnis exaratus, quaternorum 81 et foliorum 4; ut notatur in fine, fuit olim Conventus S. Francisci Assisii, nunc ablatus asservatur apud Dom. Spithoever. Romae. Est formae, uti dicunt, in-4°, cum tabulis bullatis, corio rubeo coopertis, in quarum secunda est affixa vitta membranacea cum hac inscriptione: « *Primus et secundus super sententias Magistri Bonaventurae de Balneo regio, ordinis Minorum. Reponatur versus occidentem in solario II* ». Intus a manu paulo posteriore prima, rubeis litteris: *Primus Bonaventurae.* Alia manus saec. XVIII scripsit e regione: *Compilatio magistri Ricardi Rufi.* Deinde sequitur Prologus absque ulla nota: *Altissimus creavit de terra medicinam* et textus fol. 3r: *Cupientes aliquid de penuria.* Ibi manu saec. XVIII legitur: *Compilatio quatuor librorum Sententiarum S. Bonaventurae facta per magistrum Ricardum Rufum de Anglia* ». — Sine dubio codex ille nunc in Bibl. Vaticana adest, donum Domini Marshall qui illum Pio XI donavit, et signatur *S. 74* [5].

Eiusdem operis cl. F. Pelster, S. I., duo fragmenta indicavit [6], scil. in Cod. Bibl. Status Berolini *Th. q. 48* et in Cod. Vat. Burghes. *362*, sed non admittit authenticitatem huius operis, quia testimonium esset nimis recens, scil. saec. 15-16 (secundum P. Fidelem, saec. 18). Addit insuper fieri non potuisse, ut Richardus opus Seraphici Doctoris compilasset, quia hic post illum docuisset. Sed iam vidimus hoc non esse verum. Imprimis enim dicendum Bonaventuram lecturam Sententiarum incepisse Parisiis circa an. 1251, Richardum vero an. 1253. Insuper, scimus Richardum ab an. 1256 docuisse Oxoniae. Quis autem diceret eum Oxoniae non potuisse abbreviare opus Sancti Doctoris? Verum quidem est vittam illam auctoris nomen Richardi Rufi proferentem posterioris aetatis esse, sed qui hunc titulum scripsit, forsitan alia MSS. cognovit, unde hunc assumpserit.

Addimus praeterea in bibliotheca conventus Senensis S. Francisci olim affuisse MS. quod in catalogo intitulatur: 552. « *Quartus Ricardi abbreviatus secundum Bonaventuram in pergam. bona littera cursiva* » [7].

---

(1) *Mon. Franc.* I, 365; AFH XIX, 841; Fr. Fr. l. c. 264.
(2) *Mon. Franc.* l. c.; AFH XIX, 842; Fr. Fr. l. c. 265.
(3) AFH XIX, 843 ss. (4) Vol. XX b, p. 77.
(5) Mercati, in *Misc. Ehrle,* V, 115 s.
(6) *Zeitschrift für kath. Theol.* 48, 1924, 625 s.; cf. V. Rose, *Die Handschriften-Verzeichnisse der Kgl. Bibl. zu Berlin,* 13, Berlin 1901, 387.
(7) N. Papini, *L'Etruria Francescana,* I, Siena 1797, 187, n. 552.

Ideoque non videtur impossibile Richardum Rufum abbreviasse Sententias S. Bonaventurae, quamvis concedamus hic forsitan Richardum de Mediavilla aut alium intelligi. Quod autem in Inventario bibliothecae Assisiensis (1) simpliciter dicitur « *Primus et secundus super sententias fratris magistri Bonaventure ordinis minorum* », non impedit, quominus Richardus auctor credatur. Non enim dici potest opus hoc « simpliciter Bonaventurae adscribi » (2). Dicitur econtra esse opus « super sententias Bonaventurae », quo significari potest compilatio, abbreviatio, commentarium, seu quid simile, operis S. Bonaventurae. Quod abbreviatio haec dicitur « compilatio *quatuor* librorum », dum nonnisi duo libri in hoc codice habentur, nihil probat; ex MS. enim Senensi supralaudato patet, etiam quarti libri exstitisse abbreviationem a Richardo quodam factam.

Aliud MS. Assisiense (3) continebat aliud opus Rufi, scil.: *Compilatio quatuor librorum sententiarum secundum fratrem magistrum Riccardum Ruphi* (sic) *de Anglia ordinis minorum facta Parisiis.* [Incip..] *Cupientes... Totali libro premittit mihi* [*magister? mi et m'* facile confunduntur] *prologum.* Ubi hodie codex lateat, nescimus, sed non in nostro Collegio S. Bonaventurae, uti suspicari videtur R. P. Pelster, qui ex notitia Emi. Card. Ehrle communicat ante annos *Commentarium in Sent.* nostri Rufi apud Spithoever exstitisse (4). Insuper, assentiente cl. Little, credit in MS. Oxoniae Balliol Coll. *62* alterum Richardi Commentarium in I-III *Sent.* adesse (5), quod Oxoniae 1250-1253 composuit, dum alterum Parisiense secundum Little haberi posset in Cod. Oxon. eiusdem Balliol Coll. n. *196*, continente Commentarium in I-IV *Sent.* Alia sunt deperdita aut latentia.

De alio opere Richardi Rufi tacent non solum Wadding et Sbaralea, sed etiam Little, Pelster et alii moderni, scil. de *Commentario* Richardi *in* Aristotelis *librum Meteororum.* Fuit enim observatum (6), a Bartholomaeo Anglico in *De proprietatibus rerum* saepius nostrum Rufum allegari. Ut autem opus illud incognitum iterum inveniri queat, aliquae sententiae allegatae adducantur necesse erit, ideoque utile ducimus hic tales secundum Bibl. Florent. Laurent. Cod. *III* Plut. *XXI* sin. (S. Crucis) afferre. Inveniuntur in libro XVI operis Bartholomaei, in quo agit de proprietatibus gemmarum.

(1) L. Alessandri, *Inventario dell' antica biblioteca del S. Convento di S. Francesco in Assisi compilato nel 1381*, Assisi 1906, 104, n. 345.

(2) « Dort wird das Werk einfach dem Bonaventura beigelegt »; *Ztschr. f. kath. Theol.* l. c., 626.

(3) Alessandri, 109 n. 375; cf. AFH XIX, 844; *Ztschr. f. kath. Theol.* l. c. 628.

(4) *Ztschr.* l. c. Agiturne forsan de eodem MS. supra memorato?

(5) AFH l. c.; *Scholastik*, I, 50-8.

(6) V. g. a P. Thoma Plassmann, AFH XII, 94 et 105: dein, nominato opere, a Dom. Huyben in *Ons Geestelijk Erf*, I, 1927, 69. Pro more suo benevolo indicavit mihi locos, ubi de Richardo Rufo sermo occurrat. — Alter a Barth. allegatus est Rufus Medicus graecus, de quo cf. Ioh. Bähr, *Gesch. der röm. Literatur*, III, Carlsruhe 1870, 274 f.

Cap. 2 *De argilla* (f. 112r): « Sicut enim dicitur libro IV *Metheorum*, lutum unctuosum aptum est huic transmutationi, scil. in lapidem per calidi coagulationem ... unde gratia vaporativi potest a calido coagulari, gratia viscosi non potest ex toto educi, sed amplius comprimi et consolidari et sic in lapidem transmutari, ut dicit ibi Commentator » (1).

Cap. 4 *De auro* (l. c.): « Secundum Aristotelem autem libro *Meteorum* parum ante finem dicitur, quod aurum ...; et ideo aurum solidius est et ponderosius quam argentum, in cuius compositione plus de argento vivo quam de sulphure albo concurrere consuevit, sicut ibi dicit Ric. Rufus » (2).

Cap. 8 *De argento* [vivo] (f. 112v): « ... argentum vivum et sulphur sunt elementa ... Haec omnia dicuntur in libro *Meteorum* expresse et quae a Ricardo sic exponuntur: Argentum itaque vivum omnium metallorum dicitur esse primum et ideo respectu eorum est simplex elementum (3).

Cap. 31 *De cristallo* (f. 115r): ... assignat Aristoteles rationem 3 lib. *Meteorum*; in lapide de substantiis mineralibus sunt materialiter aqua, ut dicit Ri(cardus) Ruffus, lapidea, mineralia sunt de aqua, sed tamen, quia habent de terra siccitatem plus quam liquabilia, ideo non congelantur » (4).

In supradicto MS. non occurrit nomen Richardi cap. 7, sed in editione Francofurt. (p 720) habetur de argento: « Plus autem est ibi de aereo et aqueo et argento vivo quam sulphuris et ideo non est tanti ponderis sicut aurum, *ut dicit Richardus Rufus* » (5).

Forsitan hisce verbis allatis aliquando constare poterit, utrum illud Commentarium in Aristotelem adhuc exsistat. Interea non abs re erit hoc opus in libris bibliographicis addere nomini Richardi Rufi Cornubiensis.

Ad Claras Aquas. **F. Willibrordus Lampen,** O. F. M.

Statutum saec. XIII pro scribendis libris choralibus cum notis quadratis ad usum Fratrum Minorum. — In suppelectilium inventario ecclesiae et conventus O. M. Conv Carminiani, oppidi inter Florentiam et Pistorium siti, die 4 aprilis 1782 confecto, statim ac Fratres iussu Principis inde discesserant, inter alia in choro recensentur: « *Tre libri da coro scritti in cartapecora, due grandi e uno piccolo* » (6). Apud illam ecclesiam, in quam eo ipso anno translata est et adhuc perstat castri sedes plebanalis, iidem libri etiam nunc custodiuntur, solae forsan primi saeculi reliquiae illius vetustissimi conventus, quem tradunt anno 1211 praesentia S. P. Fran-

(1) Idem in editione Colon. 1483, fol. 273; Francofurt. 1601, 717.

(2) In edit. Colon. l. c. et s.; in Francof. nomen Richardi non occurrit, sed l. c legitur: « sicut idem dicit ». In Colon. adhuc bis citatur, in Cod. non amplius in hoc cap.

(3) Ed. Francofurt. (p. 721): et etiam Arich. sic exponitur.

(4) Ed. Colon. f. 278v; ed. Francofurt. p. 731: « lapidea de substantiis ... ut dicit Richardus Rufus. Lapides mineralium sunt de aqua ».

(5) Neque in ed. Colon. allegatur ibi, ut videtur; cf. AFH XII. 94.

(6) ASF, *Arch. 92*, n. 248.

cisci consecratum esse et anno 1212 a Fr. Bernardo de Quintavalle inceptum (1). Tres hos libros hic primum breviter describam, ne a rerum Ordinis sive liturgicarum studiosis amplius ignorentur, ex ultimo illorum enunciatum Statutum postea extracturus.

I. Kyriale et Sequentiarium. — Membr., mm. 300×190, ff. 67, saec. XIII/XIV scriptum cum notis per quatuor lineas dispositis. Pars tantum exstat ligaturae originalis cum tabulis corio in dorso coopertis. Post foliorum numerationem saec. XVII appositam (1-67), fol. 1um deperditum est; ante numerationem iam deficiebant cum textus amissione 5 folia inter 41-2, 47-48, 63-64, 66-67 (duo). Inter vero f. 24-25 adest folium originale non num. Liber desinit cum fasciculo quaterno, cui desunt 1m, 4m, 5m et ultimum folium. Continet:

f. 2-35v. *Kyriale*. Inc. «... tens Domine fili». In hymno angelico *Gloria* Missae B. Virginis tropi sunt inserti.

f. 35v-55r. *Sequentiae*. — (35r-7v) «*In Nativitate Domini:* Letabundus». Chevalier, *Repert. hymnol.* n. 10012. - (37v-9v) «*In resurrectione D.:* Victime», cum disticho *Credendum... fallaci*. Cheval. 21505. - (39v-42v) «*In Pentecoste:* Sancti Spiritus adsit nobis gratia». Manca circa medium ob folium deperditum. Cheval. 18557. - (42v-4v) «*Alia in Pentecoste:* Veni sancte Spiritus et emitte». Cheval. 21242. - (42r-7r) «*In Annunciatione b. V. Marie:* Verbum bonum et suave». Cheval. 1343. - (47r-48r) «*In festivitate b. Francisci:* Letabundus». Item manca ob folium deperditum. Cheval. 10025. - (48v-50r) «*De b. Virgine:* Virginis Marie laudes». Cheval. 21689. - (50r-55r) «*In obsequiis defunctorum:* Dies ire». Cheval. 4626 (2).

f. 55r.-59v. *Antiphonae de B. Virgine*. — (55-6). «*Hec... dicitur ab Adventu usque ad dominicam Quinquagesime:* Alma Redemptoris». Cheval. 861. - (56) «*Hec... dic. a dominica Quinquagesime usque ad feriam IV maioris hebdomade:* Ave Regina celorum». Cheval. 2070. - «*Hec... dic. a Pascha usque ad octavam Pentecostes:* Regina celi». Cheval. 17170. - (56-7) «*Hec... dic. ab octava Pent. usque ad Nativitatem b. Virginis:* Salve Regina misericordie». Manus posterior interposuit «mater». Cheval. 18147. - (58-9) «*Hec... dic. a Nativitate b. Virginis usque ad Adventum:* Quam pulcra es et quam decora» (3).

---

(1) Documenta desunt; traditio tamen rationabili fundamento non caret. Sed de his alias. Cf. AFH X, 448; XX, 314s.

(2) Cf. P. Will. Lampen, O. F. M., *Intorno al «Dies irae» di Fra Tommaso da Celano*, ap. *Studi Francescani*, XIII (1927), 1-11 (cf. p. 4).

(3) Cheval. n. 32196 eam unice citat ex *Brev. Romano* edito 1534. Edidit tamen et J. Gass (*Alte Bücher und Papiere aus dem Clarissenkloster Alspach*, Strassbourg i. E. [1907], p. 17) ex illius monasterii antiphonario MS. saeculi, ut videtur, XV/XVI. Neuter indicat tempus quo aliis Marianis antiphonis sufficiebatur. Eamdem ergo praestat ex hoc longe antiquiore codice denuo edere, variantes editionis J. Gass indicando sub litt. A: *Quam pulcra es et quam decora, karissima* (A *clarissima*), *in delitiis. Statura tua assimilata est palme* (A *poline*), *et ubera tua botris. Caput tuum ut Carmelus, collum tuum sicut turris eburnea. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, videamus si flores parturiunt, si floruerunt mala punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Alleluia.* — Notandum in epistola b. Ioannis Parmensis, data tempore Capituli Metensis 1254 (Wadding, *Annales*, 1249, n. 2), quatuor tantum ordinarias antiphonas Mariales memorari; sed in *Statutis liturgicis* capituli Gen. 1263 haec quinta quoque imponitur; AFH IV, 71.

f. 60r-7v. *Varia.* - (60-1) « Asperges »; (61-2) « Vidi aquam »; (62-6) Preces responsoriae. Textus mancus ob folia dua deperdita. - (67r.) « *Sabbato Sancto:* Kyrie »; (67v) Quatuor « Benedicamus Domino ».

II. « Antiphonarium secundum usum Ecclesie Romane », cum notis super quatuor lineas per totum. — Membr. mm. 360×260, ff. 372 constans, saec. XIII scriptis et saec. XVII numeratis. Ligatur tabulis ligneis corio coopertis. In operculo posteriore distinguitur litt. *A.* Optime conservatum.

f. 1r-6v. Kalendarium. Attamen textus mensium martii-iulii, f. 2r-4r abrasus fuit et suprascriptus manu saec. XVII: « *Index antifonarum pro vesperis ordine affabetico* (sic) ».

f. 7r-232r. Proprium de tempore ab Adventu ad Adventum.

f. 232r-323v. « *Festivitates Sanctorum per anni circulum* ».

f. 323v-356r. Commune Sanctorum; f. 356r.-61 « *Officium Mortuorum* »; f. 361v-70r. Modi varii pro Invitatorio « Venite »; f. 370v-2r. « Te Deum laudamus »; f. 372rv. Modi varii pro « Benedicamus Domino ».

Nil ad kalendarium Fratrum Minorum pertinens in Proprio Sanctorum includitur. In kalendario prima manus sub die 4 oct. festum S. Francisci rubro quidem atramento inscripsit: *Nativitas S. Francisci Ordinis Fratrum Minorum;* sed nigro tantum sub die 13 iun. *S. Antonii conf. de Ordine Minorum,* sicut non obstante rasura adhuc legitur, et die 12 aug. *S. Eupli diac. et m., et S. Leucii ep. et conf., et S. Clare V.* Kalendarium hoc cum aliis eiusdem temporis postea minutiori examini supponetur; sed eius originem et singularitatem haec nota innuere iam potest sub die 5 sept. minio scripta: *Hac die celebrat dominus Papa pro defunctis sollempniter, presentibus Cardinalibus et prelatis, et dicitur ista oratio* Deus venie largitor, *et in vigiliis dicuntur IX lectiones cum notis.* Eius tamen usum apud Franciscanos saltem a saec. XIV variae additiones huius temporis satis probant: e. g. 15 febr. *Translatio S. Antonii conf. Ordinis nostri;* 25 mai. (sub rasura) *Translatio S. Francisci Ordinis Minorum;* 19 aug. *S. Ludovici ep. et conf. de Ord. Minorum.*

III. Graduale, notatum. — Membr. mm. 395×285, ff. 189, saec. XIII scriptum et numeratum romanis numeris ad paginarum calcem, cum additionibus (charta membranis suffecta), rescriptionibus super rasuris veteris scripti et numeratione arabica in margine superiore foliorum saec. XVII exaratis. Ligatur tabulis corio coopertis, et in posteriore operculo distinguitur litt. *C.* Deest kalendarium.

f. 1r. Additiones saec. XIV, pro Missa Corporis Christi etc.

f. 1v-2r. Statutum infra edendum; *Asperges; Vidi aquam.*

f. 2v-111r. Proprium de tempore. - f. 77r-8v. Litaniae Sanctorum in Sabbato sancto, in quibus insertae sunt invocationes: *S. Francisce, S. Antoni,* non vero « S. Clara ».

f. 111v-2v. Modi Psalmorum pro Introitibus, et posteriores additiones.

f. 113r-33v. Proprium de Sanctis. - Nil de Translatione S. Antonii. 15 febr.; f. 121r. *Translatio S. Francisci,* 25 maii; f. 121v. *In festo S. Antonii presb. et conf.,* 13 iunii; nil de S. Francisci canonizatione. 16 iul., neque de S. Clara, 12 aug.; f. 131v-2v. « *In natali S. Francisci.* Gaudeamus »; in margine externo f. 132r manus paulo posterior addidit: « Sequentia *Letabundus* in fine libri » (cf. f. 163r).

f. 134 r-53. Commune Sanctorum. - f. 137-49, sublatis foliis membraneis, cxxvi-clix, inserti sunt fasciculi duo chartacei, ubi tamen manus saec. XVII textum continuavit, quem reassumit antiqua manus et pergamena, f. 150 (clx).

f. 153 r-4 v. *In agenda defunctorum.* Missa sine sequentia «Dies irae».

f. 154 v-62 v. Missae ordinarium sive Kyriale, cum tropis in hymno *Gloria*, quorum plerique postea sunt abrasi.

f. 162 v-6 v. Additiones et rescriptiones. - f. 163 v. in margine manu antiqua «[*Sequentia de*] *b. Francisco*», sed fuit penitus abrasa: distinguuntur tamen primae notae pro verbo «Laetabundus», et initiali *L* servata, noviter hinc inde titulus est inscriptus: *In festo sancti Luigi Gonzage* etc.

f. 167 r-87 v. Chartacea, saec. XVII eadem manu qua f. 137-49 conscripta, cum titulo: *In hoc libro sequentia desiderantur;* inter quae adduntur: *In festo SS. Nominis Iesu, S. Trinitatis, Transfigurationis, Immaculate Conceptionis, S. Ludovici ep.* etc.

f. 188 r-9 v. Chartacea, eiusdem ultimae manus. *Index* alphabeticus singularum partium: *Introitus, Tractus, Alleluia, Sequentie* (nulla pro S. Francisco recensetur), *Offertoria, Communiones.*

En tandem novum *Statutum*, f. 1v (1).

Ista rubrica ponatur in prima pagina Gradualium singulorum.

1. a) *In primis iniungitur Fratribus ut de cetero tam in Gradualibus quam* (2) *Antiphanariis no[c]turnis et aliis faciant notam quadratam et quattuor lineas, omnes rubeas sive nigras.*

b) *Et littera aperte et distincte scribatur, ita quod* (3) *nota* (sic) *congrue super suam litteram valeant* (4) *ordinari.*

c) *Et fiant linee modo debito distantes, ne nota hinc* (5) *inde comprimatur ab eis.*

2. *Secundo, quod custodiant* (6) *eandem litteram, eandem notam cum suis ligaturis, easdem pausas, que in exemplaribus correctis cum magna diligentia continentur, nichil scienter addito vel remoto.*

3. a) *Tertio, quod que[m]libet librum scriptum post exemplaria ter ad minus, antequam ligetur vel ponatur in choro, corrigant* (7) *diligenter tam in lettera quam in nota, ne ista opera, sicut solitum est, propter defectum correctionis corrumpantur.*

b) *Idem dicimus de Ordinariis breviarii et missalis, et Missalibus etiam postquam ea habuerint.*

4. a) *Quarto, ut postquam habuerint correcta Gradualia, Ordinaria predicta et Missalia, faciant* (8) *Officium secundum quod in eisdem* (9) *continetur.*

b) *Nec* (10) *faciant huiusmodi opera scribi vel notari a secularibus aliqua ratione, si habere valeant* (11) *Fratres Ordinis qui hec scribere et*

(1) Novum dicimus, relate ad saec. XIII, ad quod pertinet. Illud iam ediderat supra citatus J. Gass, l. c., 51 s., extrahens e *Graduali* MS., olim eiusdem monasterii Clarissarum de Alspach, saec. XV/XVI exarato; ideoque cuius temporis et momenti esset nemo tunc suspicari potuit. Variantes textus J. Gass in notis referimus item sub litt. A. (2) A add. *in*. (3) A *itaque*. (4) A *valeat*. (5) A *huic*. (6) A *custodiatur*. (7) A *corrigatur*. (8) A *fiat*. (9) A *eis*. (10) A *Quinto quod fac*. (11) A *poterunt*.

notare noverint competenter. Quod si nesciunt, addiscant et cogantur (1) *ad hoc per suos superiores, quia seculares omnia fere que scribunt vel notant corrumpunt.*

5. *Item notandum quod quandocumque cantor vel cantores aliquid incipiunt ad Graduale pertinens, dicunt* (2) *usque ad duas pausas simul iunctas. Similiter quando Graduale vel Alleluia in choro dicitur* (3) *a duobus, continuant usque ad duas pausas simul iunctas. Cum autem duo qui cantant versum Gradualis vel Alleluia vel ultimum versum Tractus, pervenerint ad duas pausas ultimas simul iunctas, chorus complet residuum quod sequitur, et non plus.*

6. *Item notandum quod alia* (4) alleluia, *que notata sunt in marginibus Gradualium, iunguntur Introitibus, Offertoriis et Communionibus inter Pascha et Pentecosten tantum* (5).

Ex huius Statuti contextu has primas conclusiones seu inductiones deduci posse videntur.

I. Statutum hoc in nullis Capitulorum saec. XIII Definitionibus invenitur inclusum. Praefixum tantum fuit (neque eius naturae aliud competebat) libris choralibus, quos Ordo velut authentica exemplaria proprio studio ordinavit, scribi in exemplum fecit et conventibus transscribenda proposuit, immo imposuit.

II. Haec exemplaria cum correctis et divulgatis a Fr. Haymone Min. Gen. (1240-44) non sunt confundenda. Ista commemorat Fr. Ioannes Parmensis Min. Gen. in supra citata epistola an. 1254, ubi proprio quoque nomine ea determinat: « *Ordinarium Missalis et Breviarium* » (6); ipsaque iam exsistentia supponit Statutum nostrum (3 *b*), quod sic progressum signat in formatione definitiva librorum liturgicorum Ordinis: primum, *Ordinarium Missalis et Breviarium* (Fr. Haymo); secundum, *Graduale* (hoc Statuto praesentatum); tertium, *Missale* (in hoc Statuto praevisum, 3 *b*).

III. Exemplaria ergo officialia etiam Gradualis Ordinis iam in dubium revocari non possunt (7). Inquirendum an eorum aliqua adhuc exstent. Interim, Graduale nostrum ex huiusmodi exemplari immediate, saltem quoad tempus, transscriptum dici potest, ipsumque fideliter praebere textum, melodias, dispositiones, formales quoque proportiones Gradualis officialis, quod Ordo edidit circa medium saeculi XIII (8).

---

(1) A ponit *cogantur* post *superiores.* (2) A *dicant.*

(3) In exemplari nostro hic adest punctum, quod deest post *adduobus* (sic codex). A transscribit *dicitur a duobus, continuant.* (4) A *illa.*

(5) Haec omnia adamussim reproducta et servata invenies in Graduali nostro. — Ibi statim sequitur Rubrica pro aspersione aquae benedictae in Dominicis, ut in A.

(6) Wadd. *Annales,* 1249, n. 2 (III², 208-9).

(7) Idem dicendum est de exemplaribus Missalis franciscani, quae Graduale certo cito secuta sunt.

(8) Foliorum iam dedi mensuras. Pagina scripta occupat mm. 270×165, 9 lineas musicales habet, spatiumque 4 linearum pro notis est mm. 16. Forma

IV. Statutum signat momentum, quando, modo Beneventano sic dicto scribendi notas circa unam tantum lineam iam senescente, novoque exsurgente eas scribendi ductu quatuor linearum, Ordo officialiter illum reiecit et hunc definitive adoptavit suisque Fratribus tradidit et imposuit (1).

V. Datam huius Statuti supra post annum 1254 iam posuimus, sed non post an. 1260 protrahendam esse ducimus. Quod spectat annum 1254, in epistola B. Ioannis Parmensis neque de Gradualibus neque de notis quadratis seu de forma utcumque notarum sermo fit. Ordo vero saltem a Capitulo Narbonensi an. 1260 decrevit festum S. Clarae a Fratribus celebrandum esse, eiusque nomen in Litaniis Sanctorum includi (2); quod liber officialis in exemplum et definitionem datus ignorare vel praetermittere non poterat. In nostro autem Graduali de S. Clara, uti supra vidimus, nil neque in Litaniis neque sub die festi (3).

---

notarum et scripturae multo minor est quam in posterioribus libris choralibus neque spatiosis choris inservire poterat. Ceterum, hanc quoque unam esse regulam puto ad tempus recte decernendum choralium librorum, saltem pro Ordine nostro: usu considerato cui iuxta contenta inservire debebant, tanto minores sunt quo antiquiores, et e converso.

(1) Nulla mentio huius mutationis seu formae notarum fit in epistola Fr. Ioannis Parmensis. — P. Eus. Clop, O. F. M., (*Il « Santorale » nel Breviario Francescano*, ap. *Studi Francescani*, I (1914), 446s.) fatetur se ignorare influentiam Fratrum Minorum in mutatione formae scribendi notas durante saec. XIII, cuius temporis item ignorat libros chorales franciscanos cum notis quadratis. Noverat tamen hoc tempore plurimum adlaborasse Fratres Praedicatores in hac mutatione obtinenda suisque imponenda: unde duo facta facile erat coniicere: illius temporis generalem propensionem in notis reformandis; cui Franciscani, in eodem constituti medio, resistere neque poterant neque certo volebant. Statutum nostrum atque codex hoc apertissime manifestant et comprobant. — Fratres Praedicatores totius sui Officii divini reformationem, post primam an. 1244-48 frustra tentatam, denuo an. 1254 inceperunt et ipso Magistro generali Fr. Humberto de Romanis (1254-63) duce, an. 1254-59 perfecerunt, quae bulla 7 iulii 1267 confirmata est. Codex archetypus et officialis Fr. Humberti, tunc exaratus et modo in archivo generali Ord. Praed. Romae servatus, partes cantandas notis quadratis instructas habet. Cf. Altaner, *Der hl. Dominikus*, Breslau 1922, 109-13 (cf. AFH XIX, 264); Lud. Rousseau, ap. *Analecta O. Praed.*, 1926, 720-8; 1927, 270-3.

(2) Cf. AFH III, 504, num. 18.

(3) Duas praesentio obiectiones. 1a Recens apud horum librorum studiosos, post monita V. Leroquais (v. AFH XIX, 131), invaluit regula, ex alicuius festi deficientia concludi non posse: ergo liber antiquior est quam institutio illius festi. Respondeo: Haec regula vim quidem habet pro libris privatis, alicuius scil. personae, conventus, immo etiam Provinciae, non vero pro libris officialibus ab iis promanantibus qui festum instituunt vel celebrandum praecipiunt; ideoque anno 1260 anteriorem absolute non facio codicem Carminianensem, sed librum officialem a quo pendet. — 2a. Huiusmodi libri revera habentur, qui ex. gr. officium S. Clarae praebent et tamen nota Beneventana exarati sunt. Respondeo: Libri officiales ex necessitate pauci erant et eo tempore neque facile neque cito etiam inter vicinos divulgabantur. Nil ergo mi-

VI. Vim huius Statuti in historiam cantus Gregoriani reique liturgicae non parvam coniicimus, sed magis expertis aeque iudicanda relinquimus. Cito vero, ut speramus, non deerit occasio hunc librum musicum et liturgicum, saltem in eis partibus quae magis Ordinem spectant, diligentiori examini subiiciendi.

P. Benv. Bughetti, O. F. M.

De quibusdam Fr. Richardi de Mediavilla manuscriptis deperditis. — Fama Richardi de Mediavilla posthuma inter alia ex magna operum eius codicum copia patet, quae variis in bibliothecis adhuc latet, donec pro editione critica diligentius quaerentur et examinabuntur. Plura tamen MSS. alia iam perdita vel in aliquo loco abscondita sunt ignoto.

1. Inter haec primum locum occupat exemplar typicum *Commentariorum in Sententias,* quod ex parte Universitatis Parisiensis approbatum fuit taxatumque a magistris theol. Henrico Amandi et Andrea de Monte S. Eligii, necnon a mag. Guilelmo de Cornubia, regente in medicina, mag. Guilelmo Britone, Universitatis rectore, et a procuratoribus nationum (1). Quae taxatio facta est anno 1303 « in festo b. Matthiae apostoli » (24 febr.), quando hoc pretium constitutum est, pro quo scholaribus commodari debuissent a librario Andrea de Senonis illorum possessore, scil.:

« In primo Sententiarum XXXIX pecias [habens] XXXII den.
Item, in secundo Sent. LXI pecias IIII sol.
Item, in tertio, LVII pecias III sol. et X den.
Item, in quarto, LXXX et V pecias V sol. et IIII den. ».

Ex catalogo codicum manuscripto, cura P. Fidelis a Fanna composito et in nostro Collegio S. Bonaventurae asservato concludere licet illud « exemplar » MS. Richardi non amplius Parisiis adesse. Utrum adhuc exsistat, dictu difficile videtur.

2. Alterum MS. deperditum seu absconditum innotescit ex documento quod cl. Aug. Pelzer publicavit ex cod. Vaticano Borghes. *302,* fol. 206 v. (2), ubi Ioannes Sindewint, O. Cist., testatur se recepisse aliquos libros, « qui fuerunt bone memorie magistri Ioannis de he... quos ad vitam meam michi dictus pater reverendus (3) concessit et sunt isti:...

rum si interea quis vetustiores libros transscribebat atque imitabatur, addens nova quae etiam extra libros officiales vel ex non directo tramite Superiorum per Ordinem vagabantur. Legem multi, et quidem plures post annos, ignorare poterant; non omnes saltem scriptores periti tunc temporis existimandi sunt in transcribendo ex nota Beneventana in quadratam etc. Originem Statuti vindicavi, non eius immediatam et omnimodam observantiam.

(1) Denifle-Chatelain, *Chartularium Univ. Paris.* II, Parisiis 1891, p. 107. Ab an. 1316 taxatio fiebat a quatuor librariis, ab Universitate quovis anno indicatis. Cf. M. Crevier, *Histoire de l'Université de Paris,* II, Paris 1761, 281 et 286; Denifle-Chatelain, l. c. p. 190.

(2) *Annales de la Société d'émulation de Bruges,* LXIII, 1913, 35.

(3) Scil. abbas de Thosan seu Ter Doest seu Capella in Flandria.

Item scripta fratris Richardi de Media villa super quatuor libros sententiarum in quatuor voluminibus... Datum anno domini m° trecentesimo undecimo feria secunda post festum beatorum Dyonisii sociorumque eius » [1].

Haec quatuor Richardi volumina Parisiis empta fuerunt sive a dicto mag. Ioanne de He sive a Guilelmo de Iabeke, qui postea abbas de Thosan factus, illa post mortem mag. Ioannis concessit ipsi Sindewint qui de pretio soluto haec in eodem cod. Borgh. notavit: « Sic appreciati fuerunt libri prescripti per stationarios in presentia domini Willermi de Jabbeke et nunc abbatis de Capella... Scripta fratris Richardi super primum, secundum et tertium sententiarum, XVIII libras. Scripta eiusdem super quartum, XX libras; et notandum quod dicti libri appreciati fuerunt in moneta debili, in qua unus parisiensis valuit tres d[enarios] » [2].

Et haec manuscripta adhuc latent. Plura quidem MSS. abbatiae Capellae in bibliothecam Brugensem migrarunt, sed ibi non nisi unus codex Richardi habetur, scil. *185* proveniens ex abbatia Dunensi, cuius filia fuit Capella. In quo codice saec. XIV (foll. 271) inveniuntur: « Petri de Falco questiones disputate in sententias, quas subsequuntur questiones super libros sententiarum Richardi de Media villa » [3]. Hic non agi de codicibus ipsius Sindewint iam ex numero foliorum patet, sicut ex initio harum quaestionum: « Incipiunt considerationes super libros sententiarum. Consideratio nostra in opere horum quolibet erit quadripartita ». Explicit: « ... que peccata debent dici superiori vel aliis ».

Latentibus dictis codicibus, patet tamen quanti saeculo XIV opera Richardi habebantur, quae librarii et stationarii [4] adhuc venderent et copianda praestarent, dum v. g. opera S. Bonaventurae amplius non desiderabantur.

Comparando pretia venditionis pretiis commodationis, haec resultant fuisse plus minusve 1 °/₀ illorum. Pro quarto autem libro Richardi commodando paulo plus, scil. 64 denarii postulabantur, dum prostabat 4800 denariis seu 20 libris. Libra enim valebat 20 solidis, solidum autem 12 denariis [5].

3. Famam Richardi non constrictam fuisse sola Gallia, patet ex multis codd. v. g. in Italia conscriptis, quorum maior pars adhuc in biblio-

---

(1) Ideoque die 11 octobris; nescimus quare editor posuerit « 22 avril ».

(2) *Annales de ... Bruges*, l. c. 36; de moneta debili cf. E. Boutaric, *La France sous Philippe le Bel*, Paris 1861, 325s.

(3) P. J. Laude, *Catalogue ... des manuscrits de la bibl. publ. de Bruges*, Bruges 1859, p. 175, n. 185. De charactere huius Richardi vel commentatoris eius operis, nihil communicare possumus. Directore dictae bibliothecae quaesitis nostris non respondente.

(4) De differentia inter illos cf. P. Delalain, *Etude sur le libraire parisien du XIII-XV siècle*, Paris 1891, p. XVIII s.

(5) N. de Wailly, *Mémoire sur les variations de la livre tournois depuis le règne de S. Louis*, Paris 1857; apud Delalain, l. c. 4, note 1.

theca Vaticana, necnon Assisii, Florentiae, Mediolani, Taurini, etc. conservantur, dum tamen plures infeliciter perierunt. Inter quos connumerari oportet illos qui olim Senis custodiebantur in illa perpulchra bibliotheca, quam Fr. Laurentius Giusti Senensis (1) instituit ditavitque usque ad diem qua Minister Provincialis Tusciae obiit an. 1461. Nonnisi catalogus paucique codices ex incendio quod in. saec. XVI bibliothecam consumpsit, salvati sunt. Catalogus ille, qui mutilatus adhuc in archivo conventus S. Francisci custoditur, sicut copia eius in bibliotheca Universitatis Senensis, editus fuit a P. Nic. Papini, O. M. Conv. (2). Dicitur factus mandato Ministri Glis. Francisci Sansonis de Senis tempore « armaristarum » Bartolomaei Compagnini (3) et « Ioannis Laurentii Senensis, qui propria manu praedictum Registrum ordinate et fideliter scripsit An. Domini 1481, die 1 Martii Sixto IV Pontifice Max. ex Ordine nostro assumpto ».

Inter manuscripta autem haec inveniebantur Richardi (4):

N.° 36. Primus Richardi de Mediavilla cum tabula libri in fine, in bona littera.

37. Secundus Richardi cum tabula in fine et eiusdem manus.

38. Tertius Richardi in bona littera et eiusdem manus, cum tabula in fine.

39. Quartus Richardi eiusdem manus cum tabula in fine.

40. Quartus Richardi Ord. Min. etc. grossi voluminis.

41. Quodlibeta Richardi satis bona littera etc.

79. Scriptum Riccardi de Mediavilla pulchrum et in bona littera cum tabula. Fuit olim Patris mei spiritualis fratris Ambrosii Dominici de Senis, praedicatoris dignissimi.

552. Quartus Ricardi abbreviatus secundum Bonaventuram in pergam. bona littera cursiva.

Quid sibi praecise velit « abbreviatus sec. Bonav. », difficile dictu. Inter opera Richardi nostri nota non habetur, sed potest fieri quod Richardus ante magisterium compilaverit quartum librum *Sententiarum* S. Bonaventurae, sicut et multi alii fecerunt, quorum manuscripta in bibliothecis requiescunt anonyma. Neque excludatur necesse est altera persona eiusdem nominis Richardi, scil. Rufus, de quo supra, 403ss., diximus.

Tandem sub n. 553 mentio fit alicuius Richardi, quem nostrum fuisse non dubitamus: « Quartus Ricardi in pergam. bona littera cum tabula in principio magni voluminis ». Hic agi de *Commentario* Richardi *in Sententias*, multum probabile ex eo est quod agitur de magno volu-

(1) *L'Etruria Francescana*, Siena 1797, 18, n. 63.

(2) Qui observat: « Nel trascriverlo abbiamo creduto bene di non attenerci sempre alla lettera, e vi ha sovente avuto luogo l'arbitrio in genere di ortografia, ad oggetto di toglier la confusione. Si sono poi omesse affatto come inutili le circostanze delle coperte, delle lettere ecc. ». L. c. 117.

(3) Fuit Min. Prov. electus 25 maii 1477; l. c. 20, n. 68.

(4) L. c. p. 119.

mine, ita ut hic liber quartus saltem ter (1) in bibliotheca adfuerit, quod utique correspondet magnae aestimationi qua habebatur ipse quartus liber prae aliis tribus usque in hodiernum diem. Observandum tamen non nominari *Quaestiones disputatas* neque *De gradu formarum*.

P. Willibrordus Lampen, O. F. M.

De fama Fr. Richardi de Mediavilla apud FF. Praedicatores. — Richardus de Mediavilla, Doctor solidus O. F. M., non solum in suo, sed etiam in Praedicatorum Ordine magna gaudebat fama adhuc multis post mortem suam annis, uti paucis illustrabimus. Duo imprimis auctores haud inclari expressis verbis eius doctrinam laudarunt, Ioannes scil. Card. de Ragusa († 1444) et S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus († 1459).

Ioannes de Ragusa, Doctor Parisiensis, anno 1432 in Concilio Basileensi (2) contra utraquistam Ioannem Rokycana disputavit et pro opinione sua varios allegat auctores, inter quos non paucos Minores (3). Inducitur autem Richardus hoc modo: « Item Richardus de Media Villa, doctor profundus et magnae auctoritatis in scholis, dist. 11 quarti [libri Sent.] dicit (4): Communiter non debet hoc sacramentum populo tradi (5) sub utraque specie propter periculum effusionis Sanguinis et etiam (6) propter periculum erroris, ne scil. populus communis crederet Christum non esse totum sub utraque specie. Maioribus tamen etc... mysterii significationem ».

Post Ioannis Ragusani orationem et alii auctores Richardo titulum « profundus », saec. XIV Thomae Bradwardine proprium (7), adiudicarunt, uti testatur v. g. Wood dicens: Richardum « doctorem solidum et profundum nominant » (8). Iure tamen meritoque P. Hocedez (9) ob-

(1) Fortasse sub n. 79 etiam IV liber continebatur, sed non liquet.

(2) Non Conc. Constant., uti habetur KL² X, 1180, quamvis et in hoc Concilio a. 1415 auctoritas Richardi contra doctrinam Wiclef invocata fuit; cf. *Hist. litt. de la France*, XXI, 129, ubi tamen falso additur: « Sa renommée aujourd'hui éteinte ».

(3) Laudatur v. g. Alexander Halensis « doctor antiquus, solemnis et profundus in doctrina divina pariter et humana et sanctae vitae magnaeque auctoritatis in tota schola theologiae » (Mansi, *Conc. Gen.*, XXIX, 753); S. Bonaventura « doctorum utique devotissimus », Nicolaus de Lyra « in expositione sacrarum literarum meo iudicio post antiquos doctores excellentissimus et bonae vitae » (l. c. 758). — Non intelligimus, quomodo Ioannes « de Ragusio » defendisset communionem sub utraque, uti dicit Schweitzer, ap. *Theol. Revue*, 26, 1927, 339, appellando ad Cod. Vat. lat. *5609* et *5610*.

(4) *Sent.* IV, dist. 11, art. 4, qu. 6 (ed. Venet. 1509, f. 50b).

(5) Venet. « dari ».

(6) Venet. add. « secundum aliquos », quae verba omittens Ioannes reddit hanc opinionem Richardo magis propriam.

(7) F. Ehrle, *Die Ehrentitel der scholast. Lehrer des Mittelalters*, München 1919, 18.

(8) *Historia et Antiquitates Universitatis Oxoniensis*, I, Oxoniae 1674, 128.

(9) *Richard de Middleton*, Louvain 1925, 125.

servat, illum titulum mero casu Richardo datum. Et revera Ioannes hoc epitheton libenter spargit adiciens illud Alexandro Halensi, Thomae ab Agrigento, Richardo Fitsacre, dum Petrus Paludanus « doctor profundae scientiae » laudatur. Recte autem edicit nostrum fuisse « magnae auctoritatis in scholis », quod magis adhuc patebit in editione critica operum B. Ioannis Duns Scoti qui, iuxta MS. S. Francisci ad Ripam in Urbe, saepius ad illum appellat.

Praesertim librum quartum *Sent.* multi auctores laudant, inter quos S. Antoninus dicens: « Inter doctores etiam solemnes sacri Ordinis Minorum adnumerantur frater Richardus de Media villa qui scripsit egregie super quatuor libros *Sententiarum*. Et in quarto *Sententiarum* ostendit se fuisse etiam valde peritum in iure canonico, frequenter allegando iura cum glossis »(1).

Alius Dominicanus qui scientiam Doctoris solidi extollit est Sixtus Senensis, qui in suo *Bibliotheca sancta* (2) ita habet: « Richardus Mediavillanus, Anglicus, ex Ordine Minorum, in divinis scripturis, in iure pontificio et in doctrinis saecularibus apprime eruditus, scripsit sermone scholastico in quatuor evangelia libros quatuor, singulos in singulos anno D. 1290 ». Elogium hoc valde concordat cum Trithemio (3), sed miro modo Sixtus allegat tantum opus deperditum aut spurium, quod neque Trithemius vidit, quia secus initium indicasset. Praeterimus Sixtum indicare Angliam patriam Richardi utique Trithemium secutum, qui hoc proprio marte videtur adiunxisse; observamus tamen contra cl. Pelster, qui passim Richardum « de Menevile » appellare solet, hoc nomen apud omnes auctores supralaudatos sicut in fere omnibus manuscriptis desiderari, ita ut nonnisi evolutio orthographica affuisse videatur. Hac de re tamen alia vice fusius tractabimus.

Bibliothecas Fratrum Praedicatorum antiquas codicibus Richardi non caruisse nemo mirabitur. Exemplum esto Catalogus Conventus O. Praed. Vindobonensis, an. 1513 compositus, ubi registratur signatura H. 39: « Iohannis Scoti, magistri Iacobi de Esculo, magistri Petri Aureoli, *Richardi de Media Villa*, Alexandri Mori qui fuerunt ordinis minorum, eorum *quodlibeta* »(4). Item signatur I. 4: « *Richardus*, ordinis minorum, *de Media Villa* super quarto sentenciarum »(5).

---

(1) *Chronicorum*, III, tit. 24, cap. 8, § 1 (Basileae 1491, f. 244b; Lugduni 1586, 772).

(2) Lib. IV, Venetiis 1575, 543 (menda typographi indicatur in fine elogii « anno D. 129 »); Coloniae 1586, 299.

(3) *De scriptoribus ecclesiasticis*, Parisiis 1494, f. CXII, i. v. « Reperi subiecta », dicit Trithemius, quod non significat se omnia vidisse, uti opinatur Lechner, *Die Sakramentenlehre des Rich. von Mediavilla*, München 1925, 7. Ipse enim Trithemius praefatur: « eorum dumtaxat quos reperi nomina, dignitates, scripta temporaque signavi apponensque ex adverso titulorum voluminum principia; invisa autem spacio pertransivi » (f. IIb).

(4) Th. Gottlieb, *Mittelalterliche Bibliothekskatalogе Oesterreichs*, I, Wien 1915, 351. (5) L. c. 354.

Maioris momenti est quaestio, utrum doctrina Richardi quandoque influxerit in illam Praedicatorum. Exemplum huius influentiae allegari potest ex *Commentario in Sent.* Ioannis Sterngasse, O. Praed., († 1310). Qui enim in quaestione, utrum gratia a caritate realiter differat, non sequitur S. Thomam, refutat Aegidium Romanum, sed defendit « opinionem Minorum », uti Glossator illam vocat, et haec quasi iisdem verbis invenitur apud Richardum (1). Item cognovit Ioannes solutiones quaestionis Richardi, utrum congruum fuisset Dei Filium incarnari, si natura humana permansisset in statu innocentiae (2). Aliae reminiscentiae Richardi inveniuntur in Ioannis *Sent.* II, dist. 17, qu. 2, utrum sint plures formae substantiales in eadem re, quod affirmatur (3).

Alter Dominicanus qui ex Richardo hausit est auctor ignotus qui continuavit *Bibliothecam mundi* seu *Speculum maius* Vincentii Bellovacensis, quae continuatio sub titulo *Speculum Morale* prodiit Duaci 1625, ubi lib. III, p. 10, dist. 10, art. 3 habetur quaestio, « utrum illi qui confessi sunt alicui potestatem Superioris habenti, teneantur eodem anno confiteri suo parochiali sacerdoti » (4). Quae ibi tractantur desumpta sunt ex Richardo nostro (5), nomine suppresso, sicut idem auctor solet tractare etiam Petrum Tarentasium, S. Thomam et alios.

Parkinson (6) opinatus est nostrum Richardum etiam a Thoma Cantipratensi laudari propter sanctam et devotam vitam quam Parisiis praedicando finiisset, sed confundit auctor anglicus Richardum et Guilelmum de Melitona, de quo dictus Thomas (7) scribit: « Vidi et alium eminentis vitae virum de ordine fratrum Minorum, fratrem Guilelmum de Militona: qui magister Theologiae Parisiis sanctissimam ac devotissimam vitam duxit. Et cum die quadam Parisiis praedicaret, per horam obmutuit, et verbum vitae resumens, omnibus cum vultu serenissimo valedixit et sic in pace quievit ».

Alii confundunt nostrum et Richardum, Ord. Praed., Alchorani interpretem, Florentinum, in Asia peregrinatum lingua arabica callentem, qui etiam contra Alchoran commentarium edidit (8).

Haec de aestimatione Richardi apud Fratres S. Dominici. Si autem quaeratur, quare etiam apud illos bona fama gavisus sit, assignari poterunt variae rationes. Fuit enim auctor clarus, stylus eius simplex, opi-

(1) *Sent.* II, dist. 26, art. 1, qu. 4 (ed. Venet. 1509, f. 111a). Vide utriusque textum apud A. Landgraf, in *Divus Thomas* (Freib.), 1926, 336.

(2) *Sent.* III, dist. 1, art. 2, qu. 4 (ed. Venet. 1509, fol. 4a): cf. Landgraf, l. c. 338.

(3) Ioannes Sterngasse ap. Landgraf, l. c. Richardus, *Sent.* II, dist. 17, art. 1, qu. 5 (Venet. 1509, f. 70d ss.) qui concludit: « Videtur ergo mihi dicendum ad quaestionem: quod in Adam fuit aliqua substantialis forma incompleta cum anima intellectiva, et ita est in quolibet alio homine » (f. 71c).

— — *De nieuwe Regel der kloosterlijke Derde Orde van den Serafijnschen Vader Franciscus volgens de Apostolische Constitutie van 4 Oct. 1927. Uit het Latijn vertaald door P. Dr.* Hubertus van Groessen, *Minderbr. Capucijn.* — Utrecht, Uitgeverij van het St.-Gregoriushuis, [1927]. — In-24°, 21 pp.

— — *Uit het leven der Minderbroeders-Capucijnen.* — S. l. 1928. — In-8°, 64 pp. Illustr. — [Extra commercium].

— — *Romeinsch-Seraphijnsch Martelaarsboek van de Heiligen en Zaligen der drie Orden van onzen heiligen Vader Franciscus. (Vertaald door eene Religieuse der Congregatie van Roosendaal).* — S. l. 1928. — In-8°, 67 pp.

« Biblioteca Franciscana »; Barcelona, José Vilamala, Provenza 226 et: Madrid, 10. S. Fermin de los Navarros, Cisne 12. — Asterisci indicant librum apud editorem Vilamala solum haberi, nec partem esse « Bibliothecae Franciscanae ».

Botella, Buenaventura, O. F. M. — *Guia del alma devota o Método práctico de vida espiritual para toda clase de personas, especialmente Terciario-Franciscanas, que deseen alcanzar la virtud y perfeción. II edición notablemente aumentada.* — Ibidem. 1926. — In-16°, 512 pp. — (Linteo relig. Pes. 4).

Idem. — * *Piísima devoción cotidiana a la excelsa Madre de Dios, María siempre Virgen, para alcanzar la gracia de una buena y santa muerte. Nueva edición.* — Barcelona, J. Vilamala, 1924. — In-32°, 93 pp.

Eiján, Samuel, O. F. M. — *Franciscanismo Ibero-Americano en la historia, la literatura y el arte.* — Ibidem, 1927. — In-8° mai., 525 pp. — (Pes. 15; relig. 19).

Idem. — *Solaces de hogar. Lecturas amenas para todos días del año. Tomo V: Mes de mayo.* — Ibidem, 1927. — In-12°, 296 pp. — (Pes. 4; relig. 6).

Idem. — * *Devocionario completo del fiel devoto de San José.* — Barcelona. Vilamala, 1924. — In-24°, 284 pp. — (Linteo relig. Pes. 2).

Idem. — * *Novena en honor del glorioso Patriarca San José.* — Ibidem, 1924. — In-24°, 64 pp. — (Pes. 0,50).

Facchinetti, Victorino, O. F. M., Dr. — *¡Sed Apóstoles! El « todo Seráfico en amor » y el problema del Apostolado. Introdución del Prof.* E. Jallonghi, *una carta del* P. Bughetti. *Cuatro ilustráciones añadidas al texto. Obra traducida y prologada por el* P. Fernando Fort. — Ibidem, 1927. — In-12°, 367 pp. — (Pes. 5; relig. 7). — (*Biblioteca de Cultura Franciscana: vol. III*).

Idem. — *Los Santuarios Franciscanos. Tomo I: El Alverna en el Casentino, con dibujos originales y 25 illustraciones en tricromia por* Luis Zago. *Versión española por el* P. Juan R. de Legísima, O. F. M. — Ibidem, 1927. — In-8°, 153 pp. Illustr. — (Pes. 12). — (*Biblioteca Franciscana; Fundador y Director:* P. Juan R. de Legísima).

Legisima, Juan R. de, O. F. M. — « *Vamos tras él ...* ». *Devocionario de piedad franciscana, breve y completo, a la vez, dedicado particularmente a los hijos de la V. O. T.* — Ibidem, 1926. — In-24°, 742 pp. — (Linteo relig. Pes. 3).

Idem. — *Via-Crucis breve.* — Ibidem, 1926. — In-32°, 32 pp.

Idem. — * *Mes de Mayo brevisimo en honor de la Santisima Virgen.* — Ibidem. 1925. — In-24°, 40 pp.

— — *Exposición Franciscana. VII Centenario de la muerte de S. Francesco Catalogo general ilustrado, 1927.* — In-4° mai., 165 pp. et 61 tabulae. — (Pes. 30). — Cf. supra, 136-7.

E typographia S. Francisci, Werlae: Werl in W., Franziskus-Druckerei.

Bierbaum, Athanasius, O. F. M. — *Franz von Assisi und der Christkönig.* — Ibidem, 1927. — In-16°, 64 pp. Illustr. — (RM. 1).

Idem. — *Betkaspar.* [Eine Biographie]. — Ibidem, 1927. — In-16°, 35 pp. Illustr. — (RM. 0,50).

Idem. — *Gnadenmutter von Werl, Trösterin der Betrübten, bitte für uns!* — Ibidem, 1928. — In-24°, 30 pp.

Ermert, Eleutherius, O. F. M. — *Bruder Jordan Mai. Gedanken und Erinnerungen. Ein Beitrag zu seinem Lebensbilde. Mit 8 Abbildungen.* — Ibidem, 1928. — In-8° min., viii, 251 pp. Illustr. — (Linteo relig. RM. 3,50).

Hausen, Cletus, O. F. M., Dr. — *Franziskanisches Leben. Ein Aufruf an die studierende Jugend.* — Ibidem, 1927. — In-16°, 59 pp. Illustr. — (RM. 1).

Heusgen, Paul, Dr. — *Das Geheimnis einer heiligen Ehe. Selbstbekenntnisse des Küsters Hubert Schmitz in Morenhoven. 2 vermehrte Auflage.* — Ibidem, 1927. — In-12°, 68 pp. Illustr. — (RM. 1). — (*Seraphisches Leben, 1 Heft*).

Ricking, Ephrem, O. F. M. — *Briefe an einen Freund. Anleitung zum inneren Leben.* — Ibidem, 1928. — In-12°, 112 pp. — (RM. 1,20). — (*Bücher der Stille, Heft 4*).

Rohde, Adjutus, O. F. M. — *Ernstes und Heiteres für das brave Christenvolk.* — Ibidem, 1928. — In-16°, 176 pp. — (RM. 2,50).

Sasse, Nazarius, O. F. M. — *Vorzüge und Gnaden des Dritten Ordens. 2 Auflage, 11-15 Tausend.* — Ibidem, 1927. — In-12°, 63 pp. — (RM. 0,70). — (*Seraphische Jüngerschaft, 3 Bändchen*).

Vonderheide, Meinrad, O. F. M. — *Die sechs Ludwigssonntage. Andachtsübungen zum hl. Jugendpatron Ludwig von Anjou. Der studierenden Jugend dargeboten.* — Ibidem, 1928. — In-24°, 56 pp. — (RM. 0,60).

Wirtz, Jakob. — *Fünfhundert Jahre Marienthal bei Hamm an der Sieg. Mit 20 Abbildungen and 1 Karte.* — Ibidem, 1927. — In-8°, xvi, 350 pp. Illustr. — (Linteo relig., RM. 6).

— — *Die Regel unseres hl. Vaters Franziskus für den Orden der Minderbrüder. Dritte Auflage. (Nach den neuesten Gesetzen des Ordens). (Manuskript).* — — Ibidem, 1927. — In-12°, 191 pp.

— — *Kreuzwegandachten, ein Missions- und Exerzitien-Andenken. Herausgegeben von einem Franziskanermissionar.* — Ibidem, 1928. — In-24°, 121 pp. — (Linteo relig. RM. 0,50).

— — *Bruder Jordan Mai, Franziskaner. Ein Leben in Gott.* [† 20 Febr. 1922]. — Ibidem, 1927. — In-16°, 38 pp. — (RM. 0,30).

— — *St. Franziskus Kalender 1929. Herausgegeben von der sächsischen Franziskanerprovinz vom hl. Kreuz, 5 Jahrgang.* — Ibidem [1928]. — In-8°, 132 pp.

Sac. ANTONIO DEL SOLE Direttore responsabile.

Tipografia del Collegio di S. Bonaventura. — Quaracchi.

DISCUSSIONES

S. FRANCISCUS, CULTOR TRINITATIS

Refert S. Bonaventura, quomodo Fr. Bernardus de Quintavalle, cogitans de expropriatione suorum bonorum, et B. P. Franciscus, consilium capessendi causa a Deo, intraverint ecclesiam S. Nicolai. « Et oratione praemissa », ait Seraphicus Doctor, « *cultor Trinitatis* Franciscus *ter* Evangeliorum librum aperuit, *trino* exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari » (1).

Primo intuitu S. Bonaventura videri posset hoc epitethon « cultor Trinitatis » ut mere styli flosculum adiecisse. Amat enim ubique contemplari symbola et vestigia Trinitatis, libenter allegat tres rationes pro opinione aliqua defendenda, saepe saepius sententiam suam trina propositione dividens. Imo quandoque minus recte hoc numero luderet, nisi ex contextu clarius sententia sua eluceret, v. g. quando dicit quod « in Christo est triplex natura » (2). Nec deest hic lusus numerorum in opere suo historico. Notat enim in *Legenda S. Francisci*, filiorum eius senarium numerum compleri, « inter quos *tertium* sortitus est locum sanctus pater Aegidius » (3). Narrat, sequens Thomam de Celano, quo modo tres mulieres S. Francisco apparuerint in via, addit tamen « per omnia » similes, repetit « per illas tres », quas trino participio laudat: « sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes ». Exaltat dein trino epitetho paupertatem S. Francisci matrem, sponsam et dominam (4). Ideoque ubi constat totam considerationem S. Bonaventurae versari circa SS. Trinitatem, cuius sigillum in omnibus creaturis impressum videbat (5), facile quis coniceret titulum « *cultoris Trinitatis* », S. Patri a Sera-

(1) *Leg. maior*, III, 3. (2) *Sermo de Trinitate* (*Opera omnia*, IX, 355a).
(3) *Leg. maior*, III, 4. (4) L. c. VII, 6; II Cel. n. 93; cf. etiam *Leg. maior*, IX; 7s.
(5) « Sein ganzes Weltbild (ist) nicht nur trinitarisch orientiert und auf die dreifaltige Gottheit zentral gerichtet, sondern auch in all seinen Einzelheiten mit dem Stempel und Siegel des Deus trinus geformt ». A. Stohr, *Die Trinitätslehre des hl. Bonaventura*, Münster i. W. 1923, 1.

phico datum magis provenire ex stylo Bonaventurae quam respondere historicae veritati. Unde operae pretium videtur quaedam in medio proferre de ideis S. Francisci relate ad mysterium SS. Trinitatis, de devotione eius erga eamdem, dum pariter investigabimus si cognoverit iam cultum liturgicum eiusdem mysterii.

I. — De ideis seu doctrina trinitaria pauca dicenda sunt, quia ex paucis quae habemus S. Francisci scriptis, evidens est eum sequi doctrinam Ecclesiae catholicae. Deus unus et trinus est, Trinitas et Unitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. « *Spiritus est Deus,* ideo nonnisi spiritu videri potest » [1], quod non solum de Deo Patre valet, « sed nec Filius in eo quod aequalis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus Sanctus » [2]. Deus unus et trinus est « sine initio et sine fine, immutabilis, invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, gloriosus, superexaltatus, sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis et totus semper super omnia desiderabilis est in saecula saeculorum » [3]. Similes proprietates Dei iam Concilium Lateranense IV (1215) definivit [4], ita ut videri posset S. Franciscum ex eo seu, quod in idem redit, ex opere Innocentii III. in Corpore Iuris « *de Summa Trinitate* » dicto, hausisse. Variae autem expressiones apud SS. Patres, maxime apud S. Augustinum, apud Petrum Lombardum iam occurrunt vel in S. Scriptura fundantur [5], ita ut necesse non sit S. Patrem immediate ex Concilio cognitionem suam derivasse, sed ex ordinario magisterio Ecclesiae, quamvis aliquot verba uti « immutabilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis » magis scholam quam vitam resipiant. Imo, magis Caesarium Spirensem quam Assisiatem pauperculum, qui illum rogavit ut Regulam aliquibus textibus S. Scripturae adornaret [6]. Franciscus libenter eas proprietates de Deo

(1) *Regula I,* c. 23 (*Opuscula,* 60s.); cf. Ioan. 4, 34.

(2) *Admonitiones,* c. 1 (*Op.* 4). (3) *Reg. I,* c. 23 (*Op.* 61).

(4) Cap. 1, *De fide cath.* (Denzinger-Bannwart. n. 428); Innocentius III. Extra *De Summa Trinitate,* c. 1, quem explicite allegat etiam unus ex primis Magistris Ordinis, scil. Bartholomaeus Anglicus, *De proprietatibus rerum,* I, c. I (Francofurti 1601, 4).

(5) Cf. v. g. S. Aug., *De Trinit.,* I, c. 2, n. 4 (PL 42, 822); *Enchiridion,* c. 10s. (PL 40, 236); Lombardus, *Sent.* I, d. 3, c. 1 (p. 30, n. 35); Ambros., *In Ep. ad Rom.* 1, 19 (PL 17, 57). Hymnus, *Iesu, dulcis memoria,* in quo aliqua verba citata inveniuntur, non est S. Bernardi, uti saepe dicitur, sed auctoris ignoti saec. XIII. Cf. B. Hauréau, *Des poèmes latins attribués à S. Bernard,* Paris 1890, 63ss.; Dreves-Blume, *Ein Jahrtausend lateinischer Hymnendichtung,* II, Leipzig 1909, 37; K. Kastner, *Praktischer Brevierkommentar,* I, Breslau 1923, 157.

(6) Cf. Iordanus a Yano, *Chronica,* n. 15 (AF I, 5s.); cf. a nobis dicta ap. AFH XVII, 414.

edicit quae bonitatem implicant. « Patrem » vocat Deum, hac voce non solum primam Personam in Trinitate, sed potius *Deum ut unum* invocans, alloquens, nominans: « Tu, Pater sancte, Rex caeli et terrae: Tu es trinus et unus Dominus Deus, omne bonum, Tu es bonum, omne bonum, summum bonum » (1). Hanc praedilectionem pro titulo Patris sine dubio ex evangelio hausit. Amor Francisci erga Christum hunc titulum, a Domino nostro semper Patri suo datum nobiscumque communicatum in oratione dominica, praeferri fecit in omni oratione, abstractione etiam facta a Trinitate Personarum. Psychologice etiam intelligitur Pauperculum sanctum, dure a proprio patre tractatum, amorem suum naturalem elevasse ad Deum quem coram Episcopo Assisiensi unicum patrem confessus est dicens: « Amodo dicam libere: *Pater noster qui es in caelis,* non pater Petrus Bernardonis » (2).

Bonitas Dei Franciscum maxime attraxit. Hanc proprietatem simplicibus ac exsultantibus verbis exaltat, quia nihil aliud ei « placet et delectat » nisi « solus verus Deus qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui *solus* est *bonus,* pius et mitis, suavis et dulcis, qui solus est sanctus, iustus, verus et rectus, qui solus est benignus, innocens et mundus, *a quo et per quem et in quo* est omnis venia, omnis gratia, omnis *gloria* » (3). Ecce cordis iubilus, verba non scholae, sed ex abundantia cordis immediate prorumpentia, vere mala aurea in lectis argenteis (4).

Formula illa notissima « *a quo et per quem et in quo* » S. Francisco innotescere potuit ex Rom. 11, 36: *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula* (5). Quae sententia iam antiquitus a SS. Patribus et Theologis SS. Trinitati applicata fuit (6), nec S. Fundatorem hunc sensum generalem latuisse opinamur. Negari autem videtur eum per laudatam formulam, etiam intellexisse relationem *originis Personarum* in Trinitate, quatenus per illam coindicatur potestatem creatricem Patris esse a se, Filio a Patre datam, Spiritui autem Sancto ab Utroque (7). Tam altam doctrinam speculativam ne Alexander Halensis quidem plene evolvit, ubi de hac formula agit,

(1) Cf. Pseudo-Bernardus, *Super Salve,* Sermo I, n. 5 (PL 184, 1064); Lud. Maier, O. F. M., in *Verba vitae et salutis,* VII, 1928, 20-22; Th. Soiron, O. F. M., *Sankt Franziskus und die Gegenwart.* Werl 1927, 12 ff.

(2) II Cel. n. 12.

(3) *Reg. I,* c. 23 (*Op.* 61); cf. Luc. 18, 19; Rom. 11, 36.

(4) Prov. 25, 11.

(5) Cf. Col. 1, 16.

(6) Cf. S. Aug., *De Trin.* I, c. 6, n. 12; VI, c. 10, n. 12 (PL 42, 827, 932); Lomb., *Glossa in Rom. 11, 36* (PL 191, 1493); Alex. Hal., *Summa Theol.* II, Ad Claras Aquas 1928, 31 (n. 20).

(7) Cf. J. Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik,* I[6], Paderborn 1914, 411.

sed solummodo insinuat quoad Filium (1). Ita S. Franciscus Deum Patrem alloquens dicit quidem: « per sanctam voluntatem tuam et *per* unicum Filium tuum *in* Spiritu Sancto creasti omnia spiritualia et corporalia » (2), sed dubitamus, utrum per hanc formulam exprimere voluerit originem Personarum, nisi etiam hoc loco interventum Caesarii admittere velis. Creatio *per Filium* ex variis locis S. Scripturae (3) Francisco facilius innotescere potuit; minus tamen clare creatio « *in Spiritu Sancto* » ibi invenitur, imo dicitur Col. 1, 16 quod *omnia in ipso* (i. e. Christo) *creata sunt.*

Non solum creationem, sed etiam incarnationem activam S. Franciscus Deo Patri adscribit: « Sicut per Filium tuum nos creasti, sic... ipsum verum Deum et verum hominem... nasci fecisti » (4). Eidem Deo Patri appropriat voluntatem redimendi genus humanum, Filio autem ipsam redemptionem (5), Spiritui vero Sancto consolationem, ita ut in *Laudibus* (6) Dei praedicetur « Creator, Redemptor, Salvator et Consolator noster ».

Hanc fidem in SS. Trinitatem vult praedicari quoque a suis fratribus:

« Annuntient Verbum Dei, ut credant in Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Creatorem omnium, Redemptorem et Salvatorem Filium, ut baptizentur et efficiantur christiani, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei » (7).

Relationem autem fidelium ad SS. Trinitatem simpliciter sed mystice indicat dicens:

« erunt filii Patris caelestis, cuius opera faciunt, et sunt sponsi, fratres et matres Domini nostri Iesu Christi. Sponsi sumus, quando per Spiritum Sanctum coniungitur fidelis anima Iesu Christo » (8). Similem relationem inter B. M. V. et SS. Trinitatem supponit, utique sensu magis reali; S. Maria Virgo enim laudatur « filia et ancilla altissimi Regis Patris caelestis, mater sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus Sancti » (9).

---

(1) L. c. sub *Solutio*.

(2) *Reg. I*, c. 23 (*Op.* 58). Haec divisio creaturarum explicita in « spiritualia et corporalia » Concilium Lateran. IV (l. c.) resipit, quamvis iam antea in usu fuerit; cf. Petrus Lomb., *Sent. II*, d. 2, c. 3 (n. 13, p. 314): « corporalis et spiritualis creatura ».

(3) V. g. Ioan. 1, 3; I Cor. 8, 6; Hebr. 1, 2.

(4) *Reg. I*, l. c. Conc. Lat., IV, l. c., e contra dicit: « a tota Trinitate communiter incarnatus ».

(5) *Reg. I*, l. c.

(6) *Op.* 119 (cf. *Reg. I*, l. c.). Iam a S. Greg. M. Spiritus S. dicitur Consolator; cf. *In Evang. hom. 30*, n. 3 (PL 76, 1221).

(7) *Reg. I*, c. 16 (*Op.* 44): cf. Ioan. 3, 5.

(8) *Epistola I* (*Op.* 93); cf. Matth. 5, 45.

(9) *Off. passionis* (*Op.* 128); cf. *Salutatio B. Virg.* (*Op.* 123); AFH XX, 15.

Quoad epitetha singulis Personis divinis data, observato Deum Patrem libenter Regem dici, sicut patet ex praecedenti et ex hac sententia: « sanctissimus Pater de caelo, Rex noster ante saecula misit dilectum Filium suum ». Alii loci etiam de Deo intelligi possunt, abstractione facta a Trinitate personarum, uti haec et similia: « Confitebor tibi, Domine, sanctissime Pater, Rex caeli et terrae »; « Tu es Rex omnipotens, tu Pater sancte, Rex caeli et terrae » (1). Hanc ideam regalitatis S. Franciscum ex libris sacris hausisse non est quod demonstremus. Eo magis miramur eum numquam Christo dare titulum Regis, quamquam B. Patri certo noti fuerunt illi loci S. Scripturae, ubi Iesus Rex dicitur uti v. g. Ioan. 18, 37; I Tim. 6, 15; Apoc. 19, 16. Quae idea praesertim S. Bonaventurae eiusque sequacibus valde placebat (2).

Christus a Francisco consideratur iuxta Scripturas *Verbum* Patris (3), Dominus noster, « *Magister... qui in caelis est, Christus* » (4), Redemptor et Salvator noster, qui per SS. Sacramentum « praesentes et absentes replet, qui eo digni sunt, Dominus Iesus Christus, qui licet in pluribus locis esse videatur, tamen indivisibilis manet et aliqua detrimenta non novit, sed unus ubique, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre et Spiritu Sancto Paracleto » (5). Deum Patrem suppliciter exorat, « ut Dominus noster Iesus Christus Filius tuus dilectus, *in quo tibi bene placuit* (6), una cum Spiritu Sancto Paracleto gratias agat tibi, sicut tibi et ipsis placet pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti » (7). Hanc oratiunculam iam hoc loco adducimus, quamvis infra de devotionis exercitiis locuturi simus, propter appositum Filio « qui tibi (Patri) semper sufficit ad omnia ». Quod dictum paulo commune forsitan ex Gen. 45, 28 derivatur, ubi de dilecto filio suo Iacob dicit: « *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph, filius meus, vivit* ». De Christologia vero S. Francisci separatim adhuc tractandum foret.

Spiritus Sanctus cum Ecclesia a S. Patre vocatur Consolator, Paracletus. Qui etiam replet animam iusti, sicut Pater et Filius, animam, scil. « habitaculum et mansionem ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus » (8). Quae veritas theologica in nucleo habetur Ioan. 14, 23, ubi tamen de Spiritu Sancto

(1) *Op.* 127, 130, 133, 136, 145, 147.

(2) Cf. E. Longpré, *La royauté de Jésus-Christ chez S. Bonav. et le B. Duns Scot*, Montréal 1927.

(3) *Epist. I* (*Op.* 87s.); cf. I Ioan. 5, 7; Apoc. 19, 13.

(4) *Reg. I*, c. 22 (*Op.* 56): cf. Matth. 23, 8.

(5) *Epist. II* (*Op.* 101); alludit ad benedictionem cerei paschalis, symboli Christi. (6) Matth. 17, 5. (7) *Reg. I*, c. 23 (*Op.* 58s.).

(8) *Reg. I*, c. 22 (*Op.* 55).

non fit sermo, unde hanc ideam ex se adiecit, nisi quis admittere vellet, Fr. Caesarium Spirensem hunc textum « adornasse ». Nam, uti dicit Iordanus a Yano, « videns beatus Franciscus fratrem Caesarium sacris litteris eruditum, ipsi commisit, ut regulam, quam ipse simplicibus verbis conceperat, verbis Evangelii adornaret » (1). Huic etiam « adornationi » credimus adscribendum esse, quod Franciscus — seu Regula I — falso adhibet sic dictam communicationem idiomatum. Quod enim dixit Christus, non potest adscribi SS. Trinitati aut Deo Patri aut Spiritui Sancto et ideo minus recte additur loco supralaudato: « Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui dicit: *Vigilate itaque omni tempore orantes* » (2).

Observato tandem sententiam, postea Scholae Franciscanae caram, scil. hominem secundum corpus formatum esse iuxta exemplar Christi futuri.

Quae opinio iam apud Tertullianum occurrit dicentem: « Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus ... quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scil. Christi.... Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne... » (3).

Franciscus item: « ... creavit et formavit te ad imaginem dilecti Filii sui secundum corpus, et similitudinem suam secundum spiritum » (4).

II. — Expositis ideis theologicis quas S. Franciscus de SS. Trinitate habuit, videamus nunc quomodo devotionem suam erga hoc mysterium expresserit in cultu tam privato quam publico et imprimis

A. In orationibus. Ordinavit Sanctus *Laudes*, quas « ad omnes horas diei et noctis et ante officium beatae Mariae Virginis » dicebat, incipiendo invocatione SS. Trinitatis: « Sanctissime *Pater noster:* Creator, Redemptor, Salvator et Consolator noster », finiendo similiter: « Gloria Patri etc. » (5). Post quae addebat Trishagion et alias laudes, inter quas illud « Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu », et in fine Gloria Patri etc. (6).

In *Salutatione B. Virginis* eiusdem mysterii fidei mentionem faciens, alloquitur Mariam: « Ave domina sancta, ... electa a sanctissimo Patre de caelo, quam consecravit cum sanctissimo dilecto Filio et Spiritu Paracleto » (7). Similiter in chartula quam dedit Fr. Leoni: « Tu es sanctus Dominus Deus solus ... Tu es trinus et unus Dominus Deus, omne bonum » (8). Cui orationi adiecit S. Franciscus illam tri-

(1) *Chronica*, n. 15: AF I. 5s.; cf. AFH XVII, 444s.
(2) Luc. 21, 36. (3) *De resurrectione carnis*, c. 6 (PL 2, 802).
(4) *Admonitiones*, c. 5 (*Op.* 8).
(5) *Op.* 119. (6) *Op.* 122. (7) *Op.* 123. (8) *Op.* 124.

plicem benedictionem ex Num. 6, 24-26, in qua theologi plures quasi incipientem revelationem SS. Trinitatis videre volunt, sicut et in Trishagio. In *Officio Passionis Domini* non solum psalmos concludebat doxologia minore, sed etiam in antiphona *Sancta Maria* (1) recordatur SS. Trinitatis mysterii, post antiphonam repetens Gloria Patri.

Adiecit fini *Epistolae I* oratiunculam: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Omnes etc. ... Et omnes illi et illae, qui ea benigne recipient et intelligent et mittent aliis in exemplum, si in eis *perseveraverint usque in finem*, benedicat eis Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen » (2). *Epistola II* incipit: « In nomine summae Trinitatis et sanctae Unitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen » (3). Iterum meminit SS. Trinitatis dicens Christum operari unum ubique « cum Domino Deo Patre et Spiritu Sancto Paracleto », cui proinde confitetur peccata sua: « Confiteor praeterea Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto » et epistolam claudit perpulchra oratione trinitaria: « ut igne Sancti Spiritus accensi sequi possimus vestigia Filii tui, Domini nostri Iesu Christi et ad te, Altissime, sola tua gratia pervenire. Qui in Trinitate perfecta et Unitate simplici vivis et regnas et gloriaris Deus omnipotens per omnia saecula saeculorum. Amen » (4).

In *Testamento* quoque benedicit fratribus suis:

« Et quicumque haec observaverit, in caelo repleatur benedictione altissimi Patris et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui cum sanctissimo Spiritu Paracleto » (5).

Libenter gratias agit SS. Trinitati « et quia omnes nos miseri et peccatores non sumus digni nominare te », suppliciter exorat Patrem, « ut Dominus noster Iesus Christus, Filius tuus dilectus ... una cum Spiritu Sancto Paracleto gratias agat tibi ». Dein deprecatur omnes Sanctos, ut « tibi (Patri) gratias referant summo vero Deo, aeterno et vivo, cum Filio tuo carissimo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu Sancto Paracleto in saecula saeculorum. Amen. Alleluia » (6). Et iterum in eadem oratione effusione affectus invitat: « gratias agamus altissimo et summo Deo aeterno, Trinitati et Unitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto » (7). Complet autem hanc pulcherrimam orationem deprecando « Deum, ut ipse qui est omnipotens, trinus et unus, benedicat omnes docentes et discentes, habentes, recordantes et operantes ista », concluditque doxologia minore: « Gloria Patri » etc. (8). —

(1) *Op.* 128. (2) *Op.* 97 s.; Matth. 10, 22. (3) *Op.* 99.
(4) *Op.* 107. Conclusio non ad Deum Patrem, uti praecedentia, sed ad SS. Trinitatem dirigitur, quod editor bene expressit ponendo punctum post « pervenire ».
(5) *Op.* 82. (6) *Reg. I,* c. 23 (*Op.* 59). (7) L. c. 61. (8) L. c. 62.

In *Regula I,* imponit fratribus laicis etiam *Gloria Patri* dicendum post *Pater noster* (1), dum in *Regula* bullata habetur praescriptum *Pater noster* tantum.

Ex his omnibus credimus probari devotionem S. Francisci « erga SS. Trinitatem revera superare illam ordinariam, quam quilibet christianus solet habere ».

B. Hoc confirmatur adhuc pluribus actibus, qui nobis a biographis Sancti narrantur quibusque suam venerationem erga SS. Trinitatem expressit.

a. Imprimis itaque mentio fiat de eo quod Waddingus, hoc in casu nitens Mariano Florentino, narrat ad annum 1213 (2), scil. B. Patrem in amoeno quodam nemore in alto monte inter S. Gemini oppidum et Porcariam obtinuisse ab abbate Portae Regalis locum cum silva contigua (3). Ibi S. Franciscus construxit ecclesiunculam in honorem B. M. V. per omnia similem ecclesiae S. Mariae de Angelis. In antependio autem altaris fecit pingi varias creaturas, angelos, pueros, aves, arbores et similia, quibus ipse subscripsit varios versus, qui incipiebant sic:

« Timete Dominum et date illi honorem.
Dignus Dominus accipere laudem et honorem ».

Finis vero ita sonabat:

« Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas.
Sancte Michael Archangele defende nos in praelio ».

Antependium hoc pro viri sancti reverentia diligenter ad suum usque tempus servatum dicit Marianus, et quidem in sacello illius eremitorii quod viro Dei erat cubiculum. Quamvis testimonia Mariani semper sint caute tractanda, hoc in casu credendum ei esse non temerarie iudicaretur. Versus, licet sint extensionis satis magnae pro antependio altaris, potuerunt tamen in circuitu depingi. Opinamur non ipsum S. Patrem, sed aliquem suo rogatu hos scripsisse, eo sensu quo saepe aliquis dicitur fecisse quod fieri iusserat. Totum tamen Francisci stylum hos versus prae se ferre nemo negabit.

b. Devotionem suam erga SS. Trinitatem S. P. Franciscus ostendit etiam Bevanii in valle Spoletana. Ibi pluries hospitio fruebatur matris cuiusdam Fratris Minoris. Quae mulier praeter filiam etiam neptem apud se habebat caecam, sed valde devotam. « Rogatus sanctus Franciscus quandoque », ait Thomas de Celano (4), « ut illius languorem

(1) *Reg. I,* c. 3 (*Op.* 28); cf. *Reg. II,* c. 3 (*Op.* 66).
(2) *Annales Minorum,* I, 156; n. 17.
(3) Cf. N. Cavanna, *L'Umbria francescana,* Perugia 1910, 275-8: « *L'Eremita di Cesi* ».
(4) *De mirac.* n. 121.

commiserans, illarum etiam labores attenderet, caecae oculos sputo suo in nomine Trinitatis tribus vicibus delinivit, et lumen ei restituit concupitum ». Bonaventura idem miraculum fere iisdem verbis narrat ([1]). — Modus procedendi per linitionem sputi sine dubio S. Patri per exemplum Christi ([2]) suggestus fuit. Differt tantum a modo evangelico in eo quod non videtur fecisse lutum ex terra et sputo, sed simplici sputo linivisse oculos caecae, quod et de aliis sanctis legitur ([3]). Addidit insuper invocationem S. Trinitatis in cuius honorem *ter* oculos linivit. Quamvis hoc non explicite dicatur a biographis, possumus nihilominus supponere hanc linitionem in forma crucis factam, ita ut S. Franciscus hoc modo assimiletur alteri Sancto Diacono « qui per signum crucis caecos illuminavit », scil. Laurentio. Addamus insuper similem linitionem, sputo adhibito, S. Francisco notam fuisse ex caeremoniis Baptismi. Fortasse et numerus huius devotae familiae personarum suggessit Sancto cogitare de SS. Trinitate invocanda. Non tamen videtur hic locus ut opinionis popularis, quae sputo sicut sanguini, crinibus et unguibus humanis, specialem vim attribuit, originem investigemus ([4]).

c. Celanensis ([5]) adhuc aliud factum narrat quod prope Barum Apuliae accidisset. Ibi S. Franciscus cum socio bursam invenit in via. Socius vult, ut bursa tollatur a terra et pauperibus erogetur. Francisco recusante, frater redire proponit. Acquiescit Sanctus, ut ostendat pecuniam servis Dei nihil aliud quam diabolum. Pergit nunc biographus sic: « Advocat iuvenem quemdam, qui supra puteum sedebat in via, ut in ore duorum vel trium testium ([6]) Trinitatis clareat sacramentum ». Observato ad hunc textum, S. Bonaventuram hoc factum narrantem ([7]), valde contra suam consuetudinem ad mysterium SS. Trinitatis nullo modo hic alludere. Dein, non videtur improbabile Celanensem ex se Francisco hanc intentionem adscripsisse; si tamen adscripserit. Fieri enim potest ly « *ut* » hoc loco esse « ut consecutivum » et minime « ut finale ». Hoc ex textu ergo nihil pro devotione S. Francisci erga SS. Trinitatem deduci certo licet.

([1]) *Leg. maior,* XII, 10 ([2]) Cf. Ioan. 9, 6.

([3]) Alii per impositionem manus vel per signum crucis super oculos caeci illos medentur: cf. v. g. *Vita SS. Epicteti et Astionis*, c. 4 in *Vitae Patrum* (PL 73. 395); *Vita S. Carpi*, c. 13: « Simul cum carnis oculis animae quoque oculos ad caelum tollens, ad misericordiam suam invocabat Dominum. Deinde quid? Crucis signum immittit oculis, manu tangit et tactum lux est consecuta » (ap. Symeonem Metaphrasten, PG 115, 122); S. Greg. M., *Dialog.* I, c. 10: « cum vir Dei (S. Fortunatus Tudertinus) oratione facta oculis (caeci) signum crucis imprimeret, ab eis, protinus luce reddita, nox caecitatis abscessit » (PL 77, 204). ([4]) Cf. F. Heiler, *Das Gebet*[2], München 1920, 74 et 108.

([5]) II Cel. 68. ([6]) Matth. 18, 16. ([7]) *Leg. Maior,* VII, 5.

d. Neque ex hoc quod trium Ordinum fundator exsistit, quamvis *Legenda III Sociorum* (1) dicat: « Et sic per beatum Franciscum, *sanctae Trinitatis cultorem perfectum,* Dei Ecclesia in tribus ordinibus renovatur, sicut trium ecclesiarum praecedens reparatio figuravit ». Similiter in eadem *Legenda* (2) dicitur B. Pater « *verus cultor Trinitatis* » et hoc in narratione vocationis b. Bernardi a Quintavalle. De illa trina apertione libri evangeliorum paulo latius nunc agemus.

e. Trinam consultationem evangelii omnes antiqui biographi S. Francisci describunt (3), sed apud S. Bonaventuram iam magis patet cultus SS. Trinitatis, dum in *Legenda III Sociorum* etiam mentio fit de tertia persona, quodam Petro, quo elementum ternarium adhuc confortatur.

Iuxta *Leg. III Sociorum* S. Franciscus allocutus est Bernardum hoc modo:

« 'Summo mane ad ecclesiam ibimus: et per evangeliorum codicem cognoscemus, quomodo Dominus discipulos suos docuit'. Surgentes igitur mane, cum quodam alio Petro nomine, qui etiam cupiebat fieri frater, venerunt ad ecclesiam S. Nicolai iuxta plateam civitatis Assisii; quam ad orationem ingressi, quia simplices erant, et nesciebant invenire verbum evangelicum de renunciatione saeculi, Dominum rogabant devote, ut in prima libri apertione voluntatem suam eis ostendere dignaretur. Oratione autem finita, b. Franciscus accipiens librum clausum, flexis genibus coram altari, aperuit ipsum, et in prima eius aperitione occurrit illud consilium Domini: *Si vis perfectus esse,* etc. Quo aperto, b. Franciscus gavisus est valde et gratias egit Deo; sed quia verus cultor Trinitatis, trino voluit testimonio confirmari, secundo et tertio librum aperuit. Et in secunda aperitione occurrit illud: *Nihil tuleritis in via* etc. In tertia vero illud: *Qui vult venire* etc. Beatus ergo Franciscus, in qualibet libri aperitione, gratiis Deo exhibitis pro confirmatione sui propositi et desiderii diu concepti, tertio sibi divinitus exhibita et monstrata, dixit etc. ».

Videmus igitur S. Bonaventuram et *Legendam III Soc.* trinam apertionem adscribere devotioni S. Francisci erga SS. Trinitatem, dum Celanensis idem factum narrat absque mentione huius devotionis. S. Bonaventuram sequi Celanensem (4) luce clarius est, addit tamen aliquid novi, v. g. nomen ecclesiae scil. S. Nicolai. Sic et *Legenda III Soc.* addens tertium fratrem, scil. Petrum, affuisse, quemdam valorem originalem habere videtur, sed potest fortasse epitethon « *cultor Trinitatis* » ex S. Bonaventurae *Legenda* fluxisse.

(1) Cap. 14, § 60 (ed. Faloci Pulignani, Fulginiae 1898, 82).
(2) Cap. 8, § 29 (p. 51).
(3) Matth. 19, 21, dein Luc. 9, 3 et Matth. 16, 24.
(4) II Cel. 15.

Celanensis alio loco [1] simile factum de S. Francisco narrat. Voluit enim aliquando scire, quid sibi opportunius esset agere ideoque oratione praemissa

« signaculo crucis se muniens, de altari librum accepit, eumque cum reverentia et timore aperuit. Factum est autem, cum aperuisset librum, occurrit sibi primo passio Domini.... Sed ne hoc casu evenisse possit aliquatenus suspicari, bis et ter librum aperuit, et idem vel simile scriptum invenit ». — Fr. Thomas itaque, silens de devotione erga SS. Trinitatem, hanc adducit rationem trinae aperitionis scil. maioris certitudinis desiderium. Et alteram iam indicavit hisce verbis: « Sanctorum quippe ac perfectissimorum virorum spiritu ducebatur, qui pia devotione in desiderio sanctitatis simile aliquid fecisse leguntur ».

Revera legimus aliquos Sanctos eodem fere modo Dominum consultasse v. g. S. Gregorium Turonensem [2], qui et de aliis hoc refert. Quodque maxime observandum, consultationem non semel fieri in tribus libris, uti Divione sub S. Tetrico episcopo accidit:

« Positis clerici tribus libris super altarium, id est Prophetiae, Apostoli atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret ostenderet: aut si ei felicitas succederet aut certe si regnare posset, divina potentia declararet; simulque unam habentes conniventiam, ut unusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret » [3].

Ex quo patet a tribus personis tres illos libros apertos fuisse. Nolumus tamen hoc nimis constringere, quasi Franciscus ob hanc consuetudinem Bernardum et Petrum iuxta *Legendam III Soc.* secum adduxerit. Unus enimvero solus quandoque tres libros sacros consuluit, sicut fecit Merovechus qui « tres libros super Sancti sepulchrum posuit, id est Psalterii, Regum, Evangeliorum » [4]. Ex tali trium librorum consultatione ortam fuisse triplicem consultationem unius libri nemo non admittet, qui recogitet penuriam librorum in parvis ecclesiis vel eremitoriis.

De cetero etiam S. Franciscus quandoque unica apertione contentus fuisse videtur, uti secundum *Legendam Perusinam* ipse testatur:

---

(1) I Cel. 92s.

(2) *Historia Francorum*, V, c. 50 (PL 71, 366).

(3) L. c. IV, c. 16 (PL 71, 282).

(4) L. c. V, c. 14 (PL 71, 330); cf. S. Augustinus, *Epist.* 55 (PL 33, 222): « Hi vero qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant quam ad daemonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia saecularia et ad vitae huius vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere ». Sed cf. *Confess.*, VIII, 12 (PL 32, 762) et AF X, pag. 70, nota 14.

« ... tuli librum, ubi erant Evangelia Domini scripta et oravi Dominum, ut in prima apertione libri suam voluntatem de iis mihi ostendere dignaretur. Et oratione finita, in prima apertione libri occurrit mihi illud verbum sancti Evangelii: *Vobis datum est nosse* etc. »(1).

Hunc autem usum aperiendi librum ad res futuras cognoscendas non solum in Gallia aut Africa, sed etiam in Germania et Italia floruisse iam patet ex *Capitulari Regum Francorum* tertio, cap. 4, « ut nullus in Psalterio vel in Evangelio vel in aliis rebus sortire praesumat, nec divinationes aliquas observare » (2). Immo iam apud Gentiles similis mos invaluerat, uti patet ex exemplo Hadriani qui ex fortuito versu qui primus in Virgilio occurrisset futurum augurabatur (3).

Liquet igitur ex consultatione seu divinatione librorum profanorum ortam fuisse sacrorum illam codicum et ex unica triplicem, forsitan influxu dogmatis SS. Trinitatis. Non videmus igitur in laudatis actibus S. P. Francisci specialem devotionem erga illud mysterium, sed magis implicitam, quam tamen S. Bonaventura more sua accuratius descripsit. Quo non obstante, actibus scriptisque S. Patris prae oculis habitis manet « *verus cultor Trinitatis* ».

Hanc eius devotionem aliquando pictores arte sua praesentarunt. Sic in sacristia ecclesiae S. Nicolai Florentiae habetur pictura, Neri di Bicci (1419-1491) adscripta, in qua conspicitur sedens Pater Aeternus sustinens Christum in cruce pendentem, dum Spiritus Sanctus in forma columbae super caput Christi ideoque ante pectus Dei Patris apparet. Ex utroque latere stat sanctus diaconus martyr: S. Laurentius a dextris, S. Vincentius a sinistris. Unico genu flexus S. Franciscus, manu sinistra crucem tenens, a parte sinistra stat, vultum in Christum elevans, dum ex altera S. Ioannes Baptista, patronus Florentiae, eodem situ genuflexus, caput quidem avertit, quasi mysterii Trinitatis ignarus, sed Christum digito demonstrat.

Andreas del Sarto seu Vannucchi (1486-1531), qui in refectorio monasterii S. Salvi prope Florentiam SS. Trinitatem repraesentavit cum quatuor Sanctis, similiter fecit picturam quae in museo dicto Pitti in eadem urbe habetur, scil. « *Disputa della Trinità* »(4). Ibi in alto cernitur Pater Aeternus tenens Filium in cruce, dum quatuor Sancti, scil. S. Augustinus, Laurentius, Petrus Veronensis, O. P., et Franciscus Assisiensis stant, S. Magdalena et S. Sebastianus genuflexi sunt. Omnes Augustinum quasi auscultant, qui videtur

(1) N. 73 (ed. Delorme, 1926) pag. 42; cf. Marc. 4, 11; AFH XX, 94, n. 7.
(2) PL 33, 222, nota a.
(3) Th. Ruinart ap. PL 71, 330, nota j.
(4) Cf. B. Magni, *Storia dell'arte italiana*, II. Roma 1901, 497 s.

explicare doctrinam de Trinitate, de qua opus scripsit insigne. — Hanc et priorem tabulam lectoribus hic conspiciendas offerimus.

Mentio adhuc fiat tabulae a Cosma Roselli (1439-1507) depictae, nunc in ecclesia S. Francisci Fesulis servatae. In alto adest ibi Deus Pater, sub illo in forma columbae Spiritus Sanctus, dum in terra Infans Iesus adoratur a B. M. V., a S. Francisco et ab aliis Sanctis ([1]).

III. — Rationes quasdam quaerentes devotionis S. Francisci erga SS. Trinitatem, distinguimus imprimis internas ab externis. Luce enim clarius est virum Dei ex fide profundiore caritateque magis perfecta vixisse, Deumque trinum et unum melius cognovisse ac intensius ceteris mortalibus coluisse. Sed de interna S. Francisci vita nobis sermo non occurrit. Volumus tantummodo ex circumstantiis eius temporis et loci clarius intelligere, quomodo hanc devotionem sic nutrire potuerit. Certum enim est unumquemque influxum subire sui saeculi atque suae patriae.

In Italia igitur tempore S. Francisci cultus SS. Trinitatis minime ignotus fuit.

Imprimis plura sanctuaria eidem dedicata erant. Sic, narrante cl. A. Paladini ([2]), in pago, quod Vallem Petrarum vocant, italice autem Vallepietra, Anagninae dioeceseos, vetustissimum sacellum exstat, a monachis Basilianis olim in latere montis Auctoris excisum. Ex imaginibus in muris depictis, saeculis uti ferunt VII aut VIII, praecipuum illud est, ubi SS. Trinitas repraesentatur in figura trium perfecte aequalium. Bis in anno ex Latio et finitimis regionibus ad SS. Trinitatem colendam turbae fidelium eo conveniunt. Huic aliud sacellum adiacet in quo SS. Trinitas repraesentatur figura consueta, Patris in figura senis Filium crucifixum sustentantis, Spiritu Sancto in columbae forma apparente. In diocesi Reatina alia ecclesia SS. Trinitatis invenitur, quae 19 iunii 1220 adiudicatur abbati et conventui S. Eutychii ([3]).

Monasterium SS. Trin. de Capite-Lacus (Capo di Lago), dioec. Mediolani, a comite Rudolpho erectum, a Guidone vero archiepiscopo Mediolanensi (1046-70) consecratum, postea a Guillelmo Ruzzoli archiep. (1230-1241) Clarae-Valli Mediolani fuit commissum ([4]). Facilius autem innotescere potuit S. Patri aliud monasterium, scil. SS. Trinitas de Saxovivo, postea S. Crucis dictum. Hoc fuit celeberrimum et antiquissimum Ord. S. Benedicti in Umbria, dioec. Fulginatensis, tria milliaria

---

(1) Roselli fuit discipulus Benozzo Gozzoli et depinxit etiam Capellam Sixtinam. Cf. B. Kleinschmidt, O. F. M., *Geschichte der christl. Kunst*[2], Paderborn 1926, 256.

(2) *Ephem. Liturgicae,* 42, 1928, 200, ubi etiam imago refertur.

(3) Pressutti, *Regesta Honorii III,* II, n. 6000 (p. 431).

(4) L. Janauschek, *Originum Cisterc.,* I, Vindobonae 1877, 240.

ab urbe cathedrali distans (1). Coenobium SS. Trinitatis de Spineto in valle Orciae, dioec. Clusinensis, olim fuit Ord. Vallumbros., an. 1497 ad Congr. Ital. S. Bernardi transiit (2). S. Ioannes Gualbertus, cui Prior devotus Camaldulensium, « spiritu revelante divino » fertur dixisse: « Vade et tuum *in nomine Trinitatis* incipe institutum », ad Vallis-Umbrosae locum perrexit, unde eius Ordo nomen accepit (3). Florentiae iam ante saec. 13 conventum et ecclesiam SS. Trinitatis erexit, Cardinali Hugolino, Francisci amico, carum.

Hugolinus etiam institutum B. Ioachimi de Flore magni habuit, pro quo duo monasteria fundavit scil. Montem Mirtetum supra Nympham et S. Mariam de Gloria Anagniae (4). Ioachim speciali devotione erga SS. Trinitatem eminebat, utique edoctus a Cisterciensibus, quorum initia hoc cultu consecrata fuerant Prima enim Cistercii filia Firmitas (La Ferté) 1113 SS. Trinitati dedicata fuit et in Italia SS. Trinitas de Ligno in Calabria Citeriore (1185), cuius filia fuit SS. Trinitas de Rephech in Syria 1187, dum ante 1150 SS. Trinitas de Panormo fundatum fuit. Monasterium ad quod Ioachim refugit SS. Trinitas de Acra dicebatur (5). — Doctrina Ioachimi de mysterio SS. Trinitatis post mortem eius (1202) in Concilio Lateranensi IV (1215) reiecta fuit, expressis verbis condemnatione ad hoc punctum coarctata (6). Neque videtur S. P. Franciscus ex eius ideis trinitariis directe hausisse, eo minus quod Ioachim historiam dividens in regnum Patris, regnum Filii et regnum Spiritus Sancti, Novum Testamentum, ut ita dicatur, evacuavit, dum Franciscus illud proprie intensius reviviscere voluit (7). Opinamur nihilominus S. Patrem Seraphicum in suis itineribus saepius in monasteriis pernoctantem multa audiisse de ideis ioachimiticis et quasdam suas fecisse, uti iam antea innuimus relate ad cultum S. Ioannis Evangelistae et prophetarum ultimorum temporum, Eliae et Henoch (8). Fieri itaque potuit,

(1) Cf. Janauschek, l. c. p. LXVI; Wadding, *Annales*, VII, 225, ad an. 1358. n. 2. Ab hoc monasterio postea ecclesia SS. Trinitatis Spoleti dependebat; cf. *Arch. stor. eccl. dell'Umbria*, IV, 1917, 393. Fundatum a B. Mainardo de Germania, O. S. B., an. 985 (non 1085, uti L. Jacobilli, *Vite de Santi e Beati dell'Umbria*, III, Foligno 1661, 282), postea Ord. Cist., dein 1486 Olivetanis traditum fuit. (2) Janauschek, l. c. p. LXIX.

(3) Atto, *Vita S. Ioannis Gualberti*, c. 12 (PL 146, 671).

(4) E. Brem, *Papst Gregor IX bis zum Beginn seines Pontifikats*, Heidelberg 1911, 71; cf. 84; Pressutti, l. c. I, n. 66, 70, 2834.

(5) Janauschek, l. c. p. LXXI, 3, 185, 188, 196.

(6) Mansi, *Coll. Concil.* XXII, 986.

(7) Cf. H. Grundmann, *Studien über Joachim von Floris*, Leipzig 1927, S. 158 et 190, nota 2; G. Bondatti, *Gioachinismo e Francescanesimo nel dugento*, S. Maria degli Angeli 1924, 10; P. Fournier, *Etudes sur Joachim de Flore et ses doctrines*, Paris 1909, 14ss. (8) AFH XX, 21s.

ut etiam devotio erga SS. Trinitatem, non dicimus a Ioachimo aut Ioachimitis accepta, sed a monachis qui hunc cultum specialem sive ex instituto suo sive influxu idearum Ioachimi fovebant, Franciscum magis incenderet. Nemo nescit quomodo S. Pater cito inflammaretur pro omni bono, vero et pulchro quod videbat vel audiebat. Unde valde probabile videtur eum allectum fuisse cultu illo speciali SS. Trinitatis tunc in variis monasteriis experto (1).

Alia causa devotionis erga SS. Trinitatem reflorentis fuit institutio et propagatio Ordinis SS. Trinitatis pro redemptione captivorum, cuius Regula approbata fuit ab Innocentio III, die 17 dec. 1198. Qua inter alia sic praescribitur: « Omnes ecclesiae istius ordinis intitulentur nomine S. Trinitatis, et sint plani operis. Fratres possunt esse in una cohabitatione tres clerici et tres laici » (2). Secunda domus huius Ordinis fundata fuit Romae, ubi Papa dedit eis ecclesiam « S. Thomae Apostoli et S. Michaelis Archangeli de Formis » seu « di Forma Claudia » (3), ubi 17 dec. 1213 S. Ioannes de Matha, primus eorum Minister Generalis mortuus est, uti postea Ioannes II Anglicus, secundus Superior Generalis, die 17 iunii 1217. Non videtur dubium, quin S. Franciscus, saepius Urbem frequentans (4), cognoverit hunc Ordinem qui plura cum suo communia habuit v. g. quod « equos non ascendant », crucigeros comitentur in regiones Saracenorum, habeant Superiorem nomine « ministri », « cui fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur ». « Si quis frater in fratrem peccaverit... benigne et fraterne commoneat et corripiat eum » (5) et illud: « Generale Capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet in octavis Pentecostes » (6). Quibus omnibus perpensis, vix negari potest S. Fran-

(1) An. 1166 quoddam commemoratur monasterium « SS. Trinitatis de Mileto » in Calabria; cf. W. Holtzmann, in *Quellen und Forschungen aus ital. Archiven und Bibl.*, XVIII, Rom 1926, 334. Conventus Clarissarum Eugubinus SS. Trinitatis secundum M. Sartium, *De Episcopis Eugubinis*, Pisauri 1755, 148, fundatus est an. 1226 sub titulo S. Mariae de Pelagio; cf. AFH V, 446, nota 2; secundam U. P[aris] in *Studi Franc.* XIII, 1927, 418: « Da un documento conservato nell'Arch. della Cattedrale di Gubbio (in data 3 nov. 1361) risale alla seconda metà del sec. XIV ». Capella SS. Trinitatis apud Hispellum in Umbria, uti P. Paris benevole nobiscum communicavit, hodie in horreum mutata, spectans ad Comitem Pandolfi Fulginatensem, potest tempore S. Francisci exstitisse, quamvis imagines attribuantur scholae Cimabue et Giotto. Cf. G. Fratini, *Una prova del sentimento religioso dell'antico Spello*, Assisi 1876, 19.

(2) *Bull. Rom.*, III, Augustae Taurinorum 1858, 134.

(3) M. Heimbucher, *Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche*, II, Paderborn 1907, 72s.

(4) Cf. L. Oliger, in *Italia francescana*, Assisi 1927, 65-113.

(5) *Bull. Rom.*, l. c. 136. *Reg. S. Franc.* II, c. 10 (*Op.* 71s.).

(6) *Bull. Rom.*, l. c.; cf. *Reg. I*, c. 18; *Reg. II*, c. 8 (*Op.* 48, 70).

ciscum Ordinem SS. Trinitatis cognovisse, quamvis non constet, utrum viderit ipsum S. Ioannem de Matha (1).

Quomodo tempore S. Patris devotio specialis erga SS. Trinitatem iam florescere inceperit, videmus etiam in sermonibus papae Innocentii III, quem Franciscus cognovit et frequentavit, ita ut probabiliter ideas huius venerandi Pontificis pro amore suo erga Petri successorem maximi habuerit, imo forsitan scripta huius in manus Francisci pervenerint. Innocentius autem saepe circa mysterium SS. Trinitatis versatur, uti cuique volventi eius opera facile constabit.

Speciminis gratia adducimus haec ex *Sermone 1* (2): « Cur Pater ipse non venit aut Spiritum Sanctum non misit? Cur potius Filium destinavit?... Verum in Sancta et individua Trinitate Patri attribuitur unitas, propter principium; Filio attribuitur aequalitas, propter medium; Spiritui Sancto attribuitur connexio, propter consortium ». Et in 14 *Sermone de Annuntiatione* (3): « Hodie Trinitatis mysterium innovavit, ut tres sint substantiae in unitate personae, sicut tres personae sunt in unitate substantiae, ut nasceretur de matre sine patre, qui de Patre natus est sine matre ». Etiam in tractatu suo *De sacro altaris mysterio* saepe loquitur de « interposita gloria Trinitatis », « totam Trinitatem glorificando » (4).

Quae exempla facile multiplicari possunt, sed sufficiunt. De Gregorio IX iam locuti sumus supra et ideo concludere licet, Summos Pontifices tunc huic devotioni favisse, quod in « virum catholicum et totum apostolicum » influere debuisse libenter conicimus. — Sed alia quaestio nunc occurrit de cultu ecclesiastico huius mysterii.

IV. — Videndum utrum S. Franciscus iam celebraverit festum liturgicum SS. Trinitatis. Primo aspectu res haec negari posse videtur, quia, uti notum est, nonnisi an. 1260 in Capitulo Narbonensi Ordo noster hoc festum assumpsit (5), 1279 iterum abolevit, « cum Ordo teneatur facere officium secundum ordinem romanae ecclesiae (6) et ipsa romana ecclesia officium de Trinitate non faciat » (7). Revera plures Romani Pontifices huic festo contrarii erant, uti Leo IX († 1054), Alexander II († 1073) et adhuc Alexander III († 1181), dicentes non esse usum Romanae Ecclesiae huic mysterio specialem diem assignare, quia quotidie SS. Trinitas per doxologiam colatur. Huic oppositioni etiam extra Italiam adhaeserunt viri magnae aucto-

(1) Cf. C. Santucci, in *Settimo Centenario della fondazione dell' Ordine della SS. Trinità*, Roma 1898, 33.
(2) PL 217, 515s. (3) L. c. 522.
(4) *De sacro alt. myst.* I, c. 18 (PL 217, 808s.); cf. III, c. 5 (l. c. 843).
(5) AFH III, 504.
(6) *Reg. II*, c. 3 (*Op.* 66). (7) AFH III, 499.



Andr. del Sarto, **S. Franciscus aliique Sancti Augustinum de SS. Trinitate disserentem auscultant.**

(Florentiae, Pinacotheca Pitti, *Phot. Alinari*).



Neri di Bicci (?), **S. Franciscus et alii Sancti mysterium SS. Trinitatis contemplantur.**

(Florentiae, Eccl. S. Nicolai, *Phot. Alinari*).

ritatis, uti Potho abbas Prumensis (1). Constat insuper neminem ex biographis S. Patris nobis notis aliquid proferre de tali celebratione.

Sed contra has rationes stant aliae non minus graves. Primo enim fieri potest, ut Capitulum Narbonense nonnisi inculcaverit quae iam in usu fuerant in pluribus locis. Quoad Romanos Pontifices tempore S. Francisci, dicendum Innocentium III et Gregorium IX cultui SS. Trinitatis satis favisse, quamvis nonnisi an. 1334 ipsum festum a Ioanne XXII pro Ecclesia Romana praescriptum fuerit (2). Immo, in monasteriis Ord. Cist. iam ante 1206 festum illud notum fuit, praescribentibus statutis illius anni: « Si festum S. Barnabae in sabbatho *ante festum Trinitatis* evenerit, nihil in secundis vesperis de eo fiat nisi tantum commemoratio post *Magnificat* » (3). S. Franciscus non solum ex his, sed etiam aliunde facile cognoscere potuit hoc festum, v. g. ex relationibus suis cum Iacobo de Vitriaco (4) vel aliis clericis Leodiensibus, qui a tempore episcopi Stephani (903-920) hanc solemnitatem celebrabant (5). In Italia autem praeter conventus Cisterciensium, fortasseque Florensium, Trinitariorum etc. etiam monasterium Fontavellanum iam hoc festum egisse videtur. Invenitur saltem ibi Missa in honorem SS. Trinitatis *Benedicta sit* iam saec. XI (6), quamvis forsitan Missam votivam fuisse, uti illam Pseudo-Alchvini (7), concedendum sit. Quae omnia si probent S. Fundatorem nostrum facile cognoscere potuisse illud festum et pro amore suo erga mysterium fidei altissimum probabiliter libenter accepisse, habemus insuper testimonium ipsius Gregorii IX, eum canonizantis, qui de B. Patre in hymno suo *Proles de caelo* sic dicit:

Legi, Prophetae, Gratiae
Gratum gerens obsequium,
Trinitatis officium
Festo solemni celebrat (8).

(1) H. Kellner, *Heortologie*3, Freiburg i. Br. 1911, 89s.; *Micrologus*, c. LIX s. (PL 151, 1019); Fr. de Weyels, O. S. B., in *Liturgisch Tijdschrift*, III, 1912, 248; Respicius v. d. Valkenhoef, O. F. M., in *Aldenborch*, II, 1926, 133s.

(2) R. Stapper, in *Der Katholik*, CXCVI, 1916, 330.

(3) *Selecta Statuta Cap. Glis. Ord. Cist.* ap. Martène-Durand, *Thesaurus novus anecdotorum*, IV, Lutetiae Paris. 1717, col. 303, n. 2. In *Statutis* an. 1230 ritus festi elevatur: « Festum S. Trinitatis cum tribus lampadibus in posterum semper fiat et abbas celebret solemniter in conventu, sed sermonem in capitulo propter difficultatem materiae fieri non oportet » (!).

(4) Cf. A. Callebaut, in AFH XIX. 546ss. (5) Cf. H. Kellner, l. c.

(6) PL 151, 937. (7) PL 101, 445.

(8) In I Vesp. off. S. P. N. Fr. ap. E. Bruning, O. F. M., *Officium ac Missa de festo S. P. N. Francisci*, Parisiis, Tornaci, Romae 1926, 8. Ducimus « Gratiae » maiusculo scribendum esse, quia per hoc verbum indicatur hic Spiritus S., uti per Legem Pater, per Prophetam Filius; cf. R. v. d. Valkenhoef, l. c. 131; S. Bonav., *Sermo de Trin.* (*Opera*, IX, 351 b).

Fieri tamen possunt quaedam obiectiones contra litteralem interpretationem huius sententiae. Imprimis ex opere Ioannis Beleth. *Explicatio divini officii* (1), ubi « festa Trinitatis » vocantur Nativitas Domini, Pascha et Pentecostes: « Festorum quaedam sunt generalia. quaedam particularia. Generalia sunt quae generatim ab omnibus celebrantur, ut festa Trinitatis... Festa etenim Trinitatis digniori cultu sunt celebranda ». « Animadvertas Natale Domini festum esse Patris, cum per eum Pater innotuit mundo ... Pascha autem est festum Filii ... Pentecoste vero festum est Spiritus Sancti. Istarum tamen solemnitatum quaelibet festum dicitur totius Trinitatis ». Sed si Gregorius IX loqui voluisset de celebratione v. g. Natalis Domini, Graecii facta. hoc facile exprimere potuisset neque initio strophae mentionem fecisset divinarum Personarum trium. Insuper tempore Ioannis Beleth, scribentis circa 1160, festum proprium SS. Trinitatis minus notum fuit quam tempore Gregorii IX. Maxima autem difficultas interpretandi ad litteram sententiam gregorianam in eo consistit quod illa stropha non est separanda a sequenti quae est mera continuatio, sententia secundaria, praecedentis et sic sonat:

« Dum reparat virtutibus
Hospes triplex hospitium,
Et beatarum mentium
Cum templum Christo consecrat ».

Oratione ligata itaque dici potest sic: Trinitatis officium festo solemni celebrat, dum triplex hospitium reparat virtutibus et dum templum beatarum mentium (i. e. angelorum) (2) Christo consecrat. Sensus igitur videtur: Franciscus reparando triplex hospitium virtutibus (scil. obedientiae, paupertati, castitati) instituendo Ordinem et restaurando ecclesiam (B. M. V.) Angelorum honorat solemniter Trinitatem, cui gratum obsequium gerit. Tria tabernacula et « triplex hospitium » forsitan intelligi quoque possunt de tribus ecclesiis a S. Francisco restauratis (3); « trinitatis officium » pariter pro trino seu triplici officio sumi posset, uti proposuit P. Respicius (4).

Non abs re erit mentionem facere de quadam inscriptione rhythmica quae Assisii invenitur sub pictura in fornicibus ecclesiae inferioris Basilicae S. Francisci, quae pictura artis peritis nota est sub titulo « *Gloriosus Franciscus* ». Stropha una huius rhythmi absque dubio sub influxu hymni Gregorii IX composita est; sonat enim sic:

(1) Cap. 5 (Venetiis 1568, fol. 323r) et c. 95 (f. 350r); PL 202, 18 et 97.

(2) Iam a Ps.-Dionysio Angeli « mentes » dicuntur; cf. v. g. *De cael. hier.* c. 12, § 2 iuxta versionem Ioannis Scoti Eriugenae: « non unam circa Deum *primarum mentium* nominat » (PL 122, 1061).

(3) I Cel. 18 et 21.

(4) *Aldenborch*, l. c. 134.

Paupertatem *dum reparat,*
Castitatem angelicam
obediendo comparat
trinitatem deificam (1).

Huic sensui metaphorico, a poeta Gregorio IX probabiliter intento, perpulchre correspondet *Legenda III Sociorum* dicendo (2): » Et sic per b. Franciscum, sanctae Trinitatis cultorem perfectum Dei Ecclesia in tribus ordinibus renovatur, sicut trium ecclesiarum praecedens reparatio figuravit ».

Sed, quamquam de S. Patris celebratione liturgica festi SS. Trinitatis non constat, devotio eius specialis erga hoc augustum mysterium, toties externata tam factis quam verbis, historice probatur ita ut iure merito praedicetur « cultor Trinitatis ».

Ad Claras Aquas.

P. Willibrordus Lampen, O. F. M.

(1) L. Bracaloni, *L'Arte Francescana,* Todi 1924, 142; cf. Beda Kleinschmidt, *Die Basilika San Francesco in Assisi,* II, Berlin 1926, 204 ff.

(2) Cap. 14, § 60 (p. 82).



DE CANONIZATIONE S. FRANCISCI

(Occasione VII centenarii: 1228-1928)

Trium Ordinum institutor inclitus Franciscus Assisias III octobris anni 1226, « die sabbati in sero (1) » ad Dominum, quem « tota mente (2) » dilexerat, laetus migravit aeternorumque compos effectus est gaudiorum. Die postera, dominica IV octobris, Fratres ac turbae quae confluxerant innumerae « sacrum corpus de loco in quo obierat (3) » ex aede scilicet Portiunculana, « cum hymnis et laudibus, clangentibus tubis (4) » in proximam patriam Assisium extulerunt, atque in sacello S. Georgii (5) « in sacro loco, sed sacratiore de caetero posuerunt (6) ».

Seriem factorum tunc subsecutorum, quomodo ob crebra miracula ad canonizationem anno 1228 ventum sit, quomodo haec sollemnitas Assisii coram 'sanctissimo corpore' (7) novi Sancti, die 16 iulii 1228, apparatu magnifico celebrata sit, Fr. Thomas Celanensis in *Vita I S. Francisci,* fato anno 1228 exarata, sermone perquam luculento enarravit (nn. 119-126). Huius auctoris dicta, quorum vivida et aspectabilis ubertas vix nemini non persuadebit eumdem tunc Assisii degisse atque sollemniis interfuisse, paucissimis quibus id fieri poterit verbis, hic constringemus, quam brevissime graviora exscripturi, legentes semel adhortati, ut ipsius narrationem perspicuam et praeclaram adeant. — Narratis a Fr. Thoma tunc aliqua de eadem sollemnitate e bullis pontificiis atque ex chronographis coaevis subnectemus. Dein, festivitatis illius decursum magis illustrandi causa, quaedam de aliis canonizationibus illo tempore celebratis addemus. Demum harum rerum notitiarumque ope circa aliquot canonizationis S. Patriarchae adiuncta commentarium subiungemus.

---

(1) Thomas a Celano, *Leg. chori,* n. 17, ap. AF X, 126. Idem in *Vita I,* n. 88, S. Patrem obiisse dixerat « *IV nonas octobris die dominico* », quod fuisset die IV dicti mensis. Fr. Helias in *Epistola encyclica* Fratribus moerentibus nuntiavit accuratius Seraphicum Sanctum migrasse « *IV nonas Octobris, die dominica prima hora noctis praecedentis* »; cf. locum ap. AF X, 67, in nota 3; ap. Waddingum, an. 1226, n. 45 (II², 150). (2) *Leg. chori,* n. 16.

(3) I Cel. 116. (4) L. c. (5) I Cel. 23.

(6) I Cel. 118. (7) L. c.

I. — De sollemnitate canonizationis.

1. E tumba sua Franciscus « *miraculorum luce clarissima* » mundum statim irradiabat ([1]), « *varia infirmitatum gravamina* » patientes pristinae restituens sanitati. « *Audit et intelligit haec Romanus Pontifex, Gregorius IX* », Francisco prius arcta necessitudine coniunctus ([2]), « *audiunt et... venerabiles Cardinales... audit et applaudit universalitas orbis* ». « *Sed fit subita conversio rerum.. Romani, seditiosum hominum genus et ferox* » in Papam insurgunt, qui « *seditiosis reliquit Urbem* ([3]) », Reate secessit ([4]), inde Spoletum ([5]), hinc cum curia « *properat iam, properat Assisium* ([6]) », ubi Summum Pastorem excipiens « *populorum turba magna gaudia celebrat* ». « *Applicat ad locum Christi Vicarius et in primo descensu sepulcrum sancti Francisci reverenter... salutat. Ingeminat suspiria, pectus tundit, lacrimas fundit* ».

2. « *Fit interea de sancti canonizatione sollemnis collatio et super huiusmodi negotio egregia Cardinalium concio saepe convocatur. Concurrunt undique multi, qui per sanctum Dei fuerant a suis cladibus liberati et miraculorum maxima multitudo hinc inde coruscat: approbantur, verificantur, audiuntur, recipiuntur* ».

Ast « *nova imminet causa: Perusium* ([7]) *it Papa beatus, ut... pro summo negotio iterum Assisium revertatur. Convenitur denique Perusii rursum et super hanc causam in camera domini Papae venerabilium Cardinalium celebratur sacer conventus. Concordant pariter et dicunt idipsum omnes; miracula legunt et plurimum venerantur summisque praeconiis vitam beati patris et conversationem extollunt.* « *Non* ([8]) *indiget* », *inquiunt*, « *miraculorum attestatione sanctissimi vita sanctissima, quam 'oculis nostris vidimus, manibus contrectavimus'* ([9]), *magistra veritate probavimus* ». « *Tripudiant, universi, laetantur, lacrimantur* ».

([1]) I Cel. 119. ([2]) I Cel. 73-5, 99-101. Cf. infra, num. 9. Gregorius IX ipse Celanensem *Vitam I* scribere iusserat; cf. Prolog. n. 1. — Summus Pontifex electus 19 martii 1227, vitam munusque finivit 22 augusti 1241.

([3]) Haec pluribus expanduntur in adnotationibus ad I Cel. 122-6. Seditio Romae mota est feria II Paschatis, i. e. 27 martii 1228. Cf. *Vita Gregorii IX*, ap. Muratori, *Rer. Ital. Script.* III, I, Mediolani 1723, 576; ed. P. Fabre, *Le Liber censuum eccl. Rom.* II, Paris 1905, 19. Cf. F. Gregorovius, *Storia della città di Roma nel medio evo*, II, Roma 1900, 746-7. — Pontifex Roma discessit 20 vel 21 aprilis 1228; Potthast, *Regesta Pontif. Rom.* n. 8175.

([4]) Ubi curia resedit a 25 april. ad 10 maii; Potthast, n. 8176-92.

([5]) Ibi Papa erat 14 maii 1228; Potthast, n. 8193.

([6]) *Vita I*, 123. Exstant diplomata pontificia Assisii data a 26 maii usque ad 10 iunii 1228; Potthast, n. 8194-8207.

([7]) Ubi iuxta bullas ibidem datas moratus est a 13 iunii usque ad 13 iulii 1228; Potthast, n. 8208-40; L. Auvray, *Les registres de Grégoire IX*, I, Paris 1896, n. 198-201, 203-12. ([8]) *Vita I*, 124. ([9]) Cf. Ioh. 1, 1.

« *Iam iamque diem constituunt benedictum, in quo totum mundum gaudio repleant salutari. Adest quoque dies sollemnis toto venerabilis aevo... Convocantur episcopi, abbates adveniunt, de remotissimis partibus praelati ecclesiae adsunt* (1). *Regalis se offert praesentia* (2), *comitum et procerum advenit nobilis multitudo* ».

3. « *Comitantur deinde universi dominum omnis orbis et cum ipso Assisii civitatem felici pompa ingrediuntur. Venitur ad locum tam solemni occursui praeparatum* (3) *et beato Papae gloriosorum Cardinalium, episcoporum et abbatum conglomeratur frequentia tota. Ibi sacerdotum et clericorum concursus eximius, ibi religiosorum felix et sacer conventus... ibi populorum maxima turba... Accurritur undique...* ».

« *Adstat* (4) *Pontifex Summus, Christi Ecclesiae sponsus ... corona gloriae in capite suo ..., in magnificentia gloriae deauratus... Circumdant eum Cardinales et episcopi... niveis fulgoribus candidati... Exspectat universus populus... Praedicat primitus populo universo Papa Gregorius et affectu mellifluo, voce sonora, nuntiat praeconia Dei. Sanctum quoque patrem Franciscum nobilissimo sermone collaudat et conversationis eius recolens et annuntians puritatem, totus lacrimis madidatur. Sermo eius tale sumit exordium:* « Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis et quasi sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei (5) ».

« *Completur itaque 'sermo fidelis et omni acceptione dignus'* (6) *et unus ex subdiaconibus domini Papae, nomine Octavianus* (7), *miracula sancti coram omnibus voce altissima legit. Dominus Raynerius, diaconus Cardinalis* (8), *perspicaci pollens ingenio, pietate ac moribus clarus, ea sacris loquelis lacrimis perfusus edisserit. Tripudiat pastor Ecclesiae... lacrimarum rivulos educit. Caeteri quoque praelati lacrimarum profluvia spargunt,... plorat denique populus cunctus...* ».

---

(1) Qui scilicet tunc in curia morabantur. (2) Cf. infra, III, num. 11.

(3) Ad seu potius circa ecclesiam S. Georgii. Cf. infra, III, num. 17.

(4) *Vita I*, 125.

(5) Eccli. 50, 6-7. Cf. infra, 473, 477. (6) I Tim. 1, 15.

(7) Octavianus Ubaldinus de Mugello, postea, die 18 maii 1244, Cardinalis S. Mariae in Via Lata creatus; Eubel, *Hierarchia*, I², 7. Gregorius IX « dilexerat eum speciali amore » uti refert Fr. Salimbene, *Chronica*, ed. Holder-Egger, ap. MG SS 32, 385; cf. ibid. 365-7, 384-7; ed. Parm. 1857, 181-2; 195-7. A. Hauss, *Kardinal Oktavian Ubaldini*, Heidelberg 1913, 3 ff.

(8) Rainerius Capocius, de Viterbio, O. Cist., ab Innocentio Cardinalis creatus an. 1216; Eubel, I, 4; G. Levi, ap. *Archivio d. soc. Romana di storia patria*, XIV, 1891, 231 sgg.; El. von Westenholtz, *Kardinal Rainer von Viterbo*, Heidelberg 1912, 30 ff. — Anno 1221 capitulo generali interfuerat apud Portiunculam, ubi eum viderat Fr. Iordanus a Yano; cf. ipsius *Chronica*, n. 16 ap. AF I, 6; ed. Boehmer, 16. Auctor est hymni ad Laudes festi S. Francisci: *Plaude turba paupercula*; cf. AF X, 101; supra, 400; infra, 495.

4. « *Clamat* (1) *proinde voce altisona Papa beatus et, protensis ad caelum manibus, inquit:* « *Ad* (2) *laudem et gloriam omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti et gloriosae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et ad honorem gloriosae Ecclesiae Romanae, beatissimum patrem Franciscum quem Dominus glorificavit in caelis, venerantes in terris, de consilio fratrum nostrorum et aliorum praelatorum, in catalogo sanctorum decernimus adnotandum et festum eius die obitus sui celebrari* ».

« *Ad hanc... vocem coeperunt reverendi Cardinales cum domino Papa:* Te Deum laudamus *alta voce cantare. Attollitur proinde clamor populorum multorum laudantium Deum et immensas resonat terra voces ... Cantantur cantica nova* (3) *et in melodia spiritus iubilant servi Dei. Audiuntur ibi organa melliflua* (4) *et carmina spiritualia modulatis vocibus decantantur ... ibi olivarum virentes rami ... ibi festivus ornatus lucidius incandescens* ».

5. « *Descendit denique de solio excelso felix Papa Gregorius et per inferiores gradus ad offerenda vota et sacrificia sanctuarium intrat, tumbamque continentem sacrum et Deo dicatum corpus felicibus labiis osculatur* (5). *Offert et multiplicat preces, celebratque mysteria sacra* (6). *Stat circa illum corona fratrum laudans, adorans et benedicens Deum ... Amplificat universus populus laudes Dei et ... sancto Francisco persolvunt sacrarum munera gratiarum ... Facta sunt autem haec in civitate Assisii, secundo anno pontificatus domini papae Gregorii Noni, septimo decimo die kalendarum mensis augusti* ».

Haec igitur evenerunt Assisii die 16 iulii 1228, quae dies isto anno erat dominica IX post Pentecosten, videlicet unum annum, 9 menses et 13 dies post felicem transitum Sancti.

6. Exinde Fr. Thomas Celanensis subiungit n. 127-150: « *ad excitandam praesentium amplectendam devotionem... miracula quae coram domino Papa Gregorio, ut dictum est, perlecta sunt et populo nuntiata* ». Haec universim 40 numerantur; omnia post S. Francisci felicem transitum evenerunt (v. III, 6). In his describendis Celanensis formam iuridicam processus et depositionum penitus neglexit et ad regulas « cursus » facta illa pro more et peritia suis redegit ac retractavit.

---

(1) *Vita I,* 126.

(2) Auctores suppares quidam haec e I Cel. 126, ferme verbatim exscripserunt, quos habes ap. AF X, 101 in nota 7. Cf. etiam infra, 476-8.

(3) Cf. Psal. 32, 3; 95, 1 etc. — De eis cf. infra, III, num. 3 et 4.

(4) Considerata etiam arctitudine ecclesiae S. Georgii, dubitari vix potest quin vox sensu largiore sit accipienda.

(5) Ex his manifestum fit, celebritatem peractam fuisse in aedicula S. Georgii (vel partim circa eamdem); cf. infra, III, 17.

(6) Cf. infra, III, 3 et 17.

7. Posteriores Legendae S. Francisci nonnisi obiter rem istam narrarunt seu tetigerunt. Ipse Fr. Thomas eam in sua brevicula *Legenda ad usum chori* paucis tantum verbis, velut huius Legendae indoles postulabat, recoluit (1). In sua *Vita II* in breve compendium redegit (2) ea quae fusius olim in *Vita I* descripserat, immo quodammodo depinxerat. Demum in *Tractatu de miraculis* an. 1250-1253 hoc factum nullibi repetivit, satis habens ad illud valde obiter alludere (3).

Fr. Iulianus Spirensis in *Legenda* sua (4) hic (ut per eius totum decursum) *Vitam I* compendiavit, de « *maximis, quae longum foret enarrare, sollemniis* » locutus. — S. Bonaventura, haec ipsissima verba e Iuliano repetens (5), dicit: « *inventa miracula et conscripta et testibus idoneis approbata examinari fecit per illos qui minus inter cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis et ab omnibus approbatis* etc. ». Talium Cardinalium selectio nova res est.

8. Se Patriarcham Pauperum, cum apparatu quem exposuimus festivo, Sanctorum agminibus gloriose in caelis regnantibus accensuisse, Gregorius IX iam die 9 iulii 1228, id est octo dies antequam sollemnitas ita perageretur « *archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis* » praeannuntiaverat (6) in bulla data Perusii: *Sicut phialae aureae* (7). In hac festum novi Sancti die 4 octobris colendum instituit.

Huius exordium sumitur ex Apoc. 5, 8. « *Sane* (ait Pontifex) *cum de conversatione, vita et meritis beati Francisci, institutoris et rectoris Ordinis Fratrum Minorum* », qui iuxta promissionem apud Matth. 19, 29, « *ad caelestia praemia feliciter et aeterna pervenit, cuius vita et forma praeclara* », plurimos asseclas habuit, « *tam per nos quam per multos alios fide dignos, qui miracula, quae Deus per illius sancti viri merita operatur, plenius cognoverunt, certiores effecti: auditis etiam eius virtutibus et miraculorum insigniis et quod inter carnales spiritualiter et inter homines etiam angelicam conversationem habuisset, ipsum qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in caelestibus... de fratrum nostrorum consilio et praelatorum qui tunc temporis apud sedem apostolicam consistebant, sanctorum catalogo duximus adscribendum* ». Unde vos universos « *rogamus, monemus attentius et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus... festivitatem ipsius IV nonas octobris annis singulis excolatis et pronuncietis constituto die specialiter excolendam* ».

9. Quae bulla nuntia fuit, B. Franciscum rite in Sanctorum canonem relatum fuisse a Summo Pontifice, non vero bulla formalis cano-

---

(1) Num. 17; ap, AF X, 126.

(2) II Cel. 220a, ap. AF X, 258. Textus ibidem ab amanuense detruncatus, nuperrime demum prodiit in *Legenda Neapolitana*, n. 7-8; supra, 248-50.

(3) Num. 1: ap. AF X, 272. (4) Num. 74; l. c. 370.

(5) *Leg. maior*, XV, 7. — In *Leg. minore* nihil de canonizatione idem dixit.

(6) De hac nota chronologica plura infra dicentur, III, num. 12-15.

(7) Cf. textum ap. BF I, 49; Waddingum, an. 1229, n. 1 (II², 215-6). Aliqua correximus iuxta exemplaria authentica, de quibus, III, num. 15.

nizationis exstitit. Talis bulla exordiens: *Mira circa nos divinae pietatis dignatio,* directa « *universis Christifidelibus ad quos litterae istae pervenerint* (1) », Perusii 19 iulii 1228 (2), i. e. tres dies post sollemnitatem ipsam emanavit. Triplo prolixior est quam bulla praevie memorata. In ea Gregorius IX, usus plerumque allegoriis biblicis (3), virtutes ac praeconia novi sancti celebrat, nullum tamen factum specificum totius vitae expresse recolens (4), nisi allegoricis illis dictionibus obvolutum. Quae caeterum infra recensemus, allegorias hic, ne prolixiores videamur, omittentes.

Franciscus (ait Papa) fructum maximum tulit; vir erat secundum cor Dei; plurimos convertit; « *sarcinam terrenae substantiae deposuit, illi se conformans* (5) *qui, cum dives esset, pro nobis factus est pauper* » [II Cor. 8, 9]. « *Carnem suam, quasi filiam unigenitam, quae ipsum interdum deceperat* (6), *cum Iephte Domino obtulit* » [Iudic. 11, 34ss.] et maceravit; vitia supplantavit. « *Gregem gemellis foetibus fecundatum* » [Cant. 4, 2], — i. e. Ordines suos — ad vitae pascua duxit; « *quasi stella matutina in medio nebulae* » etc. lucebat; [Eccli. 50, 6-7] (7); « *mundum suo circuibat imperio universum* (8) ». 'Hostem triplicem' superavit... « *multos praeveniens scientia praeditos scienter nescius et sapienter indoctus* ».

« *Sane licet eius vita tam sancta, tam strenua et praeclara sibi sufficeret* », ut triumphanti Ecclesiae iungeretur, « *quia tamen militans* [Ecclesia] *quae solummodo videt in facie* [I Reg. 16, 7], *non praesumit de iis qui de foro suo non sunt, auctoritate propria iudicare, ut illos pro vita tantum venerandos assumat* », ipse Deus « *tantam lucernam absconditam sub modio remanere non patiens* » [Matth. 5, 15]... *vitam eius sibi fuisse acceptam et ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam, multis et praeclaris miraculis declaravit* ».

« *Cum igitur gloriosae vitae ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, et de miraculorum coruscatione multiplici per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes... quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in caelis, habito fratrum nostrorum consilio et assensu, ipsum adscribi decrevimus sanctorum catalogo venerandum, statuentes, ut IV nonas octo-*

---

(1) Hanc directionem prae se fert in *Registris Vaticanis,* vol. 14, f. 80v. anno II, cap. 31; cf. L. Auvray, *Les registres de Grégoire IX,* I, Paris 1896, 130, n. 214. (2) Cf. plura infra, III, num. 16.

(3) Item in bulla de S. Dominico; cf. 485.

(4) Stigmata ne ullo quidem verbo recoluntur; cf. num. 10.

(5) Cf. Rom. 8, 29. — Sed vocis idea haud praetereunda est: cf. I Cel. 115, 119; *Leg. chori,* 10, l. 9.

(6) Cf. I Cel. 2, sed etiam ibid. 51-4, 97-8.

(7) Cf. concionem Gregorii IX, supra, 470; infra, 477 et 495.

(8) Cf. I Cel. 97, l. 9ss.

bris [4 oct.]... *ab universali Ecclesia natalitia eius devote ac sollemniter celebrentur* (1) ».

10. Postmodum in bulla: *Quo elongati a saeculo,* die 29 sept. 1230, dubia aliqua Regulae Minorum Fratrum exponens (2), Gregorius IX item dixit: « *Et cum ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, plenius noverimus intentionem ipsius* » etc.

Die 16 maii 1230 Ministris Fratrum O. Min. in comitiis generalibus constitutis scripsit in Bulla *Mirificans:*

« *Inter pressuras innumeras... consolationis et gaudii materiam resumentes, gratias et laudes referimus Redemptori, qui B. Franciscum, patrem nostrum et vestrum, forte autem magis nostrum quam omnium vestrum,... tanta nunc... clarificat gloria, quod praeter alias virtutes* (3) *magnificas nuper in Theutonia, ipsius sancti celebri nomine invocato, mortuum mirifice suscitavit, sicut nobis est sollemniter intimatum* (4) ».

Anno 1237, die 31 martii, in bulla *Usque ad terminos* Gregorius IX Olomucensem episcopum S. Francisci stigmata negantem vehementissime increpat, eiusque cavillationes refellit, inter alia dicens (5):

« *de stigmatibus vero plures fide dignissimi, quos miraculi tanti conscios divinae placuit reddere pietati, testimonium veritati perhibeant et ad ipsum hoc fidelis mater Ecclesia suffragetur, quae ex huiusmodi miraculo cum multis aliis, debita solemnitate probato, causam specialem habuit, quod eumdem sanctum Beatorum catalogo reverenter adscripsit* ». Ad cor igitur episcopus redeat, neque privilegio isti ultra detrectare praesumat « *firmiter crediturus, quod idem sanctus... stigmatibus exstitit insignitus et licet illa visa pluribus ipse tamquam contemnens laudes hominum... celare semper studuerit* (6), *ea tamen migrans ad paradisi patriam concurrentium obtuitu publicavit* (7) ».

Eodem die 31 martii 1237 idem Summus Pontifex eadem de stigmatibus tamquam praecipua canonizationis causa inculcavit in bulla: *Non minus dolentes* contra Fr. Eberhardum, O. P.

---

(1) Nihil ibi de indulgentia concessa. (2) BF I, 68.

(3) Vox hic homonyma est cum miraculis.

(4) BF I, 65. — De originali Assisii servato v. Alessandri-Pennacchi. *Bullarium pontificum... S. Conventus,* ap. AFH VIII, 595, n. 12 et 13 (edit. seorsim, 6). — Citabitur: *Bull. pont.* — Dein de translatione proxima S. Francisci dicens, pro hac conventuris et novam basilicam Sancti adituris usque ad 8 sept., si de ultra mare venerint tres annos, si Alpes transierint duos annos, caeteris unum annum largitur indulgentiarum. Qui vero in anniversario translationis et per eius octavam eo accesserint annum unum adipiscentur. — Haec quodammodo supplent indulgentias omissas in bulla canonizationis et in bulla *Sicut phialae.* Aliae indulgentiae concessae fuerant in bulla 29 april. 1228; v. infra, III, num. 4 et 10.

(5) BF I, 211-2. — De authentico Assisii exstante v. *Bull. pont.* 597, n. 28.

(6) Cf. I Cel. 95: II Cel. 135-9.

(7) I Cel. 112-4; III Cel. 5; *Elenchus testium* ap. AFH XIX, 931-36.

Hic Oppaviae (civitas est Moraviae) (1) « *de praedicante transiens in blasphemum, in communi dicere non expavit... quod in* » Francisci corpore stigmata non fuissent. Quare, si res ita se habuit, Fr. Eberhardus, suspensus a praedicationis officio, ad Papam mittatur, pro demeritis suis plectendus (2).

Item eodem die Gregorius IX bullam universis Christifidelibus misit exordientem: *Confessor Domini gloriosus B. Franciscus* (3).

In qua dixit se nolle sanctitatem huius, universis cognitam, celebrare, sed tantummodo « *grande et singulare miraculum* » sacrorum stigmatum, « *causam specialem* » canonizationis cum caeteris eiusdem miraculis (4).

Hoc in connexu memoranda venit visio quae ipsi Gregorio IX circa stigma lateris acciderat (5).

Hic « *antequam crucis signiferum catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quemdam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte quadam, sicut ipse felix antistes referebat cum lacrimis* », S. Franciscus ipsi in somnis apparens, eum redarguit, vulnus laterale ostendit, phialamque poposcit, ut scaturientem ex illo sanguinem in hanc reciperet. Quae sanguine repleta est. His visis, Papa nullo potuit pati modo, quod aliquis signa illa impugnaret, quin talem « *severa impugnatione feriret* ».

11. Neque valoris expers in re nostra est bulla ab Alexandro IV (1254-61) ad universos missa episcopos incipiens: *Benigna operatio* (6), die 19 octobris 1255.

Bulla canonizationis ibi compendiata, Alexander subdit quod Gregorius IX miracula S. Francisci « *sollertissimis inquisitionibus indagata et comperta fidelissimis documentis fecit ad laudem Dei ' et augmentum fidei et instructionem salubrem tam praesentium quam etiam futurorum ' (7) monumentis perpetuis commendare (8), eumdem confessorem*

(1) *Troppau*, non longe distat ob *Olomuce, Olmütz* in Moravia.

(2) BF I, 213.

(3) BF I, 214; sub 5 april. — Authenticum Assisii exstans est 31 martii et inscribitur: *Christifidelibus per Theutoniam constitutis;* ap. *Bull. pont.* n. 24.

(4) De alia bulla *Seraphim volabant* anni 1237 cf. Wadding, 1237, n. 4 (II, 429) et BF I, 214 nota d.

(5) Primum narratur a S. Bonaventura in *Leg. mai. Mirac.* I, 2. Deest in *Legendis* Celanensis.

(6) BF II, 85-7, e Waddingo, 1225, n. 9 (III, 377), ex *Firmam. trium Ord.* pt. II, f. 94 (ed. Venetis 1513). Haec cum bullis de stigmatibus editur etiam a Sat. Mencherini, *Codice diplom. della Verna e delle ss. stimate,* Firenze 1924, 21-3. — Variis diebus pluries haec bulla emanavit; cf. BF II, 87, nota a; Eubel, *Epitome,* n. 822. Originale Assisii datum est 19 oct. 1255; *Bull. pont.* n. 101.

(7) Haec verba in pluribus cum Prologo in *Miracula Legendae I* Celanensis (n. 127) consonant, quam hic iubente Gregorio IX scripserat.

(8) Ad dictam *Vitam I* Thomae Celanensis hic sat expresse alludit Alexander IV, uti iam innuerat Hyac. Sbaralea, BF II, 86 nota a, praesertim

sanctorum catalogo adscribendo, sicut in plurimis locis liquido per ipsius praedictas litteras apparet harum seriem explicite continentes (¹) ». — Tunc describit exaltatque sacra stigmata, prosequens: « *Sane... haec certius asserentes, indoctas fabulas seu vanae inventionis deliramenta non sequimur* (²), *cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus constituti confessoris eiusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam, praefati praedecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo* ». Omnes ideo stigmata celebrent, sacrilegosque contradictores castigent.

Nihil de se tamquam teste oculari profert idem Alexander IV in bulla: *Grande et singulare,* 10 iulii 1255, in qua stigmatum veritatem tantum adstruit (³). — In bulla autem: *Quia longum esset,* 28 iulii 1258, de se eadem fere ad verbum usque repetivit, quae 19 oct. 1255 asseruerat (⁴).

Subnotandum est Alexandrum IV e patre suo Philippo, comite Signiae, nepotem Gregorii IX fuisse. Antea Rainaldus dictus fuerat. Cardinalis diaconus S. Eustachii creatus a patruo suo mense septembris 1227, episcopus Ostiensis ab eodem promotus est an. 1234. Protector erat Ordinis Minorum, quod munus etiam, dum Papa erat, retinuit (⁵). Cum an. 1221 Hugolinus Cardinalis (postmodum Gregorius IX) legatione apostolica fungeretur in Lombardia, Rainaldus Papae subdiaconus erat et Hugolini capellanus (⁶), unde iam saltem tunc servitio patrui sui deputatus erat.

12. Nemini mirandum erit, quod illius aevi chronologi breviter tantum de sollemnitate 16 iulii 1228 peracta locuti sunt, nihil praecisi et minuti de ea nos docentes.

Richardus de S. Germano, rerum scriptor synchronus, notarius et legatus Friderici II imperatoris ac regis Siciliae (⁷), his factum istud sollemne memoravit:

---

quoniam neque in bulla canonizationis, neque in bulla *Sicut phialae* Miracula ulla explicite memorantur; cf. supra, 472s. — De Miraculo uno in sola bulla *Mirificans* v. item supra, 474. Cf. etiam iam notata ap. AF X, 104, nota 5.

(¹) In duabus bullis 9 et 19 iulii 1226 et duabus 31 mart. 1237; supra. 474s.

(²) II Petr. 1, 16.

(³) BF II, 169; Eubel, *Epitome,* n. 792a. Originale prostat Assisii: *Bull. pont.* n. 97.

(⁴) BF II, 358-60; Eubel, n. 1013.

(⁵) Cf. Eubel, *Hier.* I², 6-7; Salimbene, *Cronica,* 453-4 (232-3); Philippus Perusinus, *Catalogus Cardinalium Protectorum,* ap. AF III, 709-10.

(⁶) G. Levi, *Registri dei Card. Ugolino... e Ottaviano,* Roma 1890, 20. 23, 36, 46 eius nuntius ad Mediolanenses fuit; 50, 94, 99. Saltem ab an. 1227-31 camerarius ecclesiae Romanae erat; v. Albericus, *Chronica,* ap. MG SS XXIII, 920, 929.

(⁷) *Chronica regni Siciliae (1189-1243),* ed. Muratori, *Rer. Ital. Script.* VII, Mediolani 1725, 1006 et 1013: ed. ap. MG SS XIX, 350 et 355; ed. B. Gaudenzi, Neapoli 1888, 129 et 133.

« *Gregorius Papa mense iulii de Perusio vadit Ascisium, ubi fratrem Franciscum, Minorum Fratrum Ordinis inventorem, propter* duo [1] *quae fecerat* miracula *in aperto, in caeco videlicet uno et claudo, quibus visum et gressum reddiderat,* canonizavit; *et Perusium rediens, ibi anniversarium magnifice celebrat Innocentii Papae, praedecessoris sui* ». Haec sub anno 1228 Richardus adnotavit; sub anno vero 1229 scripsit: « *Mense iunii Gregorius Papa predictus fratrem Franciscum, innocentis vitae virum, qui institutor Ordinis fuit Fratrum Minorum, apud* Perusium *de Fratrum suorum consilio duxit sanctorum catalogo adscribendum, mandans ubique terrarum diem quo solo carnem et caelo spiritum reddidit, quarto scilicet nonas octobris annis singulis sollemniter excolendum* » [2].

Locus prior errore manifesto inficitur quoad duo miracula; in altero loco Richardus, Friderici II sectator, novo Sancto magis favere videtur. Hic autem aperte errat circa locum, annum atque mensem.

13. Auctor *Vitae Gregorii IX* coaevus, qui tantummodo circa annum 1240 opus suum scribebat [3], diem festi S. Francisci pro die canonizationis eiusdem posuit [4].

« *Tunc autem B. Franciscus in civitate Assisii quasi novum sidus in Ecclesiae firmamento* miraculorum *claritate fulgebat, quibus per diligentem inquisitionis indaginem ex veridica testium relatione probatis, sanctissimus Papa Gregorius de patrum consilio perrexit* Assisium, *ubi IV nonas octobris anno sui praesulatus II, cum venerabilium Cardinalium et praelatorum diverso collegio pretiosis ornatus, cum palmis et cereis de [pluribus] mundi partibus multitudine populi congregata, post* sermonis *profundi decursum cuius tale sumpsit exordium:* « Quasi stella [matutina] in medio nebulae et quasi sol lucens in diebus suis, sic iste effulsit in domo Domini », *post* miracula recitata *et prudenter* exposita, *praesul beatissimus, profusis lacrimis, B. Franciscum,* Crucifixi ministrum, *cuius corde ac corpore* stigmatum *portavit vestigia, decrevit in sanctorum catalogo adnotandum, ac* post triduum Perusium *est reversus* ».

Quodsi quispiam quaerat, num auctor iste e *Vita I* Celanensis hauserit, hoc nobis improbabile esse respondemus. Quoad sermonis Papae exordium ambo maxime consonant [5]; sed est textus Eccli. 50, 6-7 et quoad singula huius textus verba miro modo ambo discre-

---

(1) Immo propter plurima; v. supra, 471; infra, 497.

(2) Paucioribus de S. Antonio canonizato dixit (VII, 1029; XIX, 368 et 143), de S. Dominico silens.

(3) Cf. L. Lemmens, ap. AFH I, 71-2. Ibi (71) hic textus iam prodiit una cum altero loco (70) de Hugolini cum S. Francisci relationibus. Locos habes etiam ap. Lemmens, *Testimonia minora... de S. Franc.* Ad Claras Aquas 1926, 12-4.

(4) Ap. Muratori, l. c. III, I (1723), 576; item ed. P. Fabre, *Le Liber censuum*, II, Paris 1905, p. 21, n. 9.

(5) Cf. 470, 473, et 495.

pant, Celanensi textum accuratius referente quam *Vita Gregorii*. Ast insuper haec consonantia (sat relativa) eo minus in *Vita I* nititur, quia auctor *Vitae Gregorii* etiam tribus aliis occasionibus exordia sermonum a Papa habitorum nobis conservavit (1). Haec ergo omnia e MS°. Papae vel e quadam brevi relatione horum factorum hausit. Si *Vitam I* evolvisset, circa diem canonizationis sic graviter non errasset. Caetera vero dicta loci utriusque valde leves consonantias prae se ferunt.

14. E contra *Vitam I* de canonizatione breviando exscripsit Albertus Stadensis, inde ab an. 1232 abbas S. Mariae Stadensis O. S. B., deinde ab augusto anni 1240 Ordinis Fratrum Minorum (2). Post canonizationis formulam et *Te Deum* cantatum addit: « *Papa de solio descendit* (3) *et cum Cardinalibus sanctum corpus levavit de tumba* ». Quod omnino erronee dictum est. Nam iuxta Celanensem Papa tunc satis habuit « *tumbam* » Sancti osculari (v. supra I, num. 5). Error autem Alberti inde provenit, quod canonizationem et translationem (factam 25 maii 1230) insimul confudit. Quod ex altero loco Alberti (4) manifestatur de eodem Gregorio IX scribentis: « *Hic B. Franciscum canonizavit et in die B. Urbani Papae de tumulo levavit* ». Atqui festum B. Urbani 25 maii agitur, quo die an. 1230 S. Francisci quidem corpus translatum est, sed Gregorio IX absente (5).

Locus ille *Vitae I* item breviatus et exscriptus est a quodam Cisterciensi Anglo (6), qui etiam diem exactum celebritatis inde assumptum subiunxit.

15. Waddingus de canonizatione S. Francisci agens (7), dixit se pauca relaturum esse iuxta Marianum Florentinum, qui Thomam Celanensem exscripsisset. Adducit autem insuper (8) aliqua « *ex Opusculo hac de re MS.* » quod « *Iohannes de Florentia* » exaravit.

(1) Ap. Muratori, l. c. 576a: duo exordia; 580b initium sermonis in canonizatione S. Elisabeth (ex Eccli. 43, 2; cf. infra, 483) quam brevissime recolit. Alibi etiam, sed omissis sermonum initiis, canonizationes notavit S. Antonii Patavini et S. Dominici: 579a; cf. ap. Favre, II, p. 24, n. 16 et 17; p. 26, n. 22.

(2) *Chronicon ab orbe cond. usque ad an. 1256*, saepe editum; v. gr. ap. MG SS XVI, 360. Locum habes etiam ap. AF X, 101 nota 7.

(3) Haec verba assumpsit e *Vita I*, 126, 17.

(4) Cf. *Chronicon*, 290.

(5) Iulianus Spirensis, *Legenda S. Francisci*, n. 75-6; ap. AF X, 370-1.

(6) *Annales Waverleiensis monasterii an. 1-1291*, ed. H. R. Luard, *Annales monastici*, II, London 1865, 304. Locus adest etiam ap. MG SS XXVII, 455, ap. AF X, 101 nota 7 et ap. Potthast. *Regest.* n. 8240a. — Salimbene, *Cronica*, 36 (Parm. 8) factum paucioribus e *Leg. mai.* XV, 6 recoluit; item obiter Fr. Iordanus a Yano, *Chronica*, n. 54, ap. AF I, 16; ed. Boehmer, 48.

(7) *Annales*, an. 1228, n. 1 (II2, 175).

(8) Ibid. n. 5 (II, 177).

Hoc aiente, sollemnitas ista « *ultra omnes fuit maxima... I° ex insolitis caeremoniis, nam eo usque recitatis... in consistorio miraculis... absque tanto apparatu* » haec res peragebatur, « *II° ex tanta Pontificis dignatione, ut personaliter cum tota curia venerit ad hoc munus Assisium, atque ipse... sancti laudes dixerit... plurima recensens... quae viventem adhuc fecisse vidit aut cognovit ex arcta cum eo necessitudine* (1). *III° ex praesentia corporis ipsius sancti Patris, quod fortasse paucis aut nullis canonizatorum evenit. IV° ex plurima attestatione et conclamatione hominum, ipsorumque Cardinalium, qui... sanctum viderunt... stigmatizatum, probarunt. Ex his fidelissimus, omni exceptione maior testis fuit Raynaldus* (Cardinalis)... *Pontificis nepos... Francisco familiaris...* [qui] *et in viventis corpore stigmata perspexit, velut ipse iam... Alexander IV renunciatus, publica concione dixit ad populum* ».

Haec ex opusculo Iohannis Florentini, *De canonizatione S. Francisci,* ut illud alibi expresse vocavit (2), Waddingus excerpsit. — E dictis a Iohanne de Alexandro IV (1254-61) elucet eum non ante 1254 haec scripsisse (3), immo post an. 1263. Etenim hic mere exscripsit locum S. Bonaventurae, in *Leg. mai.* XIII, 8 (4), asserentis Alexandrum IV: « *cum populo praedicaret coram multis Fratribus et me ipso* » illa affirmasse. Caeterum hoc Alexander IV sollemnius protestatus erat in bullis suis an. 1255 et 1258 (5).

Immo Hyac. Sbaralea (6) hunc Ioh. Florentinum eumdem forte fuisse coniecit cum Fr. Iohanne de Marignollis a S. Laurentio Florentino, nuntio apostolico in Sinis (1338-45) ac dein episcopo Bisinianensi in Calabria (1354-59), plurium operum auctore. Opusculum de quo egimus et *Historia Ordinis* saeculo XVIII iam deperierant (7).

Quodsi liceat ex excerptis illius Opusculi a Waddingo servatis iudicium ferre, opinaremur opusculum fuisse simul theologicum, canonicum et historicum, ita tamen ut res factaque nova de canoniza-

---

(1) Haec, non specificate dicta, e I Cel. 125, quisque inducere poterat.

(2) Inter *Fontes* recensitos ante *Annales* (I², p. CXVI); ap. *Scriptores O. Min.* 206; 141²; 139⁴. Hic, nullo tempore neque saeculo indicato, dicitur: « Philosophus et Theologus non vulgaris, rerum antiquarum diligentissimus indagator, qui ultra opusculum laudatum contexuit etiam: « *Historiam sui Ordinis MS. in coenobio S. Crucis* », Florentiae. — Ubinam opusculum illud de S. Francisco tunc fuerit, Waddingus nos celavit, ommittens etiam addere sibi solitum: « Habeo penes me ». Putare licet Waddingum hoc opusculum indirecte e Mariano cognovisse. Cf. Marianus, *Compendium,* ap. AFH II, 100: « *cum sollemnitate maxima et insolitis caeremoniis* », uti supra Ioh. Florentinus.

(3) Nemo ergo opusculum hoc inter fontes *Vitae I* Celanensis computabit. *Historia Ordinis* quoque auctorem non primi temporis innuit.

(4) Cf. etiam ibid. *Mirac.* III, 4. (5) Supra, num. 11.

(6) *Supplem.* 436-7; I², 96-7. De eo v. nunc G. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliogr. d. T. S. e d. Oriente franc.* IV, Quaracchi 1923, 257-309. Cf. etiam B. Bughetti, ap. AFH XIX, 327 in nota. (7) *Suppl.* l. c.

tione non referret. Quae sane neque Marianus Florentinus neque Waddingus excerpere neglexissent.

Excerptis supra fatis Waddingus statim (1) subnexuit e Mariano (qui ea e *Vita I* assumpserat) Miracula in canonizatione perlecta et ad compendium redacta. Eorum stilum penitus mutavit, aliqua valde contraxit; attamen eadem omnino sunt quae Celanensis habet n. 127-150, eodemque in ordine proponuntur. Excipe (2) quod Miracula Celanensis n. 149, II et III apud Waddingum (n. 11) male in unum contracta sint, nescio utrum ex vitio seu errore Waddingi, an Mariani, an denique amanuensis qui codicem a Mariano adhibitum descripserat (3). Ex his iam liquet Mariano codicem *Vitae I* ad manus fuisse; sed excerpta ista aliaque apud Waddingum nihil pro textu recensendo commodi afferunt. utpote nimis retractata.

II. — **De aliis canonizationibus coaevis (1218-1240).**

1. Narratio de canonizatione S. Antonii Lusitani, communiter Patavini agnominati, Ord. Min., die 13 iunii 1231 defuncti et iam 30 maii 1232 inter Sanctos relati ea est, quae etiam quoad dicendi modum *Vitam I S. Francisci* plurimum imitatur (4).

Exstat in S. Antonii *Legenda prima* (5), cap. 27-29. « *Necdum post mortem sancti mense completo* », clerus ac cives Patavini ad sedem apostolicam nuntios, qui Antonium canonizandum proponerent, destinaverunt. Hi a Gregorio IX « *gratissime recepti sunt* » et Cardinalium coetu convocato, « *super... Paduanorum causa sollemnis celebratur collatio* » atque episcopo Patavino cum prioribus O. S. B. et O. P. a Papa « *miraculorum committitur examinatio* » (6). Sanatorum undique concurrentium testimonia in publicis scriptis rediguntur; nuntii clerici et nobiles « *secundo ac tertio* » ad Papam destinantur. Cardinales Oddo de Monteferrato et Iacobus de Pecoraria, O. Cist., tunc in Lombardia legati, Paduam adeuntes « *occulata fide* » litteris suis miracula testati sunt. Documentis acceptis, in curia « *convenitur rursum... in praesentia Papae*

(1) Ad an. 1228, n. 6-11 (II², 177-80). — Cf. etiam 497.

(2) Waddingus n. 6 puellam *Vitae I*, 127, *Assisiatem* facit ultra fontem; item puerum n. 130 « *comitatus Assisii* » facit et Fanensem n. 131 male *Faventinum* reddit; *Tucorano* scribit pro Cucorano (n. 134); dein in suo n. 10 « Bontadossum » *Picenum* agnominat (n. 142).

(3) Tunc Waddingus longe maximam partem Miraculorum *Legendae maioris* subiungit: n. 12-75 (II², 180-200).

(4) Ideo eam Thomae Celanensi auctori tribuit P. Ferd. Delorme, *La vie de S. Antoine par J. Rigaud*, Bordeaux 1899, p. III-XIV: qui postmodum ob similes rationes stili eamdem Fr. Thomae de Papia addixit; ap. *Dialogus de gestis sanct. Fratrum Minorum*, Ad Claras Aquas 1923, p. XXIX sqq.

(5) Quae exorditur: *Assidua fratrum postulatione;* ap. L. de Kerval. *S. Antonii de Padua Vitae duae*, Paris 1904, 75-82; succedunt *Miracula*, c. 30-47.

(6) Bulla haec non exstat. Sed idem dicitur in bulla II sub num. 4.

et Cardinalium... ac coacto demum concilio, Iohanni Sabinensi episcopo (1) *generalis miraculorum examinatio et examinatorum approbatio commendatur* (2) ». Iohannes celeriter « *se super dictis... penitus expedivit* ». — Ast « *Cardinales quidam... super tanta non tam praecipitanter agendum causa fore censebant* »; quorum tamen unus, visione sibi caelitus exhibita, mox causae promotor effectus est. Ideo miraculis iam a Sabinensi « *verificatis, approbatis ac... receptis, tota Cardinalium et praelatorum... universitas congregatur... et concordantibus in idipsum cunctis... Summus Pontifex... diem constituit* ».

2. « *Iam aderat dies tertius qui et tantae solemnitati fuerat praefixus. Adest Cardinalium sacra societas, convocantur episcopi, veniunt abbates... praelati concurrunt. Illic sacer cleri conventus, illic populorum multitudo paene innumerabilis* ».

« *Adstat proinde Summus Pontifex in magnificentia gloriae, sed et Cardinalium ac caeterorum ecclesiae principum... societas conglomeratur. Leguntur denique coram omni populo ex more miracula et extolluntur summa devotione ac reverentia beati patris Antonii merita gloriosa. Stans igitur pastor Ecclesiae... manus ad caelum protendit et, invocato nomine Trinitatis deificae, beatissimum patrem Antonium in catalogo sanctorum conscripsit ac festum eius die obitus sui celebrari constituit, ad laudem et gloriam Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, cui est honor...* »

3. Facta sunt haec Spoléti anno « *sub die Pentecostes* », i. e. 30 maii anni 1232. Nuntii vero Paduani domum properarunt, ubi iam in primo anniversario (13 iunii 1232) festum Sancti sui novelli celebrarunt. — Tunc cap. 30-46 subnectuntur « *miracula quae coram domino Gregorio Papa Nono, audiente universo populo, lecta sunt, succincte, praevia tamen veritate, ad excitandam fidelium devotionem* », uti et Celanensis in *Vita I*, n. 127-150 dixerat, item neglecta forma iuridica ipsius Processus.

4. Bulla sua *Litteras quas*, data Spoleti et directa « *episcopo, potestati et populo Paduano* » die 1 iunii 1232, significavit, se nuntios supplicationesque Patavinorum suscepisse et ob miracula ad Antonii sepulcrum coruscantia eumdem in albo Sanctorum adscripsisse; quare Patavini Sedi apostolicae firmiter inhaereant (3). — Eodem 1 iunii 1232 bulla canonizationis emanavit: *Cum dicat dominus*, ad universae Ecclesiae praelatos directa (4). Ad canonizationem « *duo sunt necessaria* »

(1) Nota hic et infra in laudata *Legenda* nonnisi de miraculis sermonem fieri, non vero de vitae sanctitate. (2) Est Iohannes Halgrin, O. Clun.; v. Eubel, I, 38. (3) B. Gonzati, *La basilica di S. Antonio*, I, Padova 1852, doc. p. VI s.; BF I, 79; Eubel, *Epitome*, n. 81; Potthast, n. 8937.

(4) Auvray, *Registres*, I, 497, n. 795; Eubel, n. 82; Potthast, n. 8938. — Sub 3 iunii 1232 editur ap. *Bull. Rom.* III, 464-6 et Waddingum, II, 285-7; sub 23 iunii 1232 ap. BF I, 79-81. Hunc diem prae se fert quoque originale Assisii servatum; *Bull. pont.* n. 16. Huic assutum est foliolum pergamenum, in quo tres orationes Missae ab amanuensi bullae scriptae sunt (cf. III, num. 4), a Papa ideo ordinatae. Alia originalia habent 13 iunii, alia 16 iunii 1232; cf. BF I, 81 nota b.

ait Papa, « *virtus morum et veritas signorum... ut haec et illa sibi ad invicem contestentur* », quia Deus ita « *ex meritis praecedentibus et signis subsequentibus exhibet venerandum* » aliquem, iuxta Marci 16, 30. Quare tribus viris insignibus « *receptionem testium de miraculis eiusdem Sancti duximus committendam. Nuper autem tam per relationem* » istorum « *quam per depositiones testium... de ipsius virtutibus* (1) *et miraculorum insigniis* (2) *certiores effecti, et experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitae et admirabilem conversationem ipsius, utpote qui apud nos fuit aliquando laudabiliter conversatus...* (3) *de fratrum nostrorum consilio et praelatorum omnium tunc apud sedem apostolicam exsistentium, catalogo sanctorum duximus adscribendum... mandantes, quatenus... festivitatem ipsius idibus iunii* [13 iunii] *annis singulis celebretis* ». Quo die et per octavam sepulcrum eius visitaturi « *annum unum* » indulgentiae lucrabuntur.

5. Elisabeth, filia Andreae II regis Hungariae, coniux Ludovici IV landgravii Thuringiae, Marpurgi e vivis excessit 19 nov. 1231: sanctis accensita est Perusii 27 maii 1235. — Hac de sollemnitate synchronus nobis proditus est: *Processus et Ordo canonizationis beatae Elisabeth propter quorumdam detractiones et calumnias* (4).

Cuius tenorem quam brevissime referimus. Famulae Dei Elisabeth fama longe lateque ob miracula insignia percrebrescente, Gregorius IX episcopum Hildeshemensem ac duos abbates 11 oct. 1234 iussit Marpurgi « *super vita eiusdem sub debita forma... et super miraculis examen instituere* (5).

Hic « *Processui* » intercalamus, Gregorium IX iam 13 oct. 1232 archiepiscopo Maguntino et Conrado Marpurgensi iniunxisse, ut super miraculis S. Elisabeth testes reciperent, quibus die sequenti adiunxit etiam abbatem Eberbacensem (6), eis tunc mandans, ut in « *vitam et conversationem... necnon miracula* » testibus advocatis inquirerent. In bulla illa 11 oct. 1234 relationem horum commissariorum Papa sibi per

(1) Has, iuxta contextum, didicerat e relatione trium commissariorum: de propria sua experientia Papa statim dicet. Relatio illa non exstat: neque apparet auctorem *Legendae I* eam usurpasse. Difficillimum ergo dictu est, quoadusque Relatio sese extenderit. — Cf. infra, III, 8.

(2) Haec auctor *Legendae I* adhibuit; num. 3.

(3) Nullum aliud vitae S. Antonii factum Pontifex in bulla commemorat. Cf. *Leg. I*, c. 10.

(4) Ed. Alb. Huyskens, ap. *Histor. Jahrbuch*, 28 (1907), 840-4 et inde seorsum ap. *Quellenstudien zur Geschichte der hl. Elisabeth*, Marburg 1908, 142-6.

(5) Sic *Processus*, 840, respective, 142. Bulla edita etiam est ap. BF I, 138-9; cf. Potthast, n. 9721; Eubel, n. 147.

(6) Item ap. BF I, 85-7 (Potthast, n. 9014-6; Eubel, n. 88). Adiecit ei formulam de examine « *super vita, conversatione ac miraculis* » agendo (ll. cc.). — Cf. alias eiusmodi Formas interrogatorii, inter se conformes ap. BF I, 607; II, 109.

sollemnes nuntios transmitti iussit; si vero non iam ad manus haec exstaret, aliam inquisitionem institui voluit (¹).

« *Processus* » allegatus tunc pergit, referens episcopum Hildeshemensem collegasque suos diligenter et « *legaliter* » testes examinasse omniaque exactissime conscripsisse, sigillis suis consignasse atque per « *sollempnes nuntios* » ad Gregorium IX destinavisse. Insuper plures episcopi et nobiles litteris suis sanctitatem ac miracula Elisabeth attestantes et extollentes Papae supplicaverunt, ut Elisabeth inter Sanctas colendas attoleret. « *Omnibus... non perfunctorie transitis, sed circumspecto scrutinio ad unguem elimatis* » sanctitas landgraviae patenter inclaruit. « *Publicatis itaque in consistorio attestationibus* » coram Papa, patriarchis Antiocheno et Hierosolymitano, Cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, innumeris clericis et religiosis « *concordi iudicio decretum est* », ut Elisabeth sanctarum catalogo adnotaretur.

6. « *Sacra autem die Pentecostes* [27 maii 1235]... *Gregorius cum omnibus praelatis antedictis et cum multis fidelium milibus sollemni processione ordinata cum tubis... domum adiit Fratrum Praedicatorum* », ubi Fr. Conradus, quondam landgravius, tunc Ord. Teut., « *ingentes ac sollemnes candelas Papae omnibusque praelatis ac religiosis... totique multitudini cereos* » porrexit (²). — « *Lectis itaque et expositis populo tam de vita quam de miraculis omnibus ad rem facientibus, prout oportuit, a diacono Cardinale... communi omnium applausu... lacrimarum flumine... cum sollemni decantatione hymni angelici... sollemniter canonizata est illa benedicta inter mulieres beata Elisabeth... celebritate anniversaria suae migrationis communiter omnibus indicta, officioque Missarum instituto cum... collecta, secreta et complenda, quas dominus Papa ipse dictator eo die in Missa promulgavit* (³) ».

« *Frater Conradus circiter trecentos religiosos ad prandium invitavit, multis coenobiis... eremitis, reclusis sororibusque domesticae paupertatis et ordinis B. Francisci* (⁴), *in pane et vino et piscibus et lacticiniis sufficienter eo die ministrabat. Insuper multis milibus pauperum necessaria in pane, carnibus, vino et denariis sub titulo domus Teutonicorum... largissime tribuebat* ».

7. Die 1 iunii 1235 Gregorius IX bullam canonizationis S. Elisabeth: *Gloriosus in maiestate* (⁵) ad universos Ecclesiae praelatos direxit, in qua vitam Sanctae et virtutum ipsius praeconia narrando exponit et miracula plura brevibus recenset, ob quae rite examinata

(¹) Utriusque commissionis relationes v. ap. Huyskens, *Quellenstudien*, 155-239, 243-66, forma publica testimoniorum sat servata; item l. c. 112-40 et Huyskens, *Der sog. Libellus de dictis quatuor ancillarum S. Elisabeth confectus*, Kempten und München 1911, 1-86.

(²) Ex parte Ordinis militum Teutonicorum, uti apparet.

(³) Ea habes ap. Huyskens, *Quellenstudien*, 845, resp. 147. Cf. infra, 491. De sermone Papae v. 478, n. 1. (⁴) Proculdubio Clarissarum.

(⁵) BF I, 162-4; *Bull. Rom.* III, 489-91; Potthast, n. 9229. Die 7 iunii ad Beatricem Castellae et Legionis reginam, patria Germanam, specialem ac diffusam de virtutibus S. Elisabeth bullam misit; BF I, 164-7; Potthast, n. 9933.

eam inter Sanctas retulit, consentientibus Cardinalibus ac episcopis in curia praesentibus, mandans eiusdem festum annuum die 19 novembris celebrari atque « *unum annum et XL dies* » indulgentiarum sepulturam Sanctae in die festi et per octavam adituris elargiens.

8. S. Dominicus, Ordinis Fratrum Praedicatorum fundator inclitus, Bononiae caelestia petivit regna, die 6 augusti 1221, sed nonnisi circiter 13 annos postea tandem inter Sanctorum agmina sollemniter est relatus a Gregorio IX. Hic an. 1221, secundo Cardinalis legatus in Lombardia (1), sancto defuncto, « *praesens advenit, quippe qui valde familiariter eum noverat et multo dilexerat amoris affectu... eiusque sepulturae per semetipsum explevit officium* (2). Adiuncta minuta canonizationis S. Dominici Legendae huius non retulerunt (3).

Eo plura relata fuerunt de iis quae inde ab anno 1233 ineunte cacanonizationis occasionem parabant et praebebant (4). Inter haec referenda breviter veniunt industria Fr. Iordani de Saxonia, primi post S. Dominicum Magistri generalis O. P. (1222-37), zelus Fr. Iohannis de Vincentia O. P., famosi concionatoris (5), atque translatio corporis S. Dominici 24 maii 1233, occasione capituli generalis Fratrum Praedicatorum.

Die 13 iulii 1233 bulla *Visibilium*, Gregorius IX commissariis mandavit, ut in Dominici « *vitam et conversationem... necnon miracula... per testes idoneos* » inquirerent, haec in scriptis redigerent atque Romam transmitterent (6). Hi tres commissarii 6-17 augusti 1233 novem Fr. Praedicatores Bononiae testes de virtutibus S. Dominici plerumque referentes auscultarunt (7); dein 19 eiusdem mensis subcommis-

(1) Qua de re cf. auctores laudatos ap. AF X, 55 nota 13 et ap. AFH XX, 494.

(2) Haec scripsit Iordanus de Saxonia, O. P., *De initiis Ordinis seu Vita S. Dominici*, n. 58, ap. eiusdem *Opera*, ed. J.-J. Berthier, Friburgi Helv. 1891. 30; ap. AA SS Aug. I, 551.

(3) Cf. Petrus Ferrandi, *Vita S. Dominici*, ap. *Anal. Bolland.* 30 (1911), 79: Theodoricus de Apoldia, *Leg. S. Dominici*, ap. AA SS cit. 605, 620. De Stephano de Salanhaco, v. infra, 485.

(4) Cf. Altaner, *Der hl. Dominikus*, Breslau 1922, 210-28 [cf. AFH XIX. 262 ss.]; H. Chr. Scheeben, *Der heil. Dominikus*, Freiburg i. Br. 1927, 392-407.

(5) Quomodo de hoc suo zelo gloriatus sit. Fr. Salimbene memoriae prodidit; *Cronica* ap. MG SS 32, 79 (ed. Parm. 39): « *Ego exaltavi Dominicum vestrum* etc. ». — Theodoricus de Apoldia, *Leg. S. Dom.* l. c. 618, n. 349-50, refert eumdem Fr. Iohannem ante 24 maii 1233, cum quodam Fratre Minore anonymo pactum spopondisse, ut qui prior obiisset, alteri appareret. Quod Minori obtigit. Cui sibi apparenti: « *Fr. Iohannes: Quis te, inquit, coram Domino praesentavit? At ille: Sanctus, ait, Franciscus obtulit me Domino, sicut et S. Dominicus offert Fratres suos* ».

(6) Ap. *Bullar. Ord. Praedicat.* [BOP], I, Romae 1729, 57-8; ed. Vinc. Ligiez, *Regesta Roman. Pontif.* ap. *Analecta O. P.* [AOP], IV (1899-1900), 116-7: v. Potthast, n. 9259; Balme et Collomb, *Cartulaire de S. Dominique*, III, Paris 1901, 478s.

(7) Est sic dictus *Processus Bononiensis*, ap. Quetif-Echard, *Script. Ord. Praed.* I, Parisiis 1719, 44-6: ap. AA SS cit. 628-40; ed. In. Taurisano, *Fontes selecti vitae S. Dominici*, ap. AOP XV, I (1921), 341-72 (inde seorsum ed. Romae 1922. 9-33).

sarios constituerunt Tolosae (1), qui in illis partibus *« super vita et conversatione et miraculis »* simile examen perficerent (2).

9. Bulla canonizationis (3): *Fons sapientiae* emanavit Reate 3 iulii 1234, ad universos directa praelatos. In ea Gregorius IX locum Zach. 1, 8, de quatuor quadrigis allegorice expandit (4), dein aliqua facta vitae Sancti, eius virtutes et miracula recolit subdens: *« Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitae testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides, nos... ipsum de fratrum nostrorum consilio et assensu ac omnium tunc apud sedem apostolicam consistentium praelatorum, catalogo sanctorum adscribi decrevimus »*, statuentes ut non die obitus VI, sed V augusti eius natalitia celebrentur. Eius sepulturam invisuris *« unum annum »* poenitentiae Papa relaxat.

Sollemnitas acta est Reate. — Stephanus de Salanhaco, O. P. (obiit 1291) refert (5): Gregorius IX *« cum de ipso* [Dominico] *canonizando... tractaretur, adeo parum de ipsius sanctitate dubitare se dixit, sicut de sanctitate Petri et Pauli »*. Stephanus hic variasse videtur dictum iam a Iordano relatum (6). — Miracula a Gregorio IX approbata et in canonizatione *« perlecta et exposita* (7) *»* universim 20 numerantur (8).

10. Speciali memoria dignus est S. Virgilius, archiepiscopus Salisburgensis (9). Hic iam an. 784 obierat, sed post ipsius corporis inventionem factam an. 1181, novis miraculis coruscare coepit. Inter praesules « imperiales », quorum studio post luctam gravissimam

---

(1) Balme et Collomb, III, 481-2.

(2) Est sic dictus *Processus Tolosanus*, cuius summarium solum exstat, scilicet dictorum a 26 testibus (non ex Ordine Fr. Praed.). In fine relationis *« ultra 300 nomina »* dicta eadem confirmantium posita erant; ed. Quetif-Echard, I, 56-8; AA SS 641-3; ed. Taurisano, l. c. 372-6 (33-7). Cf. de his plura ap. Altaner, 23-38.

(3) Ap. BOP I, 67-8; Ligiez, l. c. IV, 253-5, num. 428; *Bull. Rom.* III, 483-4; v. Potthast, n. 9485. — Haec bulla saepissime emanavit (v. Ligiez, l. c. in nota et n. 431, 433). Ideo et propter textuum variationes collector *Bull. O. P.* I, 68, an. 1729 statuerat de ea dissertationem specialem exarare. Quod tamen numquam effecit. — Cf. infra, III, num. 8, 15, 16.

(4) Quadriga I iuxta eum sunt martyres; II S. Benedictus suique monachi; III Cisterciensis et Florensis [Ioachim abbatis] Ordines; IV *« Praedicatorum et Minorum Fratrum agmina »*.

(5) Ed. ap. Altaner, *Dominikus*, 248.

(6) *Epist. de translatione S. Dominici*, ap. Berthier, 45, n. 5.

(7) L. c. 45, n. 6.

(8) Ea recensuit Iordanus, *Vita*, n. 65; ibid. p. 37-40; item P. Ferrandi, n. 52-62, l. 1-10. Eadem sunt sed alio in ordine disposita. Subsequentia alterius generis sunt.

(9) Cf. *Bibliotheca hagiogr. lat.* [BHL], n. 8680-6. *Legenda* ipsius circa an. 1182 tantum scripta est. — Cf. III, num. 8 (p. 500, nota 1).

inter Fridericum II et Gregorium IX tandem 23 iulii 1330 apud S. Germanum ad concordiam ventum est, quando etiam Pontifex et Imperator convenerunt in unum, aderat etiam Eberhardus, archiepiscopus Salisburgensis (1). Qua occasione hic Gregorio IX sibi colloquenti memoriam intulit miraculorum Virgilii; unde Papa iam 13 sept. 1330 aliquibus praelatis mandavit, ut de miraculis S. Virgilii inquirerent (2). Hoc examen miraculorum etiam Cardinalibus probatum canonizationis bullam provocavit 18 iunii 1233 (3), incipientem: *Sicut phialae aureae,* ad universos Christifideles directam. Huius bullae exordium cum illo bullae 9 iulii 1228 de S. Francisco datae verbotenus consonat, videlicet usque verba: *Sane cum* (4). Expositio examinis miraculorum recentium tunc facti pro rei natura, differt, sed inde textus denuo cum fata bulla collimat atque deinceps cum bulla *Mira;* addita est indulgentia 40 dierum.

11. Non ipse Gregorius IX sed huius praedecessor Honorius III (1216-27) sollemniter in Sanctorum collegium extulit die 17 maii 1218 S. Guillelmum archiepiscopum Bituricensem, qui ad superna emigraverat 10 ian. 1209. Fuerat canonicus, eremita, tunc O. Cist. prior ac Abbas, archiepiscopus electus 23 nov. 1200 (5). Ordo eius canonizationis ad manus est.

Honorius III die 17 ian. 1217 tres viros de eius « *vita et conversatione... necnon et miraculis* » inquisitionem instruere iussit (6) atque 17 maii 1218 eumdem canoni sanctorum adscripsit (7): « *miraculis*... (transmissis)... *examinatis per quosdam de fratribus nostris... ea demum in pleno consistorio fecimus solemniter recitari... et de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem, necnon archiepiscopis et episcopis tunc exsistentibus apud sedem Apostolicam* » eum Sanctum declaravit festumque « *in die depositionis* » recolendum indixit (8).

---

(1) *Regesta imperii,* V, n. 1790sqq.; Auvray, *Registres,* I, n. 410-31; E. Winkelmann, *Kaiser Friedrich II,* II, Leipzig 1897, 165sqq.; K. Hampe, *Acta pacis ad S. Germanum,* Berolini 1926, 38sqq.

(2) Sic Gregorius IX ipse in bulla citata; ap. Raynaldum, an. 1230, n. 26; Potthast, n. 8601. Testes qui de vita Sancti testificari possent, tunc certo deerant.

(3) Cf. Potthast, n. 9238; Auvray, I, n. 1414. Omisso exordio ap. Raynaldum, an. 1333, n. 55; integra ap. M. Hansizium, *Germania sacra,* II, Augustae Vindel. 1729, 335.

(4) Ap. BF I, 49, l. 1-11. Cf. supra, 472.

(5) Cf. de eo AA SS Ian. I, 628-38, et praesertim *Anal. Boll.* III (1884), 271-361; BHL, n. 8900-5.

(6) Bulla ed. ap. *Bull. Roman.* III, 311-2; cf. Potthast, n. 5416; Pressutti, *Regesta Honorii III,* I, Romae 1888, 43, n. 240.

(7) *Bull. Rom.* III, 340-2; Potthast, n. 4803-5; Pressutti, I, n. 1343-5.

(8) In bulla nihil de indulgentia concessa.

12. In vita huius sancti coaeva narratur (1) examinatores testimonia collecta Papae tradidisse, qui ea « *apertione facta, coram fratribus distincte fecit legi* »; post aliquot dies « *statuit... brevem diem, in quo de consilio fratrum... in ipso negotio, Domino annuente, procederet* ». Res maturata est novo tunc in curia interveniente miraculo seu visione cuiusdam decani Bohemi. Cardinalium « *consilium fuit, ut omnes episcopi et archiepiscopi, qui praesentes erant Romae vocarentur, quatenus cum maiore sollemnitate et maturitate consilii statueretur, quidquid statuendum esse censerent. Quibus accitis... dum* (Guillelmi) *miracula legerentur* » episcopus « Pragenus » fatam visionem decani narravit, qui tunc accersitus, ipse visionem referre debuit. Inde omnes lacrimas spargunt commoti. Papa ab universis petiit, an Guillelmum canonizandum esse censerent. Quibus assentientibus, Papa « *surgens cum illo sanctissimo comitatu suo recessit a loco, ad alium locum spatiosum et ampliorem se transferens, in quo super arduis negotiis definitivam solitus erat proferre sententiam* (2). *Cumque sedisset in sede maiestatis sue, congregata multitudine cleri et populi, indicto silentio, inquisitorum litteras et ea, quae super miraculis beati viri confecta fuerant scripta, iterum produci in medium atque iterum in pleno iussit consistorio sollemniter recitari* ». Tunc refertur oratio a Papa habita, quae tamen, prima sententia excepta, nihil aliud est quam extractum ex ipsa canonizationis bulla supra allegata (3). Dein « *sublevatis oculis et ad sidera manus attollens ... laudes Domini inchoavit, circumstante clero exsultantibus animis decantante et easdem cum magni clamoris iubilo finaliter prosequente* ».

13. Hugo episcopus Lincolniensis (4), natione Gallus, prius Ord. Canon. Reg., tunc O. Cart., episcopus electus 1186, obiit 16 nov. 1200.

Honorius III bulla sua 27 aprilis 1219 tres praelatos ablegavit qui vitam eius ac miracula « ante et post mortem » indagarent (5), atque 17 febr. 1220 Sanctorum albo eumdem accensitum esse edixit, festumque ipsius quotannis celebrandum statuit (6), « *miraculis et virtutibus... ad Papam relatis et in auditorio sanctae Romanae ecclesiae sollemniter recitatis* (7) », cum assensu Cardinalium aliorumque.

14. Willelmus, canonicus regularis Parisiis, postea abbas in Eskilsoe (alias ad Paracletum) in Dania (8), ex hac vita migravit 6 april. 1203; Sanctis accensitus est an. 1224.

(1) Ap. *Anal. Boll.* III, 350-6. Narrator factis interfuisse apparet: cf. l. c. 272-3. (2) In aulam consistorialem, uti bulla habet.

(3) *Anal. Boll.* III, 355-6; correspondet locis ap. *Bull. Rom.* 340b-341a. lin. 26 et 341b, l. 29-44. Hoc editorem ap. *Anal. Boll.* fugit.

(4) Cf. BHL n. 4018-30; P. L. 153, 913sqq.

(5) *Bull. Rom.* III, 359sq.; Potthast, n. 6053; Pressutti, I, n. 2040.

(6) *Bull. Rom.* III, 367; bulla brevissima est; Potthast, n. 6195; Pressutti, I, n. 2334. Nil in ea de indulgentiis concessis, neque in sequenti (488, nota 3).

(7) Sic refert caput « de canonizatione » ap. *Catal. codic. hagiogr. bibl. Bruxell.* I (1886), 190.

(8) Cf. BHL n. 8908; P. L. 209, 593sqq. Postea translatus est in Ebelholt.

Honorius III die 28 maii 1218 tribus prelatis « *tam de vita quam de miraculis diligentius veritatem* » inquirere imperavit (1). De his « *per Gregorium, S. Theodori diaconum Cardinalem, qui legationis officium in partibus illis exercuit* (2), *certiores effecti* (ait Papa in bulla 21 ian. 1224)... *ipsum de fratrum nostrorum et multorum praelatorum... canonizavimus consilio* (3) ».

15. Iam diu, 8 iunii 1154, caelestia petiverat Willelmus archiepiscopus Eboracensis (4), cum an. 1226 in Sanctorum canone appositus est.

Honorius III bulla 5 april. 1223 tres viros ecclesiasticos Anglos designavit, qui « *tam de vita quam de miraculis Sancti* » perquirerent veritatem (5). Qui de his « *cum nobis... plene ac plane fideliter retulissent* », inquit Papa in bulla 18 martii 1226, in qua etiam aliqua miracula maiora refert (6), « *ipsum de communi fratrum nostrorum et aliorum praelatorum... consilio, adscripsimus vel potius adscriptum denuntiavimus sanctorum catalogo confessorum* ». Festum eius colendum statuit, in quo ad ecclesiam Eboracensem conventuris 40 dies indultiarum elargitur.

16. Paulo antea, 11 decembris 1225, Reate Honorius III eosdem caelitum honores tribuendos decreverat (7) Laurentio, quondam episcopo Dublinensi (8), qui caelitum sedes petiverat 14 nov. 1181, apud ecclesiam S. Mariae de Augo [modernis *Eu*] dioeceseos Rothomagensis [*Rouen* in Gallia]; iter agens, ibi casu morbo extremo correptus erat.

Papa Laurentii vitam adumbrat et aliqua miracula commemorat. Recolit quoque se archiepiscopo, decano et thesaurario Rothomagensibus iniunxisse, ut « *super vita et miraculis* » eiusdem inquirerent. Quoniam vero inquisitores illis in partibus de vita illius « certificari nequibant » duobus aliis in Hibernia hoc munus commiserunt (9), qui id sunt executi. His permotus, Honorius III B. Laurentium *catalogo sanctorum adscripsit* (10) festivitatemque eius diei 18 nov. affixit, in qua et

(1) *Bull. Rom.* III, 343-4; Potthast, n. 5822; Pressutti, I, n. 1386.

(2) Annis 1221-23; H. Zimmermann, *Die päpstliche Legation in der ersten Hälfte des 13. Jahrhunderts*, Paderborn 1913, 78.

(3) *Bull. Rom.* III, 399-401; Potthast, n. 1746; Pressutti, II, 4702.

(4) BHL n. 8909-13; AA SS Iun. II, 136-7.

(5) *Bull. Rom.* III, 386-7; Potthast, n. 6980; Pressutti, II, 4282.

(6) Silet de nova examinatione Romae instituta. *Bull. Rom.* III, 418-20; Potthast, n. 77; Pressutti, II, 5867.

(7) *Bull. Rom.* III, 413-5; Potthast, n. 7505; Pressutti, II, 5749.

(8) BHL n. 4743-8. Eius vita ap. *Catal. hagiogr. codic. lat. Bibl. Nat. Paris.* III (1893), 236-48.

(9) Cf. dicta de Processu S. Dominici; II, num. 8.

(10) Nihil de solito consensu Cardinalium exprimitur, quem tamen Laurentii *Vita*, l. c. 248, exprimit.

per octavam sepulcrum Sancti visitaturis « 20 dies » largitur indulgentiae. Canonizatio facta est, postquam Papa « *de B. Laurentio brevem sermonem faciens, testimonia de eo in audientia omnium iterum legi praecepit* ». Quae legit Nicolaus Cardinalis « *sicut ipse* [ea] *per totam fere noctem laborando exceperat et fecerat adnotari* ». Sic ergo « *signis et praeconiis B. Laurentii in publicum recitatis, cum exsultatione mirabili et divinis laudibus in ecclesia cathedrali B. Mariae Reatinae civitatis* (1) » haec evenerunt.

17. Res aliter processit an. 1222 circa S. Robertum Molismensem dictum, Ordinis Cisterciensis fundatorem, qui iam ante saeculum obierat, an. 1110 (2).

Sui Ordinis abbatibus instantibus (3), Honorius III, 25 ian. 1221, duobus episcopis et abbati Cluniacensi iniunxit, « *quatenus tam de vita quam de miraculis* » olim et tunc impetratis sollicite perquirerent (4). Qui examinatores brevem catalogum miraculorum recentium ad Pontificem destinarunt (5), addentes: « *Caeterum vita ipsius Sanctitati V. per nuntios ecclesiae Molismensis porrigetur in scriptis, quae satis ostendit ipsum multis meritis claruisse* (6) ». Quibus Honorius III in bulla 8 ian. 1222 respondit (7): Inquisitores praefati « *licet nobis quaedam miracula, quae post mortem fecerat* [Robertus] *intimarint, de his tamen, quae in vita fecisse dicitur, fidem plenariam non fecerunt* (8); *nos... concedimus vobis, ut eum tamquam sanctum in vestra ecclesia* [scilicet Molismensi sola] *venerantes... imploretis* ». — Attamen capitulum generale Cisterciensium anni eiusdem 1222 statuit (9): « *De B. Roberto primo abbate Cistercii fiat festum 15 kal. maii cum XII lectionibus sicut de B. Hieronymo, et una missa fiat sicut de B. Benedicto* ».

18. Neque exitum formalem tunc habuisse videtur ' de vita et de miraculis ' B. Hugonis abbatis Bonaevallis [*Bonneraux*] 1 aprilis 1194

(1) Sic *Vita* cit. 248. — Plura referuntur in tractatulo *Canonizatio S. Laurentii*, ap. F. Pommeraye, *S. Rotomagensis ecclesiae concilia*, Rotomagi 1677, 213-5 et ap. Bessin, *Concilia Rotomagensis prov.*, ibid. 1717, pt. II, 47, unde aliqua adducit Benedictus XIV, *De beatif.* I, 36, 15.

(2) Cf. BHL n. 7265-7; AA SS April. III, 676-85; P. L. 157, 1269-91.

(3) Cf. etiam *Statuta Capitulorum gen. Ord. Cist.* ap. Martene-Durand, *Thesaurus novus anecdot.* IV, Parisiis 1717, 1329, n. 28; anno 1220.

(4) Bulla legitur ap. AA SS l. c. 684 et ap. P. L. 157, 1288s.; Potthast, n. 6527; Pressutti, I, n. 3031.

(5) AA SS 684-5; P. L. 1289-92.

(6) Ll. cc. n. 29; cf. etiam ibid. n. 30.

(7) Ll. cc. n. 30 et ap. *Bull. Rom.* III, 383; Potthast, n. 6758.

(8) Id est *Vitae* illius testimonium iuridice invalidum censuit. — Cf. econtra notata de S. Virgilio, num. 10.

(9) Martene-Durand, l. c. IV, 1333, n. 10. Non apparet qua auctoritate sic egerit vel cultum concessum ampliaverit Capitulum generale. Manrique, *Cisterc. Annales*, IV, 215, addit vagius, id quod primo processui deerat, tunc suppletum fuisse.

defuncti (1) inquisitio, quam Honorius III a duobus episcopis peragi mandaverat in bulla 2 dec. 1221 (2).

Idem dicendum de inquisitione circa 'vitam et miracula' Iohannis, quondam prioris S. Mariae de Gualdo, in dioecesi Beneventana recens defuncti, quam Honorius III commiserat duobus episcopis suffraganeis Beneventi et abbati cuidam eiusdem archiepiscopatus 3 iunii 1218 (3).

Effectu item caruit processus de « *vita et miraculis* » S. Mauritii. O. Cist., abbatis Carnoetensis in Britannia Armorica, an. 1191 defuncti (4). Honorius III inquisitionem demandaverat duobus praelatis Armoricis, 2 dec. 1221, eam vero approbare renuit, quia testes non singillatim sed turmatim examinati fuerant, quare novam fieri praecepit, 1 sept. 1225 (5). De huius exitu nihil constat; cultus vero S. Mauritio iam tunc exhibitus in hodiernum usque diem perdurat.

Item propter formae iuridicae deficientiam Gregorius IX, 6 maii 1237, processum de vita et signis S. Hildegardis, olim abbatissae prope Bingiam († 1179), an. 1233 factum vi bullae 27 ian. 1228, non probavit novumque institui iussit, uti et Innocentius IV an. 1243, quin devoti Hildegardis canonizationem assequerentur (6).

Demum inquisitio de 'vita et miraculis' B. Odonis Novariensis, Ord. Carthusiani, Taliacotii [*Tagliacozzo* in Aprutio] saeculo XIII ineunte demortui (7), quam Gregorius IX, 10 decembris 1239 abbati de Turano et « Fr. Petro, Custodi Fratrum Minorum Marsicano » commisit (8), item effectu caruit, licet ipsius festum Taliacotii celebraretur (9). Cultum immemorabilem B. Odoni praestitum Sancta Sedes tandem confirmavit 31 martii 1859 (10).

19. Extra periodum chronologicam nobis praefixam spatiari, non evagari, licebit pro S. Clara S. Francisci discipula, quia eius processus canonizationis ad legentium manus est (11). Clara Assisii 11 augusti 1253 ad Christum sponsum evolavit (12); Sanctarum canoni accensita est Ananiae mense augusto 1255.

Iam 18 octobris 1253 (13) Innocentius IV episcopo Spoletano praecepit in bulla elogiis Clarae plena, « *quatenus de vita, conversione et*

(1) BHL n. 4006a; P. L. 212, 1078-81; AA SS April. I, 47.
(2) *Bull. Rom.* III, 381-2; Potthast, n. 6724; Pressutti, II, 3592.
(3) *Bull. Rom.* III, 344: Potthast, n. 5830; Pressutti, I, n. 1405.
(4) BHL 5765-6.
(5) Decretal. II, tit. 20, c. 52; Potthast, n. 6728 et 7469; Pressutti, II, 3640.
(6) BHL 3927-33; *Anal. Boll.* II, 116-29; Potthast, 10329.
(7) Processus anni 1240 editus est ap. *Anal. Boll.* I (1882), 324-53: cf. AFH XXI, 189.
(8) L. c. 324-5: ap. BF I, 273-4; Potthast, n. 10828.
(9) *An. Boll.* 354. (10) L. c. 323.
(11) Ed. Zeph. Lazzeri ap. AFH XIII, 403-507.
(12) Cf. *Legenda S. Clarae,* ap. AA SS Aug. II, 754-67; ed. Pennacchi, Assisi 1910, 66.
(13) Assisium ante 12 dies Papa reliquerat; cf. 491, nota, 9.

conversatione ipsius ac de praedictis miraculis », i. e. praesertim de iis quae *« post cursum et transitum »* ipsius fiebant, inquisitionem instrueret (1). Quod mandatum episcopus (partim) executus est a 24 usque ad 29 novembris 1253 (2), 15 Clarissarum S. Damiani et 4 civium Assisiensium testimonia auscultans. Quae sanctitatem Clarae et miracula a viva Sancta perpetrata recolunt atque unum miraculum post transitum eius factum (3). Inde recte conclusum est (4) Processum istum integrum non exhiberi in MS. eumque postea aliis plurimis miraculis auctum fuisse (5).

Notes Innocentium IV Claram bene cognovisse, nam ipsam ultimo morbo tabescentem cum Cardinalibus visitavit, absolvit et benedixit (6), tunc eius exsequiis interfuit Cardinalibus circumdatus ac *« officium (7) de virginibus, non de mortuis, fieri debere proloquitur: ut prius eam canonizare videretur quam corpus esset traditum sepulturae »*. Sed Raynaldo Cardinali Ostiensi obiciente: *« morosius in his fore agendum, missa de mortuis celebratur »*, post quam idem Cardinalis Clarae texuit elogia. Deinde funus e S. Damiano in ecclesiam S. Georgii — uti an. 1226 corpus S. Francisci — elatum est (8).

Innocentius IV, die 7 dec. 1254 defunctus, processum non absolvit (9), sed Cardinalis ille Raynaldus, eius successor electus 12 dec. 1254, Alexander IV nuncupatus est. In bulla canonizationis prolixa (10) Papa Clarae virtutes enumerat, plura facta specifica adducit, tunc miracula in vita et post obitum facta recenset, dein brevissime dicens: *« quia de sanctitate vitae ac miraculis eius diligenti et attenta inquisi-*

(1) L. c. 439-41 et BF I, 684-5; Pasch. Robinson ap. AFH I, 418, n. 5: de originali. (2) Cf. Lazzeri, l. c. 405-6.

(3) L. c. 430 et 493. (4) L. c. 411.

(5) Non tamen induci quit (Pennacchi, l. c. 81), ne hypothetice quidem (Lazzeri, 405-6), miraculum *Legendae* n. 51 (al. 61) Perusino illi accidisse post 15 iunii 1254, quo die in strage Fulginatibus illata plurimi horum perierunt et Fulgineum 'expugnatum' fuit. Nam Perusinus ille in '*quadam concertatione*' seu pugna vulneratus est. Bellum vero illud Perusinorum aliorumque Guelforum adversus Fulginates Ghibellinos iam mense sept. 1253 exarserat et tantum mense aug. 1254 pax conclusa est: v. Faloci, *Fragmenta Fulginatis historiae 1198-1341*, ap. *Archivio storico per le Marche e l' Umbria*, II (1885), 338.

(6) L. c. 457, n. 23 et *Legenda S. Clarae*, ap. AA SS l. c. n. 48-9; ed. Pennacchi, n. 41-2. (7) *Legenda* cit. n. 54; respect. 47.

(8) Ibid. n. 55; resp. 48.

(9) Nonnihil habet admirationis, quod Innocentius IV qui a 27 aprilis usque 6 octobris 1253 Assisii resederat, dein inde Romam profectus atque hinc Assisium reversus est 29 aprilis usque 31 maii 1254 (Potthast, n. 14951ss.), in oppido isto processum non absolvit, ut Claram ad ipsius sepulcrum canonizaret. Hoc praesertim, quia 7 martii 1253 Perusii S. Petrum Martyrem O. P. et Assisii, 17 sept. 1253, S. Stanislaum Cracoviensem episcopum canonizavit (l. c. 14903, 15137).

(10) Diversis diebus emanavit seu repetita est; BF I. 81-4: « 19 oct. alias 26 sept. 1255 »; (Eubel, *Epitome*, n. 821; Potthast, n. 16025, 16069); eam ed. etiam Lazzeri, l. c. 501-7; ap. *Bull. Rom.* III. 620-4; ap. Pennacchi, l. c. 108-18.

tione ac examinatione distincta et solemni discussione praemissis, liquido constitit, licet alias etiam et in propinquis et in remotis partibus satis essent praecognita lucide eius acta: nos de communi » Cardinalium et praelatorum consilio eam in catalogum inseruimus Sanctarum. Festum eius II° idus augusti [1] sollemniter celebrari praecipit atque ad sepulcrum ipsius eo die et per octavam accessuris unum annum et 40 dies indulgentiae elargitur.

20. *Legenda S. Clarae* haec aliquatenus diffusius narrat [2]. Fama virtutum Clarae latius insonante signorumque turba incitante, Papa de canonizatione cum Cardinalibus tractatum habuit circa « *examinanda miracula, vitae quoque magnalia discutienda* ». Quae vera et sincera inventa sunt. Coetu Cardinalium, episcoporum cleri et religiosorum, « *sapientum quoque et potentum* » circumstante, Papae negotium proponit in medium omnesque annuunt. « *Instante vero die migrationis eius ad Dominum* [11 augusti], *duobus annis ab ipsius transitu revolutis* », multitudine praelatorum convocata, « *sermone praemisso* », Alexander IV « *cum celebritate permaxima* » eam Sanctam edixit, festumque « *in tota Ecclesia* » instituit « *atque ipse primus cum tota curia sollemnissime celebravit* ». Acta sunt haec Ananiae « *in ecclesia maiori* » an. 1255. — Alexander Papa canonizavit sanctam Claram « *et fecit collectas eius et hymnos* » obiter notavit Fr. Salimbene [3].

Quia Alexander IV die dominica 8 augusti 1255 ecclesiae cathedralis cryptam Ananiae consecraverat [4] et dies 12 augusti tunc in feriam V incidit, e *Legenda* inferri potest canonizationem S. Clarae actam esse diebus 9, 10, 11 vel ipso 12 augusti [5]. Subiungimus Alexandrum IV eo tempore Ananiae commoratum esse; inde Romam abiit [6].

III. — **In quaedam canonizationis S. Francisci adiuncta commentarius.**

Omnibus notitiis praevie collectis rite et aeque aestimatis, nemo infitiabitur sollemnitatem apparatumque canonizationis S. Francisci aliis tunc temporis celebratis praestitisse ac praecelluisse. Neve ullus asserat hoc ita esse, aut nobis saltem ita apparere, ideo quia Fr. Thomae

(1) Id est 12 aug., non die emortuali, 11 augusti.

(2) Modo longe minus vivido ac breviore quam Thomas canonizationem S. Francisci; num. 72. — De auctore *Legendae* quaestionem hic non movemus.

(3) *Cronica*, MG 453 (232); alibi, 316 (144-5) de Missa S. Clarae tunc a Papa celebrata loquitur.

(4) Ananiae curia residebat a 7 iunii usque ad 4 nov. 1255; Potthast. n. 15896sqq. Eam lites ab Urbe arcebant: Gregorovius, *Storia della città di Roma*, II (1900), l. 9, c. 7, pag. 840 sgg., 850. — De consecratione cryptae, v. Moroni, *Dizionario di erud. storico-eccl.* II (1840), 32; Pennacchi, 94.

(5) Pennacchi, 93, pro 12 augusti opinatur. Mirum quod bulla diu postea emanavit, praesertim si iam in cancellaria Innocentii IV exarata erat. uti coniecit Lazzeri, l. c. 499-501. (6) Potthast, n. 15896-16080.

Celanensis huius festivitatis descriptio paene depicta aliis vividior atque minutior sit (v. supra, I, num. 1-5). Hoc etenim plene ac libenter concesso, plura nihilominus celebritatis istius adiuncta aliis adeo praeeminebant, ut istam canonizationem reliquis revera sollemniorem redderent [1].

1. Curia Romana huius rei peragendae causa Perusio Assisium advenit, « felici pompa » oppidum ingreditur. Venitur ad ecclesiam S. Georgii. Cardinales, praelati, clerici concurrunt; religiosi, S. Francisci Fratres, sui inquam Minores, discipuli, asseclae etiam e dissitis, opinamur, Umbriae domibus conglomerantur, populorumque « paene innumerabilis multitudo », qui sanctum virum non ita pridem cognoverant, viderant, amaverant. « Accurritur undique », ait Celanensis.

Circumdatus a Cardinalibus ac praesulibus sacrarum vestium fulgore micantibus « praedicat primitus » Papa Gregorius, sanctum Patrem eiusque vitae puritatem collaudat. Sermone Papae completo, Octavianus Cardinalis miracula coram omnibus legit. Haec tunc Cardinalis Raynerius alia in concione edisserit. Lacrimarum sparguntur profluvia. Exinde Papa canonizationis formulam tripudianti turbae pronuntiat. « Te Deum », terra immensas resonante voces, decantatur; canuntur etiam alia « cantica nova ».

Descendit de solio felix Papa, « sanctuarium » intrat, « vota » offert ac « sacrificia », tumbamque novelli Sancti osculatur, precatur prope eam, celebratque mysteria sacra. — Tandem ritibus omnibus sollemnissime expletis, solvitur conventus immensus ac iubilans.

Totus iste apparatus Assisii die 16 iulii 1228 rutilans similes festivitates eo aevo celebratas proculdubio superavit, si eumdem diiudicas non ex narrandi ubertate Celanensis, sed si singula festi huius inspicias adiuncta. Immo dicere licet, Celanensem singula istius celebritatis momenta adeo accurate descripsisse, quia sibi conscius erat eamdem proprio ac praecipuo splendore emicuisse.

Consideres, quaeso, curiae adventum, turbam maximam et magnificam, sermonem Papae Sanctum vix non plurimis adstantibus notum collaudantis, lectionem miraculorum, quae saltem aliquos turbae praesentis directe vel indirecte tangebant, concionem Cardinalis Raynerii, vota oblata a Papa ad tumbam, Missae celebrationem, praesentiam denique corporis Sancti adeo tunc exaltati.

2. Lectio miraculorum « *ex more* » tunc fiebat, (v. supra, II, n. 2, 3, 6, 11, 12, 16), item semper formulae canonizationis enuntiatio; de-

(1) Canonizationem describentes nonnisi Celanensem compendiare solebant: v. g. Franc. Ant. Benoffi, *Della traslazione e sepolcro di S. Francesco*, ap. *Miscell. Franc.* [MF], 21 (1920), 16-7; Bonav. Bartolomasi, *Sul felice transito* etc., ibid. 18 (1917), 53-55; [Nic. Papini], *Notizie sicure della morte, sepoltura, canoniz. e trasl. di S. Franc.*, II ed., Fuligno 1824, 38-48: etc.

cantabatur « Te Deum » in fine (II, 6, 12). Cardinalium praelatorumque candidata praesentia vario in numero (II, 3, 6, 12) semper aderat; populorum multitudo, spectaculi cernendi cupida, numquam non accurrebat (II, 2, 6, 12); festum novi Sancti celebrandum indicebatur (II, 2, 6, etc.). « Merita gloriosa » seu vitae sanctitas post miraculorum lectionem extollebantur, velut saltem aliquoties traditum est (II, 2, 6, 16, 20). Sermo quidam praemissus (II, 2, 6, 16, 20) (1) seu allocutio quaedam Papae interdum memoratur (II, 12) atque Papa Missam de Sancto aliquando eo ipso die celebrasse narratur (II, 6: v. etiam II, 20). Ne in ecclesia quidem canonizatio semper celebrabatur (uti habes expresse II, 6 (2), 16, 20) sed in aula maiore seu consistorio palatii papalis (II, 11, 12) sive in « *auditorio ecclesiae Romanae* » (II, 13).

Omnia ista in canonizatione S. Francisci (3) rite ac sollemnissime peracta et celebrata sunt, ultra illa quae mox recensuimus, omniaque apparatu festivissimo evolvebantur (4).

3. Non excipiendam esse putamus Missam de ipso S. Francisco die illa a Papa celebratam (5), licet Celanensis hanc non expresse memoraverit. Missam hanc, non alterius sancti neque mysterii cuiuscumque Gregorius IX tunc primus celebravit; cultus enim novo Sancto ab illo momento exhibendus praecipue Missae officium comprehendebat. Probabilius igitur etiam Missa, saltem tres orationes, inter « *cantica nova* » die 16 iulii 1228 in S. Francisci honore decantata (I, 4) computandae sunt; sed rem plane asserere non audemus, licet ita certo egerit Gregorius IX pro S. Antonio et S. Elisabeth atque Alexander IV pro S. Clara (II, 4, 6, 20).

---

(1) Interdum non liquet, quisnam sermonem habuerit: II, 2, 20.

(2) Supponimus etiam SS. Antonium et Dominicum in ecclesia cathedrali canonizatos esse, hunc Spoleti, illum Reate quamvis hoc non expresse enuntietur: cf. II, num. 3, 9.

(3) Neque theologice neque canonistice hic nobis de Canonizatione agendum est. Utroque sub respectu de ea amplissime egit Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, 7 voll., Prati 1839-43. Pro moderna hac in re disciplina v. C. I. C can. 1999-2141 et v. gr. *Canonisation* ap. *Diction. de théol. cath.* II (1910), 1626-59.

(4) De ritu canonizationis tunc observato nihil certi traditum est; Cf. Benedictus XIV, *De beatif.* II, 36 et I, 20, ubi plura exscribit e Caeremoniali vel Ordine Cardinalis Iacobi Caietani de Stephanescis († 1341): ed. Mabillon, *Museum italicum*, II, Paris. 1724, 412-3, 418-21.

(5) Hanc a Papa tunc celebratam esse negaverat Benedictus XIV, *De beatif.* l. I, c. 36 n. 23, deceptus ab Alb. Krantzio († 1517), cuius locum ibi refert ex eiusdem *Metropoli seu historia de ecclesiis*, VII, 45 et *Saxonia*, VIII, 4. Sed Krantzius ibi solummodo Albertum Stadensem exscripsit, qui ipse Celanensem incomplete exscripserat. Cf. supra, 178; infra, num. 17.

Notandum est tres orationes antiquissimas (1) Missae S. Francisci tum in *Missali Franciscano* antiquissimo (2), mox post an. 1232 conscripto, tum in aliis Missalibus pluribus saeculi XIII reperiri (3):

Collecta: *Deus, qui ecclesiam tuam b. Francisci meritis ...*

Secreta: *Munera tibi, Domine, dicata ... purifica.*

Postcommunio: *Ecclesiam tuam, Domine, quaesumus ....*

Postmodum saeculo XIII decurrente duae Missae propriae S. Francisco compositae sunt (4): Introitus prioris erat: *Os iusti,* alterius vero: *Gaudeamus omnes.* Sed his adde Missam tertiam eodem forte saeculo XIII iam vulgatam, cuius Introitus erat: *Dilectus Deo et hominibus* (5).

Sermonis a Gregorio IX tunc recitati exordium sive thema etiam in bulla canonizationis adhibitum est ab eodem (I, 3, 12). Unde concludere licet, etiam alias res in sollemni illa concione a Papa peroratas in fatam bullam transsumptas esse (6).

4. Dictum « *cantantur cantica nova* » penitus biblicum est; cf. Ps. 32, 3, 95, 1; 97, 1, ita ut ex eo vix secure induci possit, tunc iam hoc vel illud canticum, hymnum vel prosam in S. Francisci honorem composita fuisse. Ast probabilius hoc opinari licet, quia Gregorius IX auctor est hymni *Proles de caelo prodiit,* prosae *Caput draconis ultimum* et responsorii VIII tertii nocturni S. Francisci *De paupertatis horreo* (7).

Cardinalis Raynerius, qui in canonizatione miracula Sancti edisseruerat (v. supra, I, 3) auctor est hymni ad Laudes S. Francisci: *Plaude, turba paupercula* et forte etiam antiphonae rhythmicae *Caelorum candor splenduit,* olim infra octavam festi decantatae (8). — Thomas Capuanus, Cardinalis S. Sabinae, hymnos *Decus morum, dux Minorum* et *In caelesti collegio* (9) cecinit atque verisimiliter Prosam *Laetabundus Francisco decantet clerus* (10). Quoniam Thomas, « pulchrior dictator de curia » (11) pontificia, tunc in curia certo ade-

(1) Cf. El. Bruning, *De vroegere Mis-Formulieren op de feesten van S. Franciscus,* ap. *Collectanea Franc. Neerlandica,* s'Hertogenbosch 1927, 89.

(2) Est Codex Vatic. lat. *3547,* f. 130r-v. Cf. l. c.

(3) Cf. etiam Bruning, ap. AFH XX, 42-3.

(4) Iuxta Bruning, *Mis-Formulieren,* 20-1.

(5) De hac alibi dicetur.

(6) Vide simile quid notatum in II, 12.

(7) Salimbene, *Cronica,* ap. MG 383 (Parm. 194). Cf. de eis Chevalier, *Repertorium hymnol.* n. 13411, 2625, 36589. — Eidem Gregorio IX posteriores scriptores tribuerunt etiam antiphonam per octavam S. Francisci adhuc recitatam: *Sancte Francisce, propera.* Mox post Sancti transitum idem cecinerat antiphonam *Plange, turba paupercula,* de qua diximus supra, 396-400.

(8) *Repert. hymnol.* n. 15058 et 3590.

(9) Salimbene, l. c.; *Rep. hymnol.* 4310, 8514. Hymnus ille adhuc cantatur in secundis Vesperis, hic in Matutinis S. Francisci.

(10) *Rep. hymnol.* n. 10025.

(11) Sic dicitur a Salimbene, l. c.

rat [1], vix dubitamus, quin 16 iulii 1228 etiam ipse Assisii fuerit et quin aliquod saltem horum carminum pro festivitate illa iam panxerit. — « Cantica nova », licet quaenam ex allegatis fuerint, ignoramus, festivitati Assisiensi splendoris aliquid et ipsa addiderunt.

Contra plurimas (v. II, 4, 7, 9, 10, 15, 16, 19) alias bullas canonizationum, non autem contra omnes (v. II, 11, 13, 14), neutra bulla de S. Francisco tunc publicata (v. infra, num. 12-16) quidquam de indulgentiis concessis continet. Has consulto omissas esse arbitramur, ideo ne oblationes pro nova ecclesia Sancti construenda, indulgentiis iam 29 aprilis 1228 ditatae (v. num. 10), detrimenti quidpiam inde paterentur. Quae indulgentiae occasione translationis sacri corporis in novam basilicam bulla *Mirificans* adauctae sunt (v. I, num. 10).

5. Cum Gregorius IX anno 1228 primum Assisium deveniret, ubi saltem a 26 maii usque ad 10 iunii residebat, i. e. duas hebdomadas, « *fit interea de sancti canonizatione sollemnis collatio* » a Papa cum cardinalibus ad id convocatis (v. supra, I, 2). A S. Francisco apud Deum intercedente sanati « *concurrunt undique* ». Miracula « *approbantur, verificantur, audiuntur, recipiuntur* ». Equidem nemo ordinem processus brevioribus verbis exprimere posset!

Ex his verbis liquere videtur sanatos tunc, Papa iubente convocatos fuisse, solaque miracula rite conscripta esse atque a Papa et Cardinalibus 'recepta'. Nullum diploma pontificium nos quidquam docet de eo viro sive de iis praelatis, qui sanatorum depositiones exciperent [2]; neque scimus, utrum iam ante 26 maii tale mandatum prodierit. Poterat paulo antea emanasse; poterat etiam tunc emanare statim dicto die vel uno e sequentibus; a 26 maii enim usque ad 10 diem iunii satis supererat temporis sanatos convocandi et attestantes audiendi. Quod munus praelato cuidam ipsius curiae pontificiae fortasse concreditum est [3].

Quodsi quis obtrudat, verba illa formam praesentis historici habere, vi cuius praeterita narrantur tamquam praesentia, animadvertimus hoc ita quidem sese habere. Immo addimus praesens historicum in tota hac narratione seu in tota hac parte III sive « opusculo

(1) Subscripsit enim bullas 22 maii, 28 iunii et 19 iulii 1228 etc.: Potthast, n. 8213, 8222, 8241; cf. ibi I, p. 938.

(2) Talia mandata pro aliis processibus data, v. supra, II, num. 1. 4. 5. 8, 10, 11-12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19. — Franc. M. Angeli, *Collis paradisi*, Montefalisco 1701, I, 3, dixit Papam totius Umbriae episcopis Miraculorum S. Francisci inquisitionem commississe, qui Relationes suas Romam misissent, quare Papa Roma Assisium profectus esset. Hoc assertum iam confutatur narratione Celanensis, supra, I, n. 1-2.

(3) Conicere fas est etiam Fratres Minores Sancti tumbam Assisii non neglexisse atque aliqua Miracula propter futuram canonizationem scriptis tradidisse; cf. supra, 23-4.

tertio » *Vitae I*, n. 119-126, absolute praevalere. — Attamen forma perfecti pro rebus iam transactis ibidem aptissime aliquoties adhibetur, v. gr. n. 119, l. 4-8, 16-9, 23-6; n. 120, 13-6; n. 121, 6, 10-1; n. 122, 9; n. 126, 5, 23-4.

6. Quoad temporis spatium necessarium ac utile sanatis accersendis, depositionibusque auscultandis atque scripto tradendis, animadvertas 40 Miraculorum in canonizatione S. Francisci praelectorum ([1]) saltem tertiam partem, scilicet 14, expresse Assisii impetratam esse, insuper 13 alibi in Umbria, 6 in proxima Marchia Anconitana, unum Aretii in Tuscia, denique 11 memorari, omisso locorum sive regionum denominatione. Quin haec pleraque intra Umbriae fines contigerint, non ambigimus. — Universa ista miracula post S. Francisci transitum impetrata sunt.

Primum miraculum iam 4 octobris 1226 impetratum est « *sub arca in qua... sancti reconditum iacebat corpus* » (I Cel. n. 127). Alia « *ad tumulum* » Sancti successerunt (129, 132, 134, IX; 136, III) sive ad eius « *sepulcrum* » (130, 133, 134, VIII; 136, I, V, VI; 149, III) seu ad eius « *tumbam* » (134, VIII; 137) ([2]). — Alibi in Umbria successerunt 13 Miracula (128, 135, 136, IV; 138, 139, 141, VII, VIII, X; 142, XI; 144, 147-8, 149, III; 150, V).

Unus miraculose sanatorum erat Assisiensis (136, V); duo Hispellates (136, II; 144); duo Fulginates (129, 137); quatuor Eugubini (132, 134, II; 136, IV; 142, XI); una e castro Cucurano (134, VIII); quinque Narnienses (135, 136, VI; 138, 141, VII et VIII) unus e comitatu Narniensi (128), unus e castro Graecii (150, V), duo Tudertini (139, 141, X), unus de oppidulo Montenigro (133), alter ex episcopatu Perusino (149, III), item unus e Castro Plebis (147-8).

His 33 Umbris addantur Tuscus puer Aretinus (140, IV) atque sex e Marchia Anconitana, nempe Frater Minor (anonymus, tacito etiam loco, 145), tres Fanenses (131, 141, IX; 146, II), Acto de S. Severino (146, I), demum mulier Camerinensis, uno oculo caeca, sed sanata attactu panni « *quem B. Franciscus tetigerat* » (136, III). — Accedunt undecim sanati alii, quorum patria penitus tacetur (127, 130, 136, I; 140 II, III, V; 141, VI; 142, XII; 143, 149, II; 150, IV). — Varios insuper daemoniacos adde, quos sanitati et rationi redditos fuisse Fr. Thomas obiter dixit, renuens plura de his referre (138). — Singulas Miraculorum sive sanationum species, si talia noscere desideres, singulorum capitulorum tituli in *Vita I* te facile edocebunt.

Si tot omissiones nominum sanatorum oppidorumque unde isti fuerint, consideraveris in *Vita I*, tibi apparebit quantum Fr. Thomas formam iuridicam testimoniorum seu depositionum hic ex industria negle-

([1]) Iuxta I Cel. 127; v. supra, 470.

([2]) Cf. etiam I Cel. 145: « *in quo corpus... quiescebat* » ad quod pergere aegro non licuit; 149: « *in quo beatus pater Franciscus requiescit* »; hic aegrotus eo perrexit. Notes variationem temporis verborum; cf. etiam supra. 180.

xerit, longe magis sollicitus attestationes illas iuridicas iuxta regulas prosae numerosae retractare, quam minutias earumdem posteritati tradere. — Ipsa festivitatis diuturnitas Cardinalem Octavianum miracula in canonizatione populo legentem necessario breviloquum fecit, breviorem quam ut Celanensis eius recitationem usurpare potuisset. — Forma iuridicae inquisitionis in haec miracula tunc Assisii scriptis tradita iam diu deperuisse videtur. Ne Marianus quidem Florentinus, qui processum S. Clarae cognoverat, eorumdem notitiam quampiam habuit. neque Iohannes ille Florentinus, qui Mariano antiquior fuit, ea utcumque cognovisse apparet (supra, I, 15).

7. Summus Pontifex denuo Perusii « *super hanc causam* » in sua camera Cardinales congregavit (v. supra, I, 2). « *Concordant... omnes. Miracula legunt... summisque praeconiis vitam beati patris et conversationem extollunt* ». « *Non indiget* », *inquiunt*, « *miraculorum attestatione sanctissimi vita sanctissima quam oculis nostri vidimus* » etc. Iamque dies constituitur canonizationis celebrandae. In qua sollemnitate ipse Gregorius IX « *nuntiat praeconia Dei, Sanctum... collaudat... conversationis eius recolens... puritatem..* » (v. supra, I, 3).

Papae et Cardinalium loquendi modus, post miracula coram ipsis denuo lecta et probata atque post vitam Sancti ab ipsis summe laudatam, aperte innuit Francisci « *vitam sanctissimam* » sibimetipsis adeo plene notam esse, ut miraculorum testimoniis omnino non indigeret (1). Ita locuti hisce innuunt, ob vitam virtuosam sibi apprime cognitam, se iam ipsa miracula superflua esse iudicare. Vitae vero perfectae S. Francisci cognitionem indubiam e propria suamet experientia hauriebant et habebant talia dicentes, Papa nimirum et Cardinales (2).

Quidquid reapse fuerit, iuxta narrationem Celanensis tunc neque Perusii examinatio ulla vitae conversationisve sanctae facta esse refertur neque innuitur.

Textus bullae canonizationis idem quoque insinuat: *Cum igitur gloriosae vitae ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent* » atque de miraculis per testes constiterit, inquit ibi Papa (v. supra, I, 9). — Examen vitae minus patenter excipitur in bulla

(1) Quam stricte necessaria pro hoc negotio perficiendo Miracula fuerint atque sint, te docent bullae citatae, I, 8, 9; II, 4, 5, 9-19 atque Benedictus XIV. *De beatif.* I, cc. 14, 30, 33, 44; IV, p. I, c. 5 etc.

(2) Concedimus Fr. Thomam conventui Cardinalium Perusino non interfuisse. Ast summarium consessus sententiarumque ibi dictarum optime scire potuit. Memineris *Vitam I*, Gregorio IX iubente, scriptam et ab eo probatam esse: v. Prolog. n. 1: n. 151 in nota.

praevia *Sicut phialae,* in qua tamen etiam experientia personalis Papae et miracula prius memorantur atque dein vagius virtutes Francisci recoluntur.

Singulis ergo momentis adiunctisque narrationis Fr. Thomae consideratis, eiusmodi examinatio sive inquisitio iuridica et formalis vitae seu virtutum S. Francisci prudenter in dubium vocari potest. Praesertim effatum unanime Perusii denuo convenientium Papae et Cardinalium aperte innuit ac profitetur omnes inquisitionem de vita et virtutibus superfluam aestimavisse, quippe qui rerum istarum conscii testesque oculati essent.

8. Sed hic aliqua cum ratione nobis obverti posset, eumdem Gregorium IX etiam de familiaritate sua cum SS. Antonio et Dominico in horum bullis canonizationis locutum esse.

Sane et hunc illum ideo locum supra exscripsimus (II, 4 et 9), eosque legentes statim notabunt (immo iam notaverunt) in illa bulla S. Antonii non proprie familiaritatem Papae cum ipso recoli. In bulla autem canonizationis S. Dominici (1234) locus iste minus plene sonat: « *Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitae testimonio constitissent* ». Quae vocabula partim verbotenus repetita sunt e bulla canonizationis S. Francisci; secunda autem particula minus ampla est, nam deest adverbium *plene*. — Inter tres praedictas bullas gradatio intercedit manifesta, ita ut in bulla de S. Francisco summus gradus attingatur. — Hinc nil habet mirandum, quod Gregorius IX an. 1233 tam de vita quam de miraculis Dominici inquiri iussit (supra, II, 8). Quod ita factum esse cognovimus (ibid.). — Neque praetereundum est, auctorem *Legendae I* S. Antonii, qui stilum Celanensis *Vitae I* S. Francisci imitatus est (v. 480), nullum effatum, simile illi Perusii an. 1228 dicto, Cardinalibus an. 1232 attribuisse.

Ea quae (ultra locum Iordani de Saxonia, supra, 484, allatum) *Legendae S. Dominici* de huius cum Cardinale Hugolino 'familiaritate' referunt, pauca sunt vel parum certa (1). — Etiam in Processu Bononiensi, ad Hugolinum i. e. Gregorium IX destinando, admodum pauca his de relationibus dicuntur; cf. n. 12 (alias II, 1): « *Romae... saepe veniebat ad* » Hugolinum; n. 35 (alias VI, 1): ecclesia S. Nicolai Bononiae Praedicatoribus tradita est « *ad preces D. Hugolini... legati* », scil. an. 1219. — His accedit *Vita II S. Francisci,* n. 148-9. — Familiaritas certe maior inter Hugolinum et Franciscum, qui eum instituti sui Protectorem constituerat vel impetraverat, vigebat; cf. I Cel. Prolog. 1, 2; 20, praesertim 73-5 et 99-101; 121-6; II Cel. 25, 58, 63, 73, 148-9; III Cel. 48 (2).

---

(1) Cf. Scheeben, *Der hl. Dominikus,* 181: res dubia; 211, 224, 225: iuxta Processum Bonon. II, 1; 353-4: incertum iuxta Iordanum, *Vita,* p. 18 et iuxta P. Ferrandi, n. 33-4; 329: ubi Scheeben non admittit Hugolinum partem habuisse in unione sanctimonialium Romae a S. Dominico facta.

(2) Cf. etiam supra, 477, nota 3.

Et de S. Antonio et de S. Dominico inquisitio informativa aliis prorsus in locorum circumstantiis acta est relate ad curiam Romanam, cuius praesulibus, imprimis Summi Pontificis erat sanctos novos caelitibus canonice accensere. Inquisitio utraque in longinquis partibus instituta est, Patavii de uno, Bononiae et Tolosae de altero. Si relate ad S. Antonium Papae maior familiaritas cum S. Dominico fuerat, relate et ad S. Antonium et ad S. Franciscum maius temporis spatium inter processum et mortem S. Dominici intercesserat. Informatio de S. Francisco Assisii fiebat ubi Sanctus maximam vitae suae partem transegerat, praesente curia Romana cuius solius erat et de vita et de miraculis iudicium ferre.

Omnibus notitiis adiunctisque ita diligenter pensitatis et aestimatis, circumspecta illatione dubitari potest, quin an. 1228 Assisii aut Perusii inquisitio et processus formalis de sanctitate vitae B. Francisci instituta fuerint (1).

9. Hanc vero opinionem (2) ceu hypothesim proponentes, minime negare velimus informationem quamvis, summariam, non formaliter iuridicam, tunc de S. Francisci vita et virtutibus factam esse, ita ut de his testificari volentes depositiones suas facerent, praesertim de factis minus notis.

Quarum depositionum fortasse vestigium quoddam remansit in *Legenda Perusina*, c. 65, in quo narratur (3) S. Franciscum in asino equitasse et Fratrem quemdam Assisiatem pedestrem post eum meavisse. Cuius, cum parentelae nobilis esset, hac de re intra se conquerentis cogitatum S. Pater cognovit et de asino descendit. Frater hinc confusus culpam suam dixit. Subdit narrator: « *Quin, quando rogaverunt Fratres dominum Papam Gregorium et Cardinales apud Assisium, ut canonizaret B. Franciscum, testificatus est hoc coram domino Papa et Cardinalibus* ».

Fr. Thomas Celanensis, qui tunc Assisii erat (4), huic attestationi ipse interfuit; unde facile in *Vita II*, 31, idem narrans et nomen Fratris « *Leonardi* » addidit et adiunctum temporis, hoc accidisse dicens « *cum reverteretur sanctus de ultra mare* ». Non autem occasionem praefatam narrationis retulit.

E textu allato inferre minime audemus omnes depositiones processus canonizationis ab ipso Papa et a Cardinalibus auscul-

---

(1) Recole nullos testes quidpiam de vita S. Virgilii edicere potuisse (supra, II, 10).

(2) Quam iam proposuit Franc. Guadagni, *De invento corpore divi Francisci*, Romae 1819, 29; quod opus Ios. M. de Bonis, O. M. Conv. Minister gen., Pio VII ex officio dicavit.

(3) Locum ed. F. Delorme, ap. AFH XV, 321; idem ap. *Leg. antiquam*, Paris 1926, 18. Locum discussimus ap. AFH XX, 492; ubi de « teste oculari » a nobis erronee notata deleas, quin ideo argumentatio damni quidpiam capiat.

(4) Cf. supra, 468.

tatas esse, quia vix ipsis — specie sic adunatis — facultas erat talia tractandi. Ad summum aliquas testificationes de virtutibus Sáncti eosdem sic accepisse crediderim, fortassis uni e Cardinalibus negotium hoc deputantes. — Caeterum si quis ipsis verbis et modo dicendi *Legendae Perusinae* vim tribuere vellet, bona cum ratione diceret, hoc tunc factum esse, cum Fratres Minores Assisii Papae formaliter supplicabant, sive per litteras ei porrectas sive oretenus, sive modo utroque, ut S. Patrem ipsorum canonizaret, non vero in quadam inquisitione iuridica sive processu.

10. Constat autem Gregorium IX non tantummodo mense maii 1228, in quo prima vice post electionem suam Romae 19 martii 1227 factam, Assisium adiit, consilium cepisse Franciscum, amicum suum, canonizandi. Etenim, dum Romam relinquere a seditiosis coactus, Reate residebat (I, n. 1), iam 29 aprilis 1228 ad universos Christifideles bullam dederat (1), in qua omnibus stipem erogaturis pro nova ecclesia construenda, in quam « *beatae memoriae 'patris Francisci'* » corpus transferendum erat, 40 dies indulgentiarum concesserat. « *Dignum esse providimus et conveniens* », ait in ea, « *ut pro ipsius Patris reverentia specialis ecclesia, in qua eius corpus recondi debeat, construatur* » (2). Adeo Gregorio IX tunc iam de sanctitate Francisci constabat et de mox futura eiusdem canonizatione. Soli enim Deo et Sanctis ecclesiae construuntur. Immo iam 29 martii 1228 civis quidam Assisiensis donaverat « *Fratri Heliae recipienti pro domino Gregorio papa IX petiam unam terrae... ad faciendum... locum, oratorium vel ecclesiam pro beatissimo corpore sancti Francisci* » (3).

11. Inter proceres et nobiles, Assisii 16 iulii 1228 Summi Praesulis thronum circumdantes, praeeminebat « *regalis praesentia* ». Quisnam iste rex cuius nomen Celanensis celavit fuerit, haud difficile est dictu. Erat Iohannes comes de Brena, qui rex Hierosolymitanus (4) coronatus fuerat 3 oct. 1210; dein an. 1229 Imperator Constantinopolitanus « regens » factus, vita functus est 23 martii 1237. Paulo antea habitum S. Francisci assumpserat, « *factus frater Minor* ».

---

(1) BF I, 40-1 et 794b; Eubel, *Epitome*, n. 43; Potthast, n. 8184; *Bull. pont.* n. 7, ubi recte legitur data *Reate*, non Romae. Edita etiam cum ectypo suo ap. B. Kleinschmidt, *Die Basilika S. Francesco*, I, Berlin 1915, 17.

(2) In eam sacrum corpus illatum est 25 maii 1230; v. AF X, 126, 371.

(3) Ap. Kleinschmidt, l. c. 15; ap. Lempp, *Frère Elie*, 170-1.

(4) *Catalogue d'actes des comtes de Brienne*, ap. *Bibl. de l'école des chartes*, 33 (1872), 167-70; [Lafiteau], *Histoire de Jean de Brienne*. Paris 1727, 112ss.; P. Egidi, *Intorno ad una leggenda Viterbese sull'origine dei Paleologi*, ap. *Arch. soc. Romana di st. patria*, XXII (1899), 539-58; ubi de Iohanne agitur 542-48. Golubovich, *Biblioteca*, I, 137-8, 178-80.

Iohannes de Brena [*Brienne*] ex oriente redux, 9 nov. 1225, Brundusii filiam suam Isabellam Friderico II nuptum collocavit, sed socero suo iura regni Hierosolymitani usurpante, Iohannes, mox discors ab eo recessit, ad partes Papae transiens (1). Honorius III, 27 ian. 1227 regimini Iohannis regis patrimonium Ecclesiae Romanae a Radicofano usque ad Urbem commisit (2), inter plura alia oppida nominatim Perusium ei tradens, hocque mandatum eodem die Perusinis significavit. Ita praesentia Iohannis regis Assisii in Papae comitatu obvie explicatur. — Subnotamus eiusdem Iohannis corpus in basilicam Assisiensem S. Francisci translatum esse, uti refert Barth. Pisanus, ap. AF IV, 347.

12. Quamquam Fr. Thomas, anno 1228 decurrente *Vitam I* exarans, expresse asseruit canonizationem S. Francisci die 16 iulii 1228 magnifice celebratam esse, dies ista, quae dominica erat, etiam in dubium vocata est. Cuius dubitationis occasionem praebuit bulla *Sicut phialae aureae,* data iam 9 iulii 1228 (v. I, 8).

Haec integra transscripta est in archetypis tabularii Vaticani quae *Regesta* seu *Regestra Epistolarum* Summorum Pontificum praenotantur: *Reg. t. 14, fol 75v, anno II cap. 21.* Inscripta est ibi: « *Archiepiscopis et aliis ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis* ». — In fine vero legitur: « *Dat. Perusii, VII idus iulii pontificatus nostri anno secundo* », id est secundum calculum modernum: *9 iulii 1228*.

Haec, cum tribus vocabulis initii, ex eodem *Regesto* deprompta leguntur apud Auvray, *Les Registres de Grégoire IX,* I, 120, n. 204.

Quia, arguit Waddingus, canonizatio certius facta est 16 iulii nota illa chronologica *9 iulii* subsistere non potest. Unde alii verius censerent bullam illam postea datam esse, sicuti etiam « originalis bulla Archivi Aracaeli sub num. 75 » plene confirmat. Haec, ad universos praesules et praelatos directa, data est « *IX kal. martii an. II* » (21 febr. 1229), hancque Waddingus edidit sub anno 1229, num. 1 (3). — Franc. Pagius (4) ob bullae notam temporis: *9 iulii* et ex textu Richardi a S. Germano truncato (5) inducere voluit canonizationem S. Francisci « vel iunio exeunte, vel iulio ineunte » peractam esse. Ast hunc iam refellit C. Suyskenus (6). — Hyac. Sbaralea (7) diem 16 iulii certum esse statuens, errorem librarii induxit in *Regestis* Vaticanis, arguens pro: *VII idus iulii* ibi reponendum esse: *VII idus augusti* vel *VII kal. augusti.* — C. Eubel (8) emendationibus istis hypothetice assentitur: « si (ait) Thomas de Celano .. recte scripsit » rem accidisse 16 iulii, « sed forsan canonizatio... non dominica die 16, sed dominica die 7 iulii facta est ». — Verum in ultimo numero 7 mendum est, quia

(1) *Regesta imperii,* V, n. 1586 sqq.

(2) Pressutti, II, n. 6203-4, 6209; Potthast, n. 7568, Append. n. 7690a.

(3) *Annales,* II, 215-6; cf. 203-4: an. 1228, n. 77.

(4) *Breviarium historico-chronologico-criticum Pontif. Rom. gesta complectens,* Antverpiae 1718, III, 259-61.

(5) Cf. supra, 476-7.

(6) AA SS oct. II, 675s.

(7) BF I, 45, nota a.

(8) *Epitome,* p. 6, n. 47, in nota.

dominica praecedens in 9 iulii incidit; dies 7 iulii erat feria VI. — Si quis ergo sententiam hanc (debite correctam) admiserit, dicendum foret eodem ipso die 9 iulii, quo canonizatio accidisset, bullam datam esse. Haec brevis bulla profecto eodem die dari potuisset, ast non Perusii (uti prae se fert), sed Assisii, ubi eo die curia fuisset. Sic ergo nulla difficultas solveretur, sed nova e loco in quo bulla data fuit, oriretur.

Quoniam de die 16 iulii constat, non levis adesset ratio mendum librarii in Regestis Vaticanis cum Sbaralea admittendi. Idem enim amanuensis hanc bullam exemplans in initio scripsit *credimimus* (1) pro *credimus*, atque in aliis quoque bullis mendae et lapsus tales leguntur (2). Sed lapsus in nota chronologica: *VII idus iulii* pro *VII idus augusti* vel *VII kalendas augusti* certo gravior fuisset (3), non litteras quasdam sed rem affecisset et memoria scribae curialis egregie eum fefellisset, quia non diu post 16 iulii hanc bullam in Regestis exemplavit. Obstat denique exemplar bullae authenticum diem *VII idus iulii* prae se ferens (v. infra, num. 15, ad II). Aliam igitur solutionem quaerendam esse arbitramur.

13. Enimvero dies canonizationis festivae S. Francisci a Celanensi assertus: *16 iulii* in dubium vocari nequit, quia eum, eodem adhuc volvente anno, scriptis tradidit in opere iussu ipsius Gregorii IX exarato. Insuper alia diplomata pontificia 16 iulii diem canonizationis fuisse evincunt, non 9 iulii, neque, eo minus, 7 huius mensis.

Die 7 iulii 1228 Perusii data est celebris illa bulla contra magistros Parisienses (4); die 8 iulii ibidem quatuor bullae emanarunt (5); die 9 sola nostra prodiit; die 10 iulii bulla sollemnis, consistorialis dicta, scilicet a Cardinalibus subscripta (6); item die 11 bulla consistorialis (7) et duae aliae ordinariae (8); die 12 bulla consistorialis (9); die 13 duae saltem editae sunt (10). Citatae bullae omnes Perusii datae sunt. — Sequentibus diebus 14-18 nulla bulla data esse noscitur. — Tunc 19 iulii item Perusii tres promanaverunt bullae (11), quas inter bulla: *Mira circa nos* (12), id est ea quae vere bulla canonizationis S. Francisci dicenda est. — Item singulis diebus 1-5 iulii bullae plures

(1) Eius textum nobis fraterne contulit P. Ioseph M. Pou y Marti.

(2) Cf. Auvray, I, n. 72, 78, 134: adsunt 4 mendae; 140, 164, 177: duo; 191, 192: duo; 203: item 4: 209: duo, etc.

(3) Etiam notae chronologicae erratae in *Regestis* occurrunt: l. c. n. 28; immo etiam 29-37, 174: error in directione: 125; quae deest: 126, 270 etc.

(4) Ap. Auvray, I, n. 203; ap. Raynaldum, an. 1228, n. 29; ap. Denifle, *Chartul. Univ. Paris.* I, 114-6; cf. Potthast, n. 8231.

(5) Potthast, n. 8232-5. (6) Solummodo ap. Auvray, I, n. 209.

(7) Item ibid. n. 210. (8) Potthast, n. 8237-8. (9) Ibid. 8239.

(10) Ibid. n. 8240 et Auvray, n. 211, 212.

(11) Auvray, n. 213, 214 et Potthast, n. 8241-2.

(12) Ib. n. 214 et 8242 respective. De ea mox plura

Perusii datae sunt (1). Diei 6 nullam bullam novimus, in quem tamen (erat: pridie nonas iulii, seu feria V) nemo canonizationem referre cogitavit. — Econtra etiam diebus 20-25 iulii nullae prodiisse videntur bullae (2) et dies 23 in dominicam incidit. — Haec tamen dies excluduntur a nota temporis apud Celanensem et a vera bulla canonizationis S. Patris: *Mira circa nos,* quae vix non emanavit 19 iulii.

Dies medio in mense iulio 1228 bullis vacantes: 14-18, spatium liberum canonizationi die 16 iulii peractae aptissime relinquunt. Cum his temporis adiunctis etiam testimonium Richardi de S. Germano concordat, quod Papa, sollemnitate peracta, Assisio « *Perusium rediens, ibi anniversarium magnifice celebrat Innocentii praedecessoris sui* » (3). Neque minus consonant *Vita Gregorii IX* dicens: Papa Assisio « *post triduum Perusium est reversus* ».

Anniversarium sollemne Innocentii III tunc a Gregorio IX, suo caeterum consanguineo, Perusii celebratum nihil habet quod mireris. Etenim Innocentius III Perusii defunctus 16 iulii 1216, ibidem postridie in ecclesia cathedrali tumulatus erat, atque inde ab eius obitu curia Romana an. 1228 primum Perusii residebat (4). Hinc Gregorius IX memoriam annuam Innocentii III modo sollemni egit mense iulio 1228. non ipsa die 16 recurrente, sed post reditum suum Assisio, die quadam proxima. Assisium Gregorius perrexerat die 14 vel 15 iulii, inde rediit « *post triduum* », probabilius die 17 vel 18. — Quoniam testimonium alterum Richardi et locus *Vitae Gregorii IX* mendis quibusdam laborant, ex eis solis res dirimi non posset. Si vero iuxta alia certa diiudicantur, valore haud carent.

14. Verumtamen differentia datae bullae: 9 iulii atque diei a Celanensi indicatae: 16 iulii aliunde conciliari potest. Attendas diploma hoc *Sicut phialae* non reapse bullam canonizationis vocari posse, quia haec: *Mira circa nos* mox postea promanavit; perpendas insuper bullam *Sicut phialae* 9 iulii in *Regestis Vaticanis* inscriptam esse solis episcopis praelatisque regni Franciae. Ad hos profecto pervenire non poterat, nisi tantum post canonizationem

(1) Potthast, n. 8221-30; adde his Auvray, n. 200, 205 et 207.

(2) Has in dies referendae forte sunt bullae sine nota chronologica scriptae, ap. Auvray, n. 229-30, 232-40, circa legationem Cardinalis Romani in Franciam contra Albigenses; cf. ibid. notam ad n. 230 et praesertim Potthast: n. 8243. (3) Cf. supra, I, num. 12.

(4) Gregorius IX certo lapidem primarium novae basilicae S. Francisci posuit, velut ipse in bulla 16 iunii 1230 dixit; BF I, 66. Sed de die in qua hoc fecerit, non constat, licet communiter 17 iulii 1228 hoc factum affigatur. Circa foedus politicum inter Assisium, Perusium aliaque oppida Umbra illis diebus, instante Papa, tractatum v. Cristofani, *Delle storie di Assisi*[3], Assisi 1902, 99; Fortini, *Nova vita di S. Francesco,* Milano 1926, 473-4; diebus 5 et 23 (vel 15 et 18?) iulii 1228.

iam peractam, id est circiter 20 dies post 9 iulii, si nuntii aderant, qui litteras pontificias secum statim deferrent [1].

Nuntii tales tunc Perusii in curia revera aderant, ii scilicet qui gravissimam bullam *Ab Aegyptiis,* die 7 iulii 1228 datam, Parisios delaturi erant. In hanc bulla Papa magistros dure increpat, quod novitatibus studentes, profana in sacra transferebant, admonens eosdem, ne verbum Dei et theologicam puritatem philosophorum figmentis adulterent. Existimamus Papae maxime interfuisse, ut haec bulla ad magistros Parisienses quamprimum perveniret. Eisdem ergo nuntiis et latoribus etiam consignatam esse opinamur bullam *Sicut phialae,* diei 9 iulii, episcopis regni Franciae praeannuntians S. Franciscum inter caelicolas esse conscriptum. — Quam solutionem librarii *Regestorum* Papalium nobis insinuaverunt, qui bullam nostram statim post illam in *Regestis* conscripserunt [2]. Quo in negotio plerumque non ordinem chronologicum bullarum observabant, licet hunc non negligerent, sed bullas inter se utcumque affines [3] seu cohaerentes insimul etiam exemplabant [4]. — Bulla *Ab Aegyptiis* prolixa est valde, unde statim ac textus in audientia pontificia stabilitus est, exarari non potuit, sed, puta, die 8 iulii. Ita nuntii unam diem exspectantes 'Francorum regi et reginae' S. Franciscum summe colentibus [5] insimul gratum ac blandum quid, scil. bullam *Sicut phialae,* afferre poterant.. — Etiam aliae canonizationes quibusdam specialiter nuntiatae sunt; v. II, 4, 7.

Vix huic hypothesi opponi potest, quod eadem bulla *Sicut phialae* sub eodem 9 iulii 1228 etiam ad episcopos et praelatos Istriae, Dalmatiae et Slavoniae destinata est [6]. Fatemur utique rationem huius secundae expeditionis nos penitus latere. Secundaria haec expeditio fuisse vel inde apparet, quod altera bulla in Galliam missa in *Regesta Vaticana* relata est. — Altera tamen ex parte, quia hoc exemplar bullae ad Dalmatas directum eodem die 9 iulii confectum fuit et emanavit, nota ista chronologica in dubium vocari eo minus, immo minime iam potest, nisi saltem duplicem errorem admiseris in hoc secundo scilicet originali, quod trans Adriaticum missum est, atque in *Regestis Vaticanis.* Nescimus vero, utrum duplex iste error uni, an duobus scribis imputandus sit.

Insuper ad patriarcham Hierosolymitanum nova bullae expeditio, mutato etiam die emissionis, facta est 31 iulii 1228 [7]. Porro etiam amanuensis iam die ista bullam transscribens, errorem suum vel alterius in *Regestis* facillime animadvertisset, opinor, et correxisset.

---

(1) Cf. A. Callebaut, ap. AFH XIV, 408.

(2) Cf. Auvray, n. 203 et 204.

(3) Cf. l. c. n. 196-8, 201-2, 211-2, 229-30 et 232-40, 297-8, 311-5 etc.

(4) Cf. H. Bresslau, *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien,* I², Leipzig 1912, 110 ff.

(5) Sic I Cel. 120, l. 7-12.

(6) Cf. infra, 506.

(7) Infra, 506.

15. Quia bulla *Sicut phialae* longe brevior est quam vera bulla canonizationis, nil miri habetur in eo quod illa saepius (1) quam haec promanavit.

I. Adest textus authenticus bullae praelatis Galliae directae in *Regestis Vaticanis;* v. supra, 502 (2). — II. Eodem die 9 iulii 1228 seu: « *Dat. Perusii VII idus iulii pont. n. anno II* » missa est « *Archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis per Istriam, Dalmatiam et Sclavoniam constitutis* ». Ex originali authentico, tunc in conventu Fratrum Minorum Iaderae adservato, eam edidit P. Donatus Fabianich (3). — III. Deinde « *Antiocheno et Hierosolymitano patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et et aliis ecclesiarum praelatis* » dictorum patriarchatuum directa est 31 iulii 1228: « *Dat. Perusii, II kal. augusti... an. II* ». Hanc praefatis notificavit apud Acconem 13 sept. 1228 Geroldus patriarcha Hierosolymitanus et Sedis apostolicae illic legatus. Cuius exemplum nobis tradidit Fr. Christophorus de Varisio in MS. circa 1470 confecto, e quo notificationis et bullae textum integrum edidit P. H. Golubovich, variantes cum textu a Waddingo et Sbaralea edito significans (4). — IV. Tunc transmissa est (5): « *Ravennaten., Mediolanen. et Ianuen. archiepiscopis et eorum suffraganeis ac... aliis praelatis* » ibidem, 12 sept. « *Dat. Perusii II idus sept. an. II* ». — V. Anno eodem exeunte, 20 decembris, missa est « *magistro et capitulo Ordinis Praedicatorum* », data ibidem: « *XIII kal. ianuarii an. II* (6) ». — VI. Ad universos totius Ecclesiae praelatos directa est 21 febr. 1229: « *Dat. Perusii IX kal. martii an. II* ». Haec forma communissima est (7). — VII. Prodiit denuo eadem

---

(1) Hic mos tunc vigebat; cf. II, 4, 9, 19 et p. 509, nota 1.

(2) Solum argumentum sive regestum ed. Sbaralea, I, 44-5, num. 26; item Eubel, *Epitome*, n. 47; cf. Potthast. n. 8236. Suppresso exordio, eam ed. Raynaldus ad an. 1228, n. 36. Integram ed. P. Rodulphius, *Historiarum Seraphicae Religionis libri III*, Venetiis 1586, 170r; Waddingus, *B. Francisci Opuscula*, Antverpiae 1623, 579; hic non bene universis praelatis directa legitur.

(3) *Storia dei Frati Minori... in Dalmazia e Bossina*, I, Zara 1863. 467-8. Cf. ibid. I, 18, 35. Hoc originale noverat Gonzaga, *De orig.* 485 (501).

(4) *Biblioteca*, I. 155-6. Regestum tantum habes ap. *Bullarium Franciscanum Terrae Sanctae*, [Hierosolymis 1912], p. 2, num. 1. Opus hoc extractum est ex « *Diarium Terrae Sanctae* », ibid. 1908-12, vol. I-V.

(5) Regestum ap. BF I, 45, n. 27, ex autographo Archivi Mutinensis conventus.

(6) Ita Waddingus habet an. 1228, n. 77 (II, 204). Eodem die emanasse signatur in cod. Perusino *1046;* cf. F. Delorme, AFH XV, 26, ubi directio bullae notata non est. Neque ap. *Bull. Ord. Praed.* I, 31; VI, 63; neque ap. Ligiez, *Regesta*, l. c. III, 486ss. haec bulla notatur.

(7) Ed. ap. *Speculum Minorum*, Rothomagi 1509, tract. I, f. 2r-v.: *Monumenta Ord. Min.* Salmanticae 1506, tract. I, f. 19r. (et ibid. 1511, f. 22): ed. I. B. Confettius, *Collectio privileg. Ordinum mendicant.* Florentiae 1598. 3. n. 1; ed. Em. Rodericus, O. M., *Nova collectio privileg. regularium mendic.* Venetiis

bulla postridie 22 febr. 1229: « *VIII kal. martii an. II* (1) ». — VIII. Promanavit item ad universos praelatos directa, 6 maii 1230: « *Dat. Laterani, II nonas maii an. IV* (2) ». — IX et X. Eadem bulla etiam emanasse videtur 24 sept. 1228: « *Perusii VIII kal. octobr. an. II* (3) » atque 1 nov. 1229 (4): « *kal. novembris* ».

Textus bullae apud Confettium, Rodericum, Waddingum et Sbaraleam inter sese conspirant, sed ab aliis textibus discordant, quorum tenor verborum etiam in *Regestis Vaticanis* et in mox notatis num. II, III, VI, VIII exhibetur, unde magis genuinus habendus est. Variantes nonnisi aliquot verba afficiunt, sensum vero non adulterant neque afficiunt, quare easdem hic recensere praetermittimus.

16. Bulla canonizationis, ita proprie appellanda, directa: « *Universis Christi fidelibus ad quos litterae istae pervenerint* (5) » exorditur *Mira circa nos*. In hac Papa universis nuntiat se beatum Franciscum adscribi decrevisse (6) catalogo Sanctorum et statuisse, ut IV octobris ab universali Ecclesia natalitia eius celebrentur. Quae bulla emanasse communiter dicitur « *Perusii XIV kal. augusti pont. nostri anno II* », id est 19 iulii 1228, triduo nempe post peractam canonizationem.

Verumtamen circa fatam notam chronologicam difficultas aliqua moveri potest. Quod inde fit, quia bulla haec in *Regestis Vaticanis, t. 14, f. 80v, an. II, cap. 31* transscripta est, sed absque ulla nota temporis (7).

1611, 7-8. Waddingus, an. 1229, n. 1 (prodiit 1625; II² (1732), 215-6, eam edidit ex originali Archivi Aracaeli n. 75; Sbaralea, I, 49, n. 31, iuxta (ait) originale Assisii servatum, e quo tamen bullam se sumpsisse non dicit Franc. M. Angeli, *Collis Paradisi*, II, 5-6. Originale Assisii non amplius invenitur: v. *Bull. pont.* n. 7ss. Originale illud Aracaeli nunc exstat in Archivo Ordinis nostri, Romae, eiusque textum pro nobis comiter contulit P. Leon. Lemmens.

(1) Ita Sbaralea, I, 44, nota d, iuxta originale conventus Bergomensis.

(2) Edita ap. *Firmament. trium Ord.* Parisiis 1512, II, tract. II, f. 54r. iuxta originale tunc Parisiis servatum. Quod vidit etiam Fr. Gonzaga, *De orig. Seraph. Religionis*, Romae 1587, 124-5 (Venetiis 1603, 130), una cum altero dato « *Perusii an. II* » [forte illud notatum sub num. I], sed recens haec frustra pro nobis in Archivo Nat. Parisiis quaesivit P. And. Callebaut. Edita est etiam ap. *Firmament.* Venetiis 1513, II, II, f. 105v; ap. H. Sedulium, *Historia Seraphica*, Antverpiae 1613, 80-1; ap. J. Fodéré, *Narration hist. des convens... de la Province de S. Bonaventure*, Lyon 1619, 61-2. Originale aderat quoque Leodii; v. BF I, 49, nota c.

(3) Tale etiam originale in Aracaeli adfuisse notavit Gonzaga, 137 (145).

(4) An 1228? Cf. BF I, 44, nota d. (5) Ita Auvray, I, 130, n. 214.

(6) Cf. locum supra 473. Ex hoc dicendi modo, qui formula curialis est, (cf. I, 4, 8, 13; II, 4, 9), nemo asseret hanc bullam ante alteram *Sicut phialae* confectam esse.

(7) Sic expresse Auvray I, 130, n. 214, in nota, et Eubel, n. 48, in nota 4. In hac nota caeterum haec bulla cum priore 9 iulii confunditur.

Hanc omissionem ironiam appellarem, quia prior illa bulla in *Regestis* laudatis notam temporis haud obviam prae se fert, haec econtra ea caret, quamvis dies qua bulla haec data esse circumfertur: 19 iulii 1228, recta et tuta ab omnibus aestimetur. Adde quod originalia huius secundae bullae exstare non videntur. Quia haec triplo prolixior est quam illa, rariora et forte rarissima huius exempla expedita fuerunt ab ipsa curia, sive Fratribus Minoribus petentibus, eiusdem exempla authentica e *Regestis* extracta fuerunt. Factum enim canonizationis e priore eaque breviore bulla satis et indiscusse probari poterat.

Postquam L. Cherubinus (1) bullam *Mira* vulgavit, diem 19 iulii 1228 ipsi affigens, in posteriores et auctiores « Bullariorum » editiones ita transsumpta est (2). Ex L. Cherubino eam exscripsit Waddingus (3), eam missam esse dicens: « *Ven. fratribus archiepiscopis, episcopis etc.* » atque: « *Dat. Perusii, XIV kal. aug. pontif. n. anno II* ». Huius textum Sbaralea repetivit, licet hic alios quoque auctores allegaret (4).

Sic factum est, ut de die qua bulla *Mira circa nos* data sit, nulla iam discordia inter scriptores deprehendatur (5). Neque nostrum erit hanc concordiam securitatemque ullo modo disturbare. Equidem dies cui bulla affixa fuit, aptissime cum iis quadrat quae de rebus in curia Romana mense iulio anni 1228 gestis cognovimus (6). Eadem etiam die 19 iulii 1228, post Summi Pontificis Assisio Perusium reditum, duae aliae bullae hac in urbe emanaverunt (7). Insuper in *Regestis Vaticanis* haec bulla aliam immediate sequitur fata die 19 iulii 1228 datam (8), triduoque antea S. Franciscus certo canonizatus fuerat. Caeterum omissio notae chronologicae in *Regestis* saepius occurrit, quam ut de ea quispiam stupescat (9).

---

(1) *Bullarium... Roman. Pontif.* Romae 1586; ibid. 1617, sub Gregorio IX, num. 2; ibid. 1638; I, 84.

(2) Cf. v. gr. A. M. Cherubinus (et alii), *Bullar. Romanum*, Lugduni 1673, I, 98-9 (sine bullae directione); ed. Coquelines, Romae 1739, III, n 12; ed. Taurini 1858, III, 438-40: missa universis episcopis et praelatis.

(3) *Annales*, ad an. 1228, n. 77 (an. 1625; II², 261-3). Citat etiam *Regesta Vatic. n. 31*, nihil circa diem bullae adnotando. — Ap. *S. Francisci Opuscula*, 576-8, an. 1623 eamdem ediderat sub eadem die datam, sed directionem omittens et de fonte suo silens. — Dein an. 1646 Raynaldus, *Annales eccles.* ad an. 1228, n. 35, extremam bullae partem edidit, velut datae sub eodem die.

(4) BF I, 42-44, num. 25, nihil circa originale quoddam neque circa notam temporis subdens. Citat *Regesta Vatic. num. 31*, L. Cherubinum, Coquelines, Waddingum, opus *Collis Paradisi*, II, [ubi legitur p. 11-3, sumpta e L. Cherubino, sub Greg. IX n. 2; t. I, p. 98] et Fontaninum, *Codex constitutionum... in canonizatione Sanctorum*, Romae 1729, num. 39. — Textum Waddingi cum paucissimis variantibus Sbaraleae atque aliquibus correctionibus retulit C. Suyskenus ap. AA SS oct. II, 676-7.

(5) Cf. Potthast, n. 8244; Eubel, n. 48.

(6) Cf. supra, 503-4. (7) L. c. (8) Auvray, I. n. 213.

(9) Cf. l. c. n. 133, 166, 181-2, 229-30, 231-40, 264, 283, 300-1 etc,

In optatis nobis est, ut originale quoddam huius bullae dictam diem prae se ferens, authentiae indubiae et rite bullatum in medium proferatur. Si vero istud diploma alia die posteriore emanavisse appareret, nemo prudens ideo statim diem 19 iulii, qua primitus prodierit, excludet, quia bullae quaedam saepius emissae sunt, veluti circa alteram *Sicut phialae* abunde vidimus (1)

17. Splendidissima illa sollemnitas die 16 iulii 1228 Assisii peracta est in ecclesia sive « capella » S. Georgii (2), sed partim, veluti opinamur, extra hanc ecclesiam parvam parochialem, quia haec '*turbam maximam*' populi undique concurrentis atque curiae pontificiae praelatos aliosque praesules ac proceres continere minime poterat (I, 2). « *Venitur ad locum... praeparatum* (3) » inquit Celanensis (I, 3); Papa « *populo universo... voce sonora* » praedicat; Cardinalis Octavianus « *miracula sancti coram omnibus voce altissima legit* ». Post haec « *perlecta et populo nuntiata* » (I, 6), id est exposita a Raynerio Cardinali, « *clamat... voce altisona Papa beatus* » (I, 4) canonizationis formulam edicens et promulgans. « *Attollitur proinde clamor populorum multorum... et immensas resonat terra voces, repletur iubilationibus aer* » etc. — Omnes istas dictiones consulto a Celanensi adhibitas esse censemus, quia sollemnitati coram illa multitudine maxima sub divo iuxta aedem S. Georgii peractae convenirent. Ecclesia seu « capella » ista in loco acclivo sita erat, « cum suis terris sive hortis (4) ».

Praefatis ritibus expletis, « *descendit denique de solio excelso felix Papa Gregorius et per inferiores gradus ad offerenda vota et sacrificia sanctuarium intrat, tumbamque... osculatur. Offert... preces, celebratque mysteria sacra* » (I, 5). Throno ergo relicto, « *sanctuarium* », id est locum in quo Sancti cor-

(1) Bulla unica canonizationis S. Dominici (v. supra, 585), ad universos praelatos directa, emanavit 3 iulii 1234; repetita est 8, 10, 11, 13 iulii, 3 et 25 augusti 1234 atque 23 febr. 1235; cf. *Bull. Ord. Praed.* I, 67; Ligiez, l. c. 255-6, n. 428, I-IX; n. 431, 433.

(2) Celanensis nomen ecclesiae non expressit, licet referret Sanctum eo in loco sepultum esse, in quo primitus litteras didicerat et dein primum praedicaverat; I Cel. 23; cf. 118. Item Iulianus Spirensis, n. 72; ap. AF X, 369. Ecclesiae S. Georgii nomen fecit *Legenda versificata*, XIV, 29-31: «... *et in ecclesia sepelitur* | *Assisii, sanctus quae dicta Georgius exstat,* | *Puro de lapide fit honorifice sibi tumba* ». | Ast in MS. Cantabrigiensi *Dd XI 78* in ecclesiam S. Damiani corpus Sancti elatum esse dicitur. Nomen ecclesiae fecit *Leg. chori,* n. 13 et dein *Legenda maior,* XV, 5.

(3) Concedimus ipsam ecclesiam S. Georgii « *locum* » dici in I Cel. 118.

(4) Ita arbitrium 1 octobris 1253: ap. BF II, 23-4; ed. A. Tini, ap. MF XIV (1912), 36-7; v. etiam AFH V, 783. Cf. p. 510, notam 3. Acclivitas loci hodie adhuc cuique patet.

pus erat, scilicet ecclesiam S. Georgii, constructam inferiore in situ relate ad plateam proximam, in qua eousque sollemnitas peracta erat. Papa intravit (1), « *tumbam* » seu capsam sive arcam funeream Sancti osculatus est atque super eamdem, opinamur, Missam celebravit. Hac ratione textus Celanensis aptissime explicatur.

Inde ab an. 1253, i. e. mox postquam etiam corpus S. Clarae in eadem ecclesia S. Damiani depositum erat (I, 19), eius sanctimoniales agere coeperunt de permutatione ecclesiae et monasterii S. Damiani cum « *ecclesia S. Georgii* » et « *hospitali S. Georgii* ». Iam 1 oct. 1253 hac in re complicata arbitrium tulit Cardinalis Iohannes de Toleto. O. Cist., inter partes: Episcopum Assisiensem, Capitulum S. Rufini et rectorem hospitalis (quorum erant ecclesia et hospitale S. Georgii) atque procuratorem Clarissarum. Hae « *pro aedificiis ecclesiae S. Georgii et terris sive hortis ibidem positis* » capitulo S. Rufini solvere tenebantur 237 libras Lucenses. Pro hospitali attiguo S. Georgii « *cum omnibus suis aedificiis et cum 3 modiolis terrae* » eaedem rectori huius solvere debebant 816 libros Lucenses (2), cum quibus alibi novum hospitale construendum erat. Procurator Clarissarum in horum possessionem introductus est 5 oct. 1253 (3). — Attamen controversiae hac de permutatione adhuc perdurabant, quando 19 aprilis 1257 episcopus Assisiensis « *capellam* » S. Georgii Clarissis (4) pleno iure cessit et permutatio supradicta novo arbitrio rectoris ducatus Spoletini, 20 aprilis 1257, vi bullae Alexandri IV emisso, perfecta est, canonicis S. Rufini frustra reluctantibus. Et cessionem episcopi et arbitrium rectoris Alexander IV duabus bullis 10 maii 1259 datis (quae instrumenta anni 1257 inserta continent) approbavit (5). Arbitrium rectoris Spoletini Clarissis denuo addixit: « *ec-*

(1) Ne dicas caeremonias in navi ecclesiae S. Georgii factas fuisse ac Papam tunc chorum huius ecclesiae intrasse. In chorum enim, relicto throno, Papa magis ascendisset quam descendisset. Valde dubitandum est, quin chorus « capellae » thronum Papae eique assistentes praelatos continere potuerit. — Si ecclesia S. Georgii, nam omnino nos latet in quanam eius parte arca Sancti fuerit, cryptam habuit, poterat tunc Papa sive e choro sive e navi ecclesiae in cryptam descendisse. Verum ob turbam curialium, cleri et plebis ipsa ecclesiae arctitudo prorsus obstabat toti sollemnitati intra eius muros evolvendae, ita ut saltem tres sermones habiti sint ad *populum* extra ecclesiolam confertum.

(2) Ex his summis elucet « ecclesiam » S. Georgii cum suis terris contiguis longe minoris pretii fuisse quam hospitale homonymum. Unde potius « *capella* » erat, uti revera vocatur in instrumento episcopi Assisiensis, die 19 april. 1257 et in bulla 22 iunii 1263, quae in supplicatione Clarissarum innititur; cf. notam 5 et p. 511 nota 6.

(3) Bulla approbans haec 11 maii 1255, insertis instrumentis, editur ap. BF II, 22-5. Cf. de ea ap. AFH I, 419, num. 7 et ib. V, 663-4.

(4) Eadem capella in causa est (cf. BF II, 23-4 cum 337-8), non capella hospitalis etc.

(5) Ap. BF II, 337-47. Tunc parochia S. Georgii translata est in S. Rufinum; ib. 346a. Cf. etiam AFH I, 419-20 i V, 661-7 et Faloci, ap. MF XXII, 62-4.

clesiam S. Georgii cum paucis mobilibus quae habet et cum modica terra prope ipsam » una cum « *hospitali S. Georgii posito iuxta ecclesiam S. Georgii... cum omnibus domibus et aedificiis quae habuit, cum tribus quoque modiolis terrae positis iuxta stratam publicam et ante ipsam ecclesiam S. Georgii et ubi fuit constructum ipsum hospitale et sunt palatia dominarum* », i. e. Clarissarum. – Iuxta ergo ecclesiam neque grandem neque insignem, immo « *capellam* » S. Georgii et in illis « *tribus modiolis* » ante hanc capellam — aderat quoque forsitan, iuxta et ultra « *stratam publicam* », platea quaedam ad canonicos non spectans ideoque in instrumentis supra dictis omissa — turba « *maxima* » die 16 iulii 1228 constipari poterat, praesertim si '*locus* antea aliquo modo *praeparatus*' erat, uti ait Celanensis (I, 3).

S. Clarae corpus in novam ecclesiam ipsius in honorem constructam e S. Georgii capella translatum est 3 oct. 1260 (1). « *Palatia* » nova Clarissarum iam 20 aprilis 1257 aream hospitalis S. Georgii occupantia (2), licet humiliora quam magnificentiora fuerint et adhuc sint, longe amplius spatium absumebant quam hospitale, unde etiam antiqua illa non grandis capella S. Georgii eisdem inclusa fuit. Hanc diruere eis non licebat (3), quare Clarissae Urbano IV supplicarunt « *ut capellam* (ait Papa) *S. Georgii, quae infra claustrum ipsius monasterii, antequam idem monasterium inceptum fuisset, constructa exstitit* (4), *eisque non modicum parit incommodum* (5), *dirui et transferri ad certum locum praefati claustri, ut in ea Missarum sollemnia sibi facere celebrari valeant, faceremus* (6) ». Cui supplicationi annuit Pontifex bulla 22 iunii 1263.

Vi huius bullae Clarissae vetustam illam capellam S. Georgii destruere et alio in loco sibi commodiore reaedificare poterant, occasionem nactae e nova quae tunc construebatur ecclesia S. Clarae. Capellam S. Georgii iuxta navem ecclesiae huius in cornu epistolae transtulisse apparent, ubi adhuc exstat, partim qua chorus Monialium, partim qua capella SS. Sacramenti (7). Haec altera pars inde ab an. 1900 publico accessui patet (8). — Clarissae illam transferentes servare sibi volebant eam antiquae capellae partem, in qua exuviae S. Francisci an. 1226-30 atque, forsitan, S. Clarae corpus recentissime (1253-60) reposita fue-

(1) BF II, 407; AFH I, 420, num. 12; AFH V, 666. Nova haec ecclesia dein absoluta est et consecrata 6 sept. 1265; AFH V, 667-72.

(2) Aliquot arcus in ambitu monasterii S. Clarae partes quasdam antiqui hospitalis, immo ambitus hospitalis adhuc recondere facile concedam, sed vix in eisdem reliquias scholae a Francisco puerulo frequentatae cum cl. D. Faloci, MF XXII, 64, agnoscam.

(3) Item monasterium S. Damiani destruere poterant, non vero ecclesiam: BF II, 24.

(4) Res liquet, licet non liquide enuntietur.

(5) Iam ex ipso, opinor, suo situ in ambitu interno, intra clausuram.

(6) BF II, 473; cf. AFH I, 420, n. 14.

(7) AFH V, 666-7; Faloci l. c.; Pasch. Robinson, *The Life of St. Clare*, Philadelphia 1910, 152.

(8) Robinson, l. c.

rant. Haec pars in monasterii claustro seu ambitu (1) una concameratione seu fornice rotunda constat, e qua adhuc duo unci ferrei 11 centim. prominent, inter se 1,98 metr. distantes (2); ex his arca S. Francisci pendula (3) suspensa fuisset. In pavimento crates quaedam parva aliquas maculas rubeas, quas sanguinis guttulae ex arca Sancti stillantes effecerint, obtegit (4). — Anno 1744 haec concameratio in capellam redacta et porticu circumdata est (5).

Traditio Assisana referens, hanc cameram antiquae aediculae S. Georgii eam partem fuisse, in qua S. Francisci corpus an. 1226-30 repositum fuisset, cum narratione Celanensis optime conciliatur. — Quaenam vero pars vetustae capellae S. Georgii haec fornix olim fuerit, definiri iam non potest. Num eiusdem capellae aedicula quaedam lateralis fuit, an pars cryptae? In loco quippe acclivo capella illa structa erat. De neutra quidpiam memoriae proditum est; neque concameratio adhuc superstes certi quid inducere nos sinit. Considerata capellae S. Georgii arctitudine quae elucet etiam e pretio illo exiguo, anno 1253 aestimato, dubitari potest, quin alterutram partem modo gratis admissam habuerit. Suppositio talis in *sanctuario* inferius posito (I, 5) nitebatur (6). Ast visa tota solemnitate et praesulum populique frequentia, vox ista de ipsa capella S. Georgii rectius interpretanda nobis apparebat.

Nihilominus forma rotunda fornicis seu camerae illius adhuc superstitis eiusque altitudo modica opinioni eamdem olim partem cryptae S. Georgii fuisse favere possit. Hinc non excludam thronum Papae in navi capellae erectum fuisse et Papam e navi in cryptam descendisse, dummodo non negetur saltem tres sermones ante fores ecclesiae habitos esse ad populum, cuius turbae longe maxima pars extra capellam constipabatur.

---

(1) Eius imago adest ap. Faloci, l. c. 61; Robinson, 73; Mariangeli, l. c. II, 49; N. Cavanna, *L' Umbria francescana*, Perugia 1910, 95; ipsi simpliciter est « *cappellina di S. Giorgio* ».

(2) L. Carattoli, ap. MF I, 46; inde Faloci, l. c. et AFH V, 430.

(3) De hac traditione Assisana cf. ll. cc. et Octavius [Spader] a S. Francisco († 1715), *Archivium Portiunculae*, ed. Aeg. Giusto, S. Mariae Angelorum 1916, 109ss.; Papini, *Notizie*, 36s., 176ss.; Locatelli, ap. MF XI, 88; Cavanna, 94; Pennacchi, *Leg. S. Clara*, 70; Faloci, *Il sepolcro primitivo di S. Francesco*, ap. *San Francesco*, I (1920-1), 24-8; Mariangeli, ibid. II, 49; AFH V, 430.

(4) Carattoli, l. c., qui hanc capellulam olim ecclesiam S. Georgii (vel eius partem) censet.

(5) Faloci, l. c. 64. Epigraphe tunc ibi affixa, recolit solum corpus S. Francisci ibi repositum fuisse l. c.; AFH I, 430 n. 80.

(6) Papini, *Notizie*, 36-7, opinionem de capellula S. Georgii laterali adhuc in claustro monialium stante, expresse in voce *sanctuarium* fundat; P. Robinson, l. c. 151-2, idem tenet: cf. idem ap. AFH I, 430, nota 3. Faloci, MF XXII, 62, dicit: « *il corpo custodito nel Cemetero, o nella camera mortuaria di S. Giorgio* ». Illud excludam; hanc vero, si exstabat, utpote aliis corporibus necessariam, per « annos 3, menses 7 et dies 22 » arca S. Francisci, caeterum parum honorifice, occupare non poterat.

Alteram porro partem traditionis Assisanae, nempe de capsa ex uncis pendula in dicta concameratione [1], a narratis apud I Cel. 127 et 149: de puella caput « *sub arca* » immittente et de muto « *per gradus ad sepulcrum attingere* » volente, fulciri non posse arbitramur. Etiam pictores coaevi prius miraculum alio modo effingebant [2], qui e verbis Celanensis haud improbari potest.

Subnotamus ecclesiam seu capellam S. Georgii ac hospitale homonymum tunc temporis suburbana fuisse, id est sita iuxta moenia oppidi, sed extra eadem [3]. Quia in situ valde acclivo condita erant, ita constructa fuisse eadem censeri debent, ut furto ab hostibus Assisiensium fortasse perpetrando aditus non daretur.

Non longe a capella S. Georgii distabant antiqua ecclesia cathedralis S. Mariae Maioris itemque nova S. Rufini. Verum illa, nomine non obstante, frequentiae hominum eo die capiendae prorsus impar erat; haec vero structurae maioris, an. 1140 aedificari coepta, nondum absoluta tunc erat [4]. Nonnisi an. 1253 consecrata est [5]. Capella illa selecta est mere propter corpus Sancti in ea repositum [6].

Optimo quodam iure censeres consanguineis agnatisque S. Francisci, in sollemnitate canonizationis propinqui sui, locum aptum assignatum fuisse, proximum forte iuxta praesules, Summum Pontificem circumdantes, puta Angelo fratri germano Francisci eiusque filiis Picardo et Iohanni [7]; in primis vero Picae Francisci genitrici, si adhuc in vivis eo die agebat. Aliqui horum novi Sancti propinquorum

---

(1) Hanc Octav. Spader in *Breve relazione*... Venezia 1723, (in-16°, 32 pp., scripta an. 1704 et partim repetita ap. Flam. Annibali, *Manuale de' Frati Minori*, Roma 1776, 105-17; cf. 114) dixit « *la celletta apposta fatta da Fra Elia nel luogo che era cemeterio* », eamque ita descripsit « *lunga palmi romani 13, larga 10, alta 11, fatta a volta con la porta verso Perugia, al fresco tra ponente e tramontana, ancora nella volta stessa ha i due uncini di ferro, da quali pendeva l'arca* ». — T. Loccatelli Paolucci, ap. MF XI, 88, hanc capellam oratorium internum S. Georgii fuisse putavit, cui distinctioni contradicunt documenta citata supra, 510, nota 4.

(2) Cf. Bughetti, ap. AFH XIX, 644ss, et tabulas XII, XIV, 2, 3, 6, 7. Notes ibi dicta de valore historico formae tumbae a pictoribus expressae.

(3) Ita L. Bracaloni, ap. AFH VII, 12s,; cum tabula ichnographica, et L. Cicchito, *Assisi nella gioventù del Santo*, ap. *San Francesco*, II, 84-93; v. 89. Ibi, 85, altera tabula topographica Assisii exhibetur, priori haud absimilis.

(4) Cristofani, *Storie di Assisi*, 37-43, 81; Fortini, *Nova vita di S. Franc.* Milano 1926, 32sgg.

(5) Cristofani, 111; *Vita Innocentii IV*, ap. Baluzius-Mansi, *Miscellanea*, I (1761), 203.

(6) Non apparet unde Waddingus, ad an. 1228, n. 79 (II², 205), hauserit notitiam, in se probabilem, Fr. Heliam statim post 4 oct. 1226 curavisse, presbyteris ecclesiae S. Georgii assentientibus, « ut duo vel tres Fratres habitarent in quadam aedicula iuxta eamdem Ecclesiam ad continuum cultum et perpetuas excubias tanti thesauri ».

(7) Cristofani, 51-2; Fortini, 42-3, 410, 475

celebritatem magnificam in platea S. Georgii peractam admirari poterant e solario vel alio loco alto non longe suprastantis domus paternae S. Francisci (1), in cuius area diu postea structa est *Ecclesia Nova* nuncupata (2).

Summus Pontifex Gregorio IX, postquam « tumbam » novissimi Sancti osculatus est (3), arcae exuvias sacras continentis operculo pro altari utens, primus novo in hoc altari Missam celebravit (4), quemadmodum super sanctorum martyrum *memorias* sive tumulos haec peragi solebat. Ita praesentia corporis Francisci Sanctis tunc accensiti festivitati illi permagnificae (5) insigne indidit singulare, quod perdiu rarissime sancto cuidam novo obtigerat, neque scimus, utrum postea denuo umquam alicui acciderit (6).

Plura alia adiuncta minora canonizationis S. P. Francisci magis illustrari vel examinari possent, verum hucusque exposita satis manifestant, quam « sollemnissime (7) » haec celebritas die 16 iulii anni 1228 Assisii peracta sit.

P. MICHAEL BIHL, O. F. M.

(1) Si moenia oppidi eum prospectum tunc non intercludebant; cf. ichnographias citatas p. 513; nota 3. (2) Cavanna, 75-9.

(3) Notes Papam *tumbam* osculatum esse, non corpus in ea clausum, neque hoc tetigisse vel plebi monstravisse. Textus Alberti Stadensis hac in re expers est valoris (v. I, 14). — Hic non inquirimus, utrum capsa tunc lignea an saxea fuerit (v. *Leg. chori*, 13; *Leg. versificata*, [v. supra, 509, nota 2]. neque quando arca lignea in saxeam mutata sit (Papini, *Notizie*, 48, 180-2; Mariangeli, l. c. II, 65-6). Die 16 iulii 1228 capsa seu *tumba* pensilis e fornice non suspendebatur. — De corpore Sancti integro in nova ipsius basilica recondito cf. protestationem magistratuum Assisiensium die 6 iunii 1279 factam: ed. L. Oliger. ap. AFH XI, 559: dein, cum adiecta imagine, ed. Faloci, ap. MF XXI, inter pp. 94-5; (v. ibid. XX, 82, 126-7); item ap. *San Francesco*, I, 27.

(4) Sic, sed hypothetice tantum, Papini, l. c. 47; Mariangeli, II, 65. Supra, 494-5.

(5) Campanula Dirutana, circa illud tempus fusa et epigraphen praeferens: « *Laudibus elaudo Franciscum cum canonizant* », vix illa iam die clangorem suum concentui sonoro campanarum Assisiensium permiscere poterat: cf. E. Ricci, ap. MF XVII (1916), 129-34. (Cf. AFH XIV, 314).

(6) Cf. supra, I, num. 15. Hoc « *caso sinora unico* » dixit Benoffi, *Compendio di storia minoritica*, Pesaro 1829, 44; item idem, *Della traslazione*, ap. MF XXI, 16; L. Palomes, *Dei Frati Minori* etc., Palermo 1897, 35, et alii.

[**Proprium de tempore**], f. 7r. — *Rubr.* Missale secundum usum Romane ecclesie. Dom. prima de Adv. Statio ad S. Mariam maiorem. Introitus. *Ad te levavi.* — F. 103r. In litaniis Sabbati Sancti, post S. Martinum: « *S. Francisce, o. p. n., Anthoni, Bernardine,* Dominice... S. Agatha, *Clara, Elizabeth* ». — F. 104v. Ordinarium Misse. *Rubr.* Paratus sacerdos cum intrat ad altare dicit: *Introibo.*

[**Proprium Sanctorum**], f. 164r. — *Rubr.* Incipiunt festivitates sanctorum. Primo in vigilia S. Andree. Introitus. *Dominus.*

[**Commune sanctorum**], f. 206v. — Inter orationes pro defunctis: *pro def. fratribus; pro hiis qui in cymeteriis requiescunt.* — F. 254r. Exorcismus salis (f. 255 album).

F. 256r. Variae **Sequentiae.** In festo S. Clarae. *Clara lux apparuit mundo, quando* (in *Rep. hymnol.* n. 3314). — De S. Francisco. *Letabundus Francisco decantet clerus, alleluia.* (n. 10025). — *Salve Francisce patriarcha* (deest ibi). — De S. Elyzabeth. *Gaude Syon, quod egressus a te decor* (n. 6958).

8. — Liber horarum.

Cod. **add. 29407** signatus in Museo Britannico. Antiquae ligaturae iam ablatae suffecta fuit moderna (1).

Fol. 308 membraneis conflatum, per totum nitide conscriptum, pluribus et quidem pulchris initialibus delineatione et colorum varietate spectabilibus, ornatum volumen. Exeunte saeculo XIII vel ineunte XIV exaratum fuit MS. ab amanuensi unico. Haec tamen, valde pauca, sequentibus adiecta fuere aetatibus; f. 5r. in Kalendario ad 18 Maii: *Obit monseigneur Sohier de Bailleul chevalier;* f. 308v.: *Soror Iacoba de Bailleul humilis abbatissa.* Codex ad rem nostram facit, cum scriptus vel saltem accommodatus fuerit variis additamentis usui alicuius franciscalis coenobii. Quod constat tam ex kalendario et litaniis quam ex precationibus pluribus ad Sanctos Ordinis Seraphici. Insuper kalendarium nonnullos sanctos dioecesibus Cameracensi et Tornacensi proprios continet, ita ut originem suam revelet ex meridionali Belgio. Rubricae omnes et lemmata lingua gallica expressa sunt.

[**Kalendarium**], f. 3r-8v. — Maius. 25, Translatio S. Francisci nostri ordinis (rubre). — Iunius. 13, Antonii de ordine fratrum Minorum (rubre). — October. 11, Octava Francisci. — November. 19, Sancte Elizabeth (additum saec. XIV). — December. 8, Conceptio Virginis (addit.). — Nonnullis diebus, currente saeculo XIV adiectum fuit: « *iour de sensaule* », i. e. dies minutionis sanguinis.

Psalmi et cantici, f. 9-179.

(1) Candide fatemur quod, repetitis vicibus Museum Brit. visitantes, manuscriptum semper in alterius studentis manibus haberi invenimus, ita ut semel tantum et brevi momento nobis concessum fuerit inspicere volumen. Deficiens proin nostra descriptio.

Litaniae et orationes variae sanctorales, f. 180-95. — « Confiteor ... Mariae virgini et b. Francisco et omnibus sanctis ... ».

Horae SS. Trinitatis, Spiritus S., Passionis et B. Mariae Virg., f. 195-269v.

Psalmi et officium defunctorum, f. 270-307. Veni Creator, Salve Regina, Ave Regina, a posteriore manu addita fuere.

9. — Horae in lingua Neerlandica.

Cod. signatus **Egerton 1152** in Museo Britannico est totus membraneus, foliis 399; mm. 201×128 constans, in cooperimento moderno. Liber reapse est Breviarium.

Tertio quadrante saeculi XV unicus amanuensis nitide in binis columnis textum exarabat. Sub respectu artis calligraphicae et miniaturisticae codex mentione non indignus; initiales alternatim in minio rubro et caeruleo depictae; praeter arabesca, nonnullae picturae marginales sunt notandae, v. g. f. 10r. et 135r. Illuminatio perpulchra de Davide citharizante coram Domino, dum angeli orationes ad thronum Altissimi deferunt, per totum decorat versum folium 134. Quoad historiam voluminis haec afferri possunt. Tum ex idiomate usitato — textus per totum est neerlandicus — tum ex propriis sanctis regionalibus kalendario insertis, codicem ad nostras regiones pertinere concludendum. Ob dialectum limburgensem potius parti septentrionali dioceseos Leodiensis eum adscriberem (1). Procul dubio codex est franciscalis; in litaniis sanctorum sola nomina S. Patris Francisci, sicut et S. Ursulae, in rubro minio sunt descripta; pro 4 Octob. exhibetur officium proprium: *Franciscus vir catholicus;* et inter suffragia sanctorum occurrit antiph. *Salve S. Pater.* — Adnotare etiam iuvat volumen nostrum non exhibere textum ordinarium librorum « horarum » quas dicunt, sed esse verum breviarium romanum in linguam vernaculam translatum.

[**Kalendarium**], f. 1-9v. est notatu valde dignum. — Februarius. 23, Botuast. — 25, Walburch ioncfrou. — Martius. 1, Albyn biscop. — 19, Ioseph, Marien behoeder. — 27, Ons Heren verrisenis. — 28, Guntranius, coninc. — Maius. 9, Niclaes verheffinge. — Iunius. 13, Anthonys minre brueder. — Augustus. 17, Ieroen mart. — October. 4, Franciscus confessoor. — November. 12, Lebvijn conf. — December. 8, Onser Vrouwen ontfangenis. — 16, Der drier kinder dach. — 17, verheffinge sinte Ygnacien. — 28, alre kinder dach. — Sequitur tunc mira series indiciorum valetudinis et aegritudinis.

[**Corpus breviarii**], f. 10r. — *Rubr.* Hier beginnen die getiden vander advent ons heren. Ter eerster vesper. *Inc.* Deus. God wilt dencken in

(1) Conventus Breëensis Tertiariarum tunc recenter fundatus, eo praecise tempore florescere coepit. De caetero eiusdem monasterii Limburgensis etiam alium codicem obvium habuimus in eadem bibliotheca; v. *(Neerl.) Franciscana,* V (1922), 120, 142 ss.; AFH XVIII, 158.

mijn etc.... f. 129v. (finis officii benedictionis fontis baptismalis in Sabbato Sancto) fonteyn des levens. Overmits onsen heer J. C. Amen. F. 130r. *Rubr.* Dit sijn die loven der salmen daer Augustinus of seit: Die sanc der salmen heiliget dat lichaem. Het verciert die siele... *des.* (f. 133v). Dat is der crancker leringhe.

f. 135r. [**Psalterium** per hebdomadam]. — *Rubr.* Hier beginnen die metten van den Sonnendage. Invitatorium. Laet ons aenbeden den heer. die ons. — F. 229r. *Rubr.* Hier begint dat commune sanctorum ende eerst van eenen apostel. Ter eerster vesper. *Inc.* Onse hulpe si in den name. F. 263v. *Rubr.* Als men van onser Vrouwen commemoratien hout... Van sinte Martyn... S. Franciscus: Wes gegroet heilige vader Franciscus, ene licht des vaderlants...; *des.* (f. 399) getiden van kercmisse. — Excerpta ex hocce codice videsis apud R. Priebsch, *Deutsche Handschriften in England,* Erlangen 1901, II, 71.

10. — Breviarii pars hiemalis.

Cod. **Add. 35311** in Museo Britannico, pertinet ad pretiosissimum fundum « *Rothschild Bequest* ». Moderno in cooperimento includit ff. 438 membranea, mm. 242×165.

Primo quadrante saeculi XV videtur exaratus, non tantum ab amanuensi diligenti sed et delineatore, pictore et illuminatore magni meriti. Sub respectu artis haec maxime notanda. Sicut et tituli omnium festorum B. Mariae V. et S. Petri ad vincula, ita et verba kalendarii ad 4a Octobris (f. 5v): *S. Francisci Minorum fratrum ordinis fundatoris* aureis characteribus exstant descripta. Miniatura historica adest in initio officii 8 Decembr. Ornatus totius officii communis B. Mariae V. insignis est. — Infeliciter ablata fuerunt nonnulla folia quae verisimiliter omnium optimas miniaturas exhibebant, scil. ff. post 120, 413, 434.

Rubricae omnes non latine, sed gallice sunt redactae. Opus esse gallicum insuper probatur ex locutionibus kalendarii: Iacobita (ord. Praedicatorum), Cordiger (ord. Minorum), ex variis sanctis regionalibus kalendario insertis, dein ex charactere picturarum. Ea ratione Belgium respicit volumen, quod saltem saeculo XVIII hisce in regionibus asservabatur. F. 7v. legitur: « *Bibliothecae loci sancti Bernardi ad Scaldim* [1] *ex dono gratuito Rev. adm. domini D. Verplancken, canonici presbyteri insignis ecclesiae S. Iacobi Antverpiensis. A. D. 1718, orate pro eo* ».

[**Kalendarium**], f. 1-6. — Iunius. 13, Anthonii conf. cordigeri. — Iulius. 3, Translatio S. Thomae apost. — 19, Commemoratio fratrum et benefactorum. (rubro minio). — Augustus. 17, Mammetis mart. [patroni cathedralis Lingonensis]; 19, Ludovici ep. et conf.: 27, Zephirini p. et mart.; Ludovici regis et conf. — September. 28, Commemoratio fratrum et benefactorum (attramento nigro). — October. 27, Yvonis conf. — November. 8, Translatio S. Ludovici

(1) Abbatia Cisterciensium prope Antverpiam.

Marsilie. — 13, S. Brictii ep. et conf. [ep. Turonensis]. — December. 8, Conceptio beate Marie.

[**Psalterium** per hebdomadam], f. 8v-120v.

[**Proprium de tempore**], scil. ab adventu usque ad Pascham; f. 121-340. *Incip.* mutil. *tollite portas,* ob extractum foliolum.

[**Proprium Sanctorum**] a festo S. Saturnini mart. ad 22 Aprilis. — *Rubr.* Ici commencent les festes des sains pour tout l'an au long. Premièrement de S. Saturnin mart. Oraison. *Deus;* f. 347v-51r. En la feste de Conception nostre Dame. *Incip. lectio.* Tempore illo quo divine complacuit pietati... *des.* celebrandis predicabis. — Est Legenda de Guillelmo, duce Normandiae e tempestate maris feliciter erepto post votum singulis annis festum Imm. Concept. celebrandi emissum. = Cf. Barononius, adnotat. ad *Martyrol. Roman.* ad 8 Dec.; Thurston et Slater, *Tractatus de Conceptione S. Mariae,* Friburgi Br. 1904, 88-92.

[**Commune sanctorum**], f. 389-435. — Speciali diligentia et decore descriptum exstat officium commune festorum B. Mariae V.; ast ereptum fuit fol. primum. *Des.* Ci est accompli le livre des festes des Saints. = V. *Catalogue of additions to the MSS. in the British Museum in the years 1894-9,* London 1901, 253-4, ubi notulae quaedam de codice. Circa illuminationes eiusdem cfr. G. F. Warner, *Illuminated MSS. in the British Museum,* ser. II (1900), pl. 11.

11. — Manuale precum.

Cod. sub signatura **2. A. II** in Museo Britannico servatus. Numerat ff. 252 (quorum 25 priora tantum membranea) sub ligatura moderna. Mensuras habet 102×69 mm.

Sine ullo ornamento conscriptus; initiales litterae tamen sunt minio rubro exaratae. Scriba operi incubuisse videtur aetate quarta saeculi XV, varia e variis colligendo. Ast tota collectio speciem franciscalem prae se fert. Amanuensis nomen revelavit: non tamen successimus in identificando ipsum. Haec nota f. 1r: « *Ad usum fratris Wilhelmi Turnout, usque ad revocationem etc. Ipse scripsit in conventu C*[*onflue*]*ntino* ».

Conicimus quidem huius Fratris familiam oriundam esse e civitate Turnhout, prope Antverpiam; Fr. Wilhelmus vero se iam patria Confluentinum profitetur. Codex revera scriptus fuit Confluentiae (Coblenz) in Rhenania, in qua urbe erat conventus Provinciae Coloniae, custodiae Trevirensis; cf. Eubel, *Provinciale antiquiss.* 24; Pisanus, ap. AF IV, 549. — Vide infra in *Kalendario* codicis, ad 13 Februarii; S. Castor est patronus Confluentiae; AA SS Febr. II, 61-2; *Vita S. Castoris confessoris,* Coblenz 1835.

Incip. f. 1. *Balsamus et cera munda* (cf. *Rep. hymnol.* n. 24055).

[**Kalendarium**], f. 14v-23v. — Ianuar. 16, Berardi de Carbio, Petri de S. Geminiano, Accursii, Adiutoris et Ottonis martyrum ord. Min., maius dupl. (rubro). — Februar. 7, Feria II post

Dom. LXX fit memoria fratrum sororum et benefactorum ordinis. — 13, Castoris conf., festum patrie. — Martius. 7, Thome conf. de Aquino. ord. Pred., solemne. — 19, Ioseph nutritoris Domini conf., mai. dupl. - 20 Ioachim conf., patris b. M. V., duplex (additum postea). — Aprilis. 5, Vincentii conf. ord. Predic., solemne (additum). — 19, Alphegi ep. et m., festum loci. — Maius. 5, Servatii ep. et conf., festum patriae. — 17, Translatio Sancti Bernardini, min. dupl. (additum). — 20. Bernardini conf. ord. min., mai. dupl. — 25, Translatio Francisci, mai. — 27, Octava S. Bernardini, semid.

Iulius. 14, Bonaventure, ord. Min., mai. dupl. (additum). — 19, Memoria fratrum et benefactorum ordinis. — Augustus. 25, Ludovici regis Francie et conf., solemne. — September. 28, Memoria fratrum et benefactorum ord. — October. 4, Depositio S. Francisci patris nostri, mai. dupl. — November. 17, Florini conf., festum patriae [Trevirensis]. — 26, Memoria omnium parentum def. omnium fratrum, scil. ultimo die feriali ante adventum. — December. 15, Octava Conceptionis, min. dupl. (additum).

F. 88v. De Venerabili Sacramento. *Ave vivens hostia* (*Rep. hymnol.* n. 2278). — F. 99 extractum « *ex statutis generalibus* ». — F. 122v. Horae de S. Cruce, Compassione Virginis, S. Francisco, S. Catharina; f. 131. Septem gaudia B. M. V. Poemata pia diversa. Regula Fratrum Minorum cum quibusdam eiusdem expositionibus.

12. — Liber horarum.

Cod. **De Heusch** in bibliotheca Fratrum Minorum Marchiensium (*Marche* in Belgio) servatus, habet membranea folia 187, (plus 1 et 1 chartacea ad custodiam), dimensionum 170×117 mm.

Calligraphia est trientis secundi saeculi XV. Duo post saecula in charta compressa et corio dimidiato colligaverunt manuscriptum. Amanuenses ambo (primus a f. 1 ad 163v; alter a f. 164 ad 187v.) accuratissime nec non et nitidissime ab initio ad finem textum descripserunt. Alternatim rubro et caeruleo minio usi sunt in exarando litteras initiales; rubro tantum in transscribendo regulas in recitatione servandas. Ex attenta codicis perlectione, scil. tam kalendarii quam textus precatorii, concludere licet hic prae oculis haberi librum horarum ad usum Sororum Tertii Ordinis S. Francisci, et quidem conventus in parte septentrionali dioeceseos Leodiensis siti. Notare iuvat omnes rubricas lingua vernacula (neerlandica) esse redactas, ipsas precationes latina. — Ad calcem voluminis hae descriptae extant notulae ineuntis uti videtur sec. XIX: « *Matthaeus du Heu... — Adrianus Franciscus De Heusch. — Ego Adrianus de Heusch... meus testis... librum...* » (?).

[**Kalendarium**], f. 1-8r. — *Incip.* mutil. (uno fol. extracto) die 15 Februarii. — Martius. 2, Translatio S. Ieronimi, duplex. — Aprilis. 23, Georgii mart. (rubro). — Maius. 5, Servatii ep. (rubro). — 20. Bernardini (postea additum). — Iunius. 8, Exaltatio S. Ieronimi.

— 13, Anthonii de Padua (additum). — Iulius. 27, Anne vidue (additum). — Augustus. 11, Tyburtii mart. (attramento); Truydonis conf. (rubro). — 16. Rochus confessor, (additum). — 19, Ludovici. — Septemb. 16, Stigmatum Francisci (additum). — 23, Tecle virg. (additum). — 30, Iheronimi presbit. (rubro). — October. 11, Translatio S. Augustini. — 24, Ode vidue. — November. 18, Octava S. Martini. — 19, Elizabeth vidue (rubro). — 23, Trudonis conf. (rubro). — December. 8, Conceptio Marie. — Sequuntur ff. 9 et 10 variae tabellae ecclesiastici computi.

f. 11r-48v. [**Officium B. Mariae V.**]. — *Rubr.* Hier beghinnen onser liever vrouwen ghetiden, Te Mettenen. *Incip.* Domine labia mea... *des.* Deus qui salutis. — Saeculo XVIII addita est oratio: *Prosit nobis semper, quaesumus... domino nostro. Amen.*

f. 49r-59v. [**Psalmi poenitentiales**]. — *Rubr.* Hier beghinnen die seven psalmen van penitentien. Psalmus: *Inc.* Domine ne in furore... *des.* Ineffabilem misericordiam... eripias. — Quibus saec. XVII addita est oratio Spiritus S.

f. 60-108r. [**Proprium temporis et sanctorum**]. — *Rubr.* Van S. Andries. Te vesperen antiph. *Inc.* Ambulans Iesus iuxta... f. 62r. Op onser Vrouwen ontfanckenisse. Coll. *Supplicationem servorum tuorum Deus miserator exaudi: ut qui in conceptione Dei genitricis et virginis congregamur, eius intercessionibus a te de instantibus periculis eruamur. P. e. Ch.* — f. 94r. Op onser Vrouwen visitacie, ant. *Quam pulcra es et quam decora carissima* (v. *Rep. hymnol.* n. 32196. Textum ed. B. Bughetti, supra, 407 in nota 3). — f. 103v. Op sint Franciscus avont. Te vespers ant. *O virum mirabilem.* ℣. *Ora pro nobis pie pater Francisce.* Te Bened. *Sancte Francisce, propere veni.* Te metten ant. *Salve sancte Pater.* — Adsunt adhuc haec in nostro Breviario moderno, uti etiam statim hic sequentia:

f. 108r-123r. [**Varia** ex breviario et rituali]. — *Rubr.* Inder feesten vander kercwijghen, ter yerster vespers. Ant. *O quam metuendus est.* f. 113v. *Rubr.* Op Sint Franciscus translatie ter yerster vesperen ant. *O stupor et gaudium.* — Van Sint Franciscus, dat hij die heylighe V wonden ontfinc. Te vesperen ende te mettenen ant. *Celorum candor.* — f. 114r. *Rubr.* Van Sint Ludovicus ter yerster vesperen. Ant. *O flos, germen florum, Ludovicus spretor honorum, flos prelatorum, fulget in fune Minorum.* Coll. *Deus qui ecclesiam tuam dispensatione mirabili novis semper illustras...* Te benedictus ant. *Flos regale genus, humilis mundaque iuventus, pontificale decus, sacra vita, scientia, virtus, te Ludovice probant, te nostra rogamina pulsant* Te mettenen ant. *O qui perpetua gaudes, Ludovice, corona: | excusans ora pro nobis mortis in hora.* — Sunt duo hexametra.

f. 124r-163r. [**Officium defunctorum**]. — *Rubr.* Hier beghinnen die vigilien die men leest voer die dooden. *Inc.* Dilexi quoniam exaudiet... *des.* f. 163v. *Rubr.* Hier indet die commendatie.

f. 164r-187r. [**Varia ex Rituali**]. — f. 164r. (Officium sepulturae). *Rubr.* Eer men dlichaem ter kercken draghet, soe sal die priester dese

naevolghende collecte seggen: *Suscipe domine, animam*... F. 173v. (in administratione Extremae Unctionis alicui sorori). ***Rubr.*** Van den heyligen olye als men enegher siecker suster... — f. 178v. (Antiphonae cantandae in aspersione aquae pro diversitate temporis et festi). ***Rubr.*** Item van Paeschen totter octaven... *Vidi aquam... Exurge Domine...* f. 184r. (Tempore visitationis canonicae, quando mater deponitur). ***Rubr.*** In die visitatie ende als men een moder afsettet, soe leest men desen salme: *Ad te levavi.* — f. 186v. *Rubr.* De sancta Elizabeth oratio. *Gaude celum, terra plaude, dies adest digna laude, plena dies gloria, qua Elizabeth antiquum castitatis inimicum illusit victoria: Pia mater et matrona, tuis sacris precibus interventrix et patrona sis pro nobis omnibus.* (Notatur hic rhythmus ap. *Rep. hymnol.* n. 6743). *Ora pro nobis.* Collecta. *Tuorum corda.*

13. — Processionale Ordinis.

Cod. **Gel. A.** bibliothecae Fratrum Minorum Marchiae. Chartaceus, ff. 7+94; mm. 123×80; corio super chartam compressam ligatus est et in dorso tribus nervis munitus. Integra exstant bina repagula.

Amanuensis unicus nitide et diligenter tam musicalem notam quam textum liturgicum transscripsit, ultimo triente saeculi XVII (1678). Lemmata et rubricae omnes minio sunt exarata. Exhibet quidem manuale cantus et preces usuales Fratrum Minorum provinciae Flandriae. Religiosi qui priores libello usi sunt, nomina sua inscripserunt, scil.: « *F. Adrianus Cornil* (scriptor); *P. F.... arlet,* 1697; *F. Ignatius Rigaux* ».

f. 1-7 (addititia). *Rubr.* De S. Ioanne Bapt. *Ut queant laxis;* De angelis Custodibus. *Custodes hominum;* In festo omnium Sanctorum. *Christe Redemptor;* In festo Ss. Trinit. *O lux beata.* — *Gloria in excelsis Deo,* in festis Ordinis. — *Tota pulchra es Maria.*

f. 1-94. [**Processionale**]. — *Rubr.* In Epiphania Dni Responsorium. *Reges Tharsis.* — In purificatione B. V. dum distribuuntur candelae. Ant. *Lumen.* — Antiph. de Bmo P. Francisco. *Salve, sancte Pater.* — Ant. de S. Rocho, *Ave, Roche sanctissime, nobili.* — Toni ad horas: In adventu. *Rerum, Deus, tenax;* In quadragesima; Tonus Pascalis; In festo Pentecostes; Tonus Ordinis. — Tonus Martyrologii Nativitatis. Toni Psalmorum. — Ordo sepulturae Fratrum. — In festo Sacrorum Stigmatum. — Fundamenta cantus gregoriani. — Sequuntur varii (6) toni Litaniarum.

14. — Liber cantorum.

Cod. ex signatus **Gel. B.** conventus Fr. Minorum Marchiae. Folia omnia, scil. 66, chartacea, (2 excisa fuerunt; unum dimidiatum exsistit) non numeratis 2 ad custodiam; dimens. 265×200 mm.

De novo solide coopertum et ligatum fuit volumen anno 1773 in corio et charta compressa. Unica manus nitide textum et notam musicalem exaravit ineunte saeculo XVII; alter vero amanuensis tria ultima folia adiecit anno renovationis ligaturae. Nonnullae initiales, in duobus vel etiam tribus coloribus, ornatae exsistunt: attamen omni arte sunt inferiores. Exhibet codex cantus omnes certis diebus in aliqua capella, S. Rocho sacra decantari solitos. Nostris in regionibus celeberrima quaedem sacella S. Patroni contra epidemias in quibus ex pia fundatione aliquoties in anno divina celebrantur officia. — Notatu dignus est cantus gregorianus praesentis libri, cum descriptus videatur ex sat antiquo volumine. — Haec leguntur f. 1. ad custodiam: « *Graduel pour la chapelle Monsieur St. Rochque escript au despens d'icelle l'an 1608 par B. H. L.* ». — « *Reparez l'an 1773 par le Sr. bourgumaitre Charpentier, mambour de cette chapelle* ». — Sequitur brevis indiculus codicis.

f. 1. *Rubr.* Pro defunctis. *Requiem.* — f. 31. *Rubr.* De S. Rocho in dominicis Introitus: *Os iusti.* Introitus alius: *Congratulamini omnes in Domino diem festum beati Rochi commemorantes, de cuius.* — f. 43. *Rubr.* In die S. Rochi confessoris: *Gaudeamus.* — Graduale: *Tibi pio sancto Rocho honor sit et gloria, et deprecantes celeste numen tuis precibus a morbo epidimie salvos nos redde.* Vers. *Fac, quesumus, beate confessor Christi, ut apud Deum preces nostre non sint vane et nobis aeris temperiem concede, ut in fine tecum in celis congratulemur. All.* Vers. *O beate confessor, sancte Roche, quam magna apud Deum sunt merita tua, quibus credimus nos a morbo epidimie posse liberari et aeris temperiem concedi.* — Offert. *Te beatum Rochum, Christi confessorem exoratum facimus et preces ad te patrem nostrum dirigimus, ut tua intercessione a languoribus salvemur et aeris temperie potiamur.* — Communio. *O quam magnum est nomen tuum, beate Roche, qui tuis intercessionibus multitudinem languentium potes salvare et omnibus nomen tuum gloriosum commemorantibus te benignum exhibere, veni et libera nos a morbo epidimie, et aeris temperiem nobis impetrare dignare.* — F. 50. *Rubr.* De sancto Rocho in primis vesperis ant. *Domine quinque.*

f. 55. *Rubr.* De Sancto Rocho Responsorium: *Sancte Roche, Christi confessor, audi rogantes servulos. Et impetratam celitus, tu defer indulgentiam.* Vers. *O sancte Roche, sydus aureum, Domini gratia servorum gemitus solita suscipe clementia. Et impetratam. Gloria Patri. Et impetr.*

f. 66v. [Litaniae S. Rochi]. *des.* Oremus. *Omnipotens semp. D. qui Sanctissimum conf. t. Rochum privilegio speciali contra pestilentiae morbum patronum esse fecisti, da ut illius meritis, populus christianus perseveret, tibique laetus famuletur. P. Ch. D. n.*

Sequuntur: De dedicatione, f. 56; de Beata Virgine, f. 57; Officium Annuntiationis B. M. Virg. f. 59.

15. — Rituale Ordinis.

Cod. **Gel. C.** Fratrum Minorum Marchiae. Chartaceus, foll. 32 et 1 + 1 ad custodiam, dimens. 208×168 mm. In corio rubro solide et eleganter colligatus.

Calligraphus optimus, scil. Frater Minor, Philippus Jonnart manuscriptum exaravit, textum precatorium describens in littera erecta. rubricas in italica; initiales vero depinxit in rubro vel viridi minio. E nonnullis adnotationibus originem et usum novimus huius codicis: f. 1 legitur: *A l'usage des Religieuses de S. François dittes Poenitentes, à Vervier* (1). *Sub venerando P. F. Iacobo Lagarde, Poenitentium confessario, scripsit P. Philippus Jonnart.*

f. 1r. In Vestitione [Sororum]. *Rubr.* Quaeritur sponsa ad portam Ecclesiae ab officiatore et... Vers. Adiutorium nostrum. — F. 6r. In professione. *Rubr.* Post offertorium Reverendus Pater, facta...

f. 9r. Ritus administrandi Sacramentum Eucharistiae. *Rubr.* Confessarius alba et stola... — f. 11r. Ritus administrandi Sacram. Extremae Unctionis. *Rubr.* Sacerdos superpelliceo indutus... — F. 18r. Ritus sepulturae Sororum. *Rubr.* Finita Missa, celebrans...

F. 26r. Benedictio chordae Confraternitatis S. Francisci. Vers. *Adiutorium nostrum.*

f. 28v. Modus vestiendi infantes [scil. habitu Ordinis in honorem S. Francisci] (2). ℣. *Adiutorium.* Oremus. *Domine J. C. qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam...* f. 30v. Dum infans exuitur vestibus religiosis [post novenam scil., mensem, annum, etc., iuxta parentum devotionem]. Vers. *Adiutorium.* Oremus. *Domine Sancte, Pater Omnip. aeterne. Deus, a quo descendit omne bonum...* des. *Benedicat vos divina Maiestas, Pater et Fil. et Sp. S.*

Marchiae in Belgio.


(Continuabitur). P. Hugolinus Lippens, O. F. M.

(1) Civitas dioecesis Leodiensis.

(2) A primo adventu Fratrum Minorum in partes belgicas, teste Thoma Cantimpratano, *Bonum univ. de apibus,* l. II, c. 28, Duaci 1627, usus invaluit pueros franciscali habitu induendi ad specialem Seraph. Patris protectionem eis obtinendam. Locum Cantipratani protulit L. Oliger, ap. AFH VII, 430, ubi, 389sqq. et X 271ss. plura hoc de pio usu, qui saeculo XV in superstitionem excrevit. Cf. etiam Bened. Mazzara, O. F. M., *Leggendario Francescano,* Venezia 1689, II, 514-6, iuxta L. Waddingum ad 1220. n. 69.



MISCELLANEA



De epitaphio quodam apocrypho S. Francisci. — Dissertationi praeviae *De canonizatione S. Francisci* (¹) hic appendicem brevem subnectimus de hoc epitaphio olim celebri, sed an. 1818 penitus confutato et exploso ac deinceps oblivione obruto. En eiusdem tenor:

V. S. C. A. | *Francisci Romani* | *Celsa humilitate conspicui* | *Christiani orbis fulcimenti* | *Ecclesiae reparatoris* | *Corpori nec viventi nec mortuo* | *Christi Crucifixi plagarum* | *Clavorumque insignibus admirando* | *Papa novae faeturae collacrymans* | *Laetificans et exultans* | *iussu, manu, munificentia posuit* | *Anno Domini MCCXXVIII* | *XVI kalendas Augusti* |. *Ante obitum mortuus, post obitum vivus.*

« Inscriptionem hanc tumulo a se praeparato poni curavit Gregorius IX », ait L. Waddingus, qui primus eamdem vulgavit (²), addens eam exscriptam fuisse a nobili quodam Assisiate, qui ducem Mediolanensem Franciscum Sfortiam comitatus esset, quando corpus hoc invisisset (³). « Ab hoc (ait) descendit ad posteros, a quibus ego eam accepi ». Litteras quatuor capitales ita idem auctor interpretatus est: *Viro Seraphico, Catholico, Apostolico;* subdens Franciscum *Romanum* ibi dici « ob summam erga Romanam Ecclesiam subiectionem, constantemque erga Romanam fidem affectum, vel quia Assisium ditionis est Romanae ». — In *Annalibus* suis (⁴) Waddingus eamdem epigraphen repetivit, eumdemque ipsius ortum et sensum proposuit, subdens « sepulcri vel suppedanei lapidis epitaphium » hoc fuisse.

In opere utroque huic epitaphio, quod authenticum reputabat, Waddingus praemisit (⁵) Epistolam Francisci de Bautio, ducis Andriae, ad Andriensem Episcopum: *De funere et tumulo prodigioso B. P. Francisci,* seu *De prodigiosa statione funeris S. Francisci.* In Epistola hac narratur, quomodo Nicolaus V an. 1449 Assisii moram trahens, ostio ferreo aperto, cum 3 comitibus et 4 Fratribus Minoribus in parvam ecclesiam subterraneam, tres tribunas habentem, descenderit, in qua conspexerit corpus S. Francisci, quod « *erectum stabat... oculis elevatis in caelum* »; manus in manicis complicatis tenebat, « *incorruptum ... quasi dormiens* »; stigmata « *recentem sanguinem* » ostendebant etc.

Hanc Epistolam sive relationem Waddingus exscripsit e Petro Rodulphio, O. M. Conv. (⁶), e quo iam antea eamdem exceperat Hen-

---

(¹) Supra, 468-514. (²) *B. P. Francisci Opuscula.* Antverpiae 1623, 587.

(³) De hoc cf. Waddingus, an. 1457, n. 57 (XIII, 30-1), ubi perbrevis est. Cf. AA SS oct. II, 945-9. (⁴) Ad an. 1230, n. 6-7 (II², 239s.).

(⁵) *Opuscula,* 583-7; *Annal.* 1230, n. 4 (II, 236-8); cf. ibid. n. 5.

(⁶) *Histor. Seraph. Relig.* Venetiis 1586, 247v-8v.

ricus Sedulius, O. M. Obs ([1]). Ambo isti ac Waddingus hanc relationem aliasque similes de corpore S. Francisci ita prodigiose stantis ab aliis viris visitato sinceras habuerunt, non secus ac alii plurimi Familiae Franciscalis utriusque, Conventualium scilicet et Observantium ([2]), aliis utriusque coetus contradicentibus ([3]). Quin in istiusmodi relationibus pluribus, quas adiuncta corporis S. Francisci an. 1818 demum in arca lapidea inventi plane apocryphas experimento demonstraverunt ([4]), immoremur, hic ideo eas breviter tangimus, ut dicamus etiam epitaphium supra allatum eiusdem generis fictionem esse.

Qui hic illicque cum Waddingo situi illi prodigioso corporis S. Patris fidem praebebant, etiam epitaphio isti trinaeque ecclesiae Assisiensi eamdem non detrectabant. Quorum omnium affirmantium zelum superasse videtur Raimundus Missori, O. M. Conv., in dissertatione sua MS. ad Bollandianos missa ([5]). Ex hoc enim epitaphio inducere satagebat (ope loci Alberti Stadensis arbitrarie explicati ([6])), Gregorium IX die 16 iulii 1228 in canonizatione S. Francisci corpus eiusdem in arca integrum vidisse et an. 1234, dum Assisii degebat ([7]), idem corpus velut vivum in suos erectum pedes conspexisse in subterranea aedicula novae duplicisque basilicae Sancto dicatae. Ideo Papa an. 1228 epigraphen dictasset, ultimamque lineam an. 1234 adiecisset. Ita coniciens Missorius eiusdem epitaphii locos caeteris obscuriores: « *Corpori nec viventi nec mortuo* » atque « *post obitum vivus* » perspicaciter interpretatus est. Attamen elucet hos locos iam plene intelligi, nulla annorum differentia in epitaphio admissa, e statione prodigiosa in pedes erecti Sancti. Haec mortui stantis idea statim cuilibet epitaphii sensum obvium facit illumque undique explicat. Sed, quia an. 1226-1230 corpus S. Francisci

---

([1]) *Historia Seraphica*, Antverpiae 1613, 155-7. — Epistola antea iam prodierat ap. Marcum Ulyssiponensem, *Chronicas*, 1557; pt. I, lib. X, c. 1; in versionibus italicis *Croniche degli Ordini instituiti da S. Francesco*, legitur in pt. I. l. II, in fine; Parma 1581, 838-44; Venezia 1591, I, 232-4; ibid. 1625, I, 282-4; Napoli 1680, 311-6.

([2]) Cf. hac de re amplissimam dissertationem C. Suyskeni, ap. AA SS oct. II, 919-92: *Analectorum pars IV*. Ibi 920-1 auctores recenset, usus dissertatione MS. Iosephi Rugili, O. M. Conv., an. 1766 Roma ad Bollandianos missa et partem affirmativam incorrupti corporis Sancti etc. tuente. Bautii Epistola editur ibid. 931-3. Suyskenus an. 1768 conclusit controversiam experimento dirimendam esse. Sicque an. 1818 dirempta est.

([3]) Cf. Suyskenus, l. c. et v. gr. Octavius [Spader] a S. Francisco, O. M. Obs., *Archivium Portiunculae* ed. Aeg. Giusto, S. Mariae Angelorum 1917, 115-80; (Opus hoc an. 1704 scriptum est; auctor erat Episcopus Assisiensis); Bonav. Bartolomasi, O. M. Conv. († 1830), *Sul felice transito ... traslazione* etc. S. Francisci, ed. ap. *Misc. Franc.*, XVIII (1917), 41-96; B. Mariangeli, *La tomba di S. Franc.* ap. *San Francesco*, II (1921-22), 135-9, 152-5, etc.

([4]) Franc. Guadagni, *De invento corpore divi Francisci*, Romae 1819, 9ss.; *Sententiae dictae a Procuratoribus gen. familiarum francisc. in causa inventi corp. D. Francisci; adnotationes subiecit* Fr. Guadagnius, Romae 1820, 20ss., 151ss.

([5]) Cf. Suyskenus, 920, 947. ([6]) L. c. 674, 948. Cf. etiam dicta supra, 478.

([7]) Gregorius IX reapse Assisii moratus est a 16 sept. usque 1 (verisimilius usque ad 5) octobris, non an. 1234, sed anni 1235; Potthast, n. 10015ss.

in arca sua in S. Georgio iacebat, epitaphium eo saltem tempore sensu obvio caruisset. Insuper quilibet recte cum Suyskeno contra Missorium urgebit, ex ipsius sententia consequi maximam partem epitaphii in suppedaneo illo lapide iam in ecclesia S. Georgii exstitisse atque inde 25 maii 1230 in novam basilicam simul cum corpore translatam esse.

Hoc e nota chronologica in epitaphio contenta plane liquet. Nam canonizatio S. Francisci certo in ecclesia S. Georgii (et partim circa eam) sollemnissime facta est die dominica 16 iulii 1228 (1), id est *XVII kal. augusti;* postridie vero, scil. *XVI kal. augusti,* lapis primarius novae basilicae S. Francisci a Papa positus est, iuxta vulgatissimam traditionem (2). Factum hoc constat e bulla 16 iunii 1230 (3), dies autem evidentibus documentis evinci non potest, quamvis ex sese dies XVII iulii probabilissima appareat. Eadem ergo die 17 iulii 1228 Gregorius IX epitaphium illud in S. Georgio posuisset, non sane in nova ecclesia S. Francisci, vix ante tres vel quatuor menses construi coepta.

Alii lapidis illius suppedanei naturam magis definiverunt, asserentes « epitaphium in porphyrite marmore, aureis insculptum litteris » (4) adesse. Verum an. 1818, rupe muroque faticose excavatis, nullum vestigium talis lapidis, talisve epitaphii comparuit, immo nullius epigraphes, ne ullarum quidem litterarum (5). Ita experimento actum erat de olim celebri illo epitaphio ac de lapide porphyrite.

Inter eos qui epitaphii authentiam impetiverunt Octavius Spader, Obs., urgebat (6) styli diversitatem inter hoc et hymnos ab eodem Gregorio IX in Sancti honorem compositos (7), item inter hoc et alia epitaphia illius aevi, v. gr. illud Leoninum, quod e Mariano refert Waddingus (8): « *Hic exspiravit qui mundum suppeditavit* | *Qui sacram mentem direxit in Omnipotentem* ». « Patet (inquit) affectatio in verbis. Utquid enim illud *Romani?* Utquid illud *Papa?* ». Contra explicationem tetragrammatis initii Spader animadvertit: « Ego autem subodoro nomen ipsum impostoris, ut V. sit nomen, S. agnomen et C. A. sit *Civis Assisiensis* ». Auctor operis *Secoli Serafici* (9) epitaphium item impetit, quod stilum saeculi XVI aut XVII, non vero XIII redoleat; quod Gregorius IX

(1) Supra, 468ss. (2) Ant. Azzoguidi, *S. Antonii Sermones in psalmos,* Bononiae 1757, I, p. LIII; *Collis paradisi,* II, 7; Papini, *Notizie sicure della morte... di S. Francesco*[2], Fuligno 1824, 48; Fratini, *Storia della basilica ... di S. Francesco,* Prato 1882, 13, etc. Supra, 504, nota 4.

(3) BF I, 66. *Leg. chori,* n. 17; Iulianus Spirensis, n. 75; ap. AF X, 126, 371.

(4) Ita Franciscus M. Angeli a Rivotorto, O. M. Conv., *Collis paradisi amoenitas,* Montefalisco 1714, I, 6. Hic etiam prospectum ecclesiae illius tertiae subterraneae et Sancti in ea erecti stantis lectoribus praebuit (l. c. 8). Cuius et alii picturas effinxerunt, etc. quas hic dimittimus.

(5) Guadagni, *De invento,* I, 49ss.; II, 25ss.; *Sententiae dictae,* 106ss., 112ss.

(6) *Archiv. Port.* 114-5. (7) Cf. supra, 396ss., 495s.

(8) Quidam feretro S. Francisci hoc affixisset in nocte inter 3 et 4 octobris 1226; Wadding, 1226. n. 41 (II, 148).

(9) *Secoli Serafici ovvero Compendio cronologico della storia francescana,* Firenze 1757, 347-9. Cf. L. Oliger, AFH VII, 614, nota 2; de parte Flaminii Annibali hac in re acta v. ibid. 598s., 601s. Contra epitaphium etc. instabat.

modestius de se dixisset quam ibi sonat: « *iussu, manu, munificentia* (¹) *posuit* »; quod ultima phrasis: *Ante obitum mortuus* etc. omnino superflua sit. Immo quia in toto epitaphio sola vox *Papa* in casu nominativo posita sit, haec ultima phrasis, iuxta grammaticae normas, consequenter ad Papam referenda esset. Res sane omnino incongrua! — Hyac. Sbaralea, O. M. Conv., († 1764), item censebat (²) epitaphium confictionem olere, « est quippe cultioris dictionis quam ferret aetas Gregorii IX an. 1228 et apparet confictum esse post instauratas litteras saec. XV ». — Alii similia contra epigraphen in medium protulerunt.

Octavius Spader recoluit (³) Salvatorem Vitalem, O. M. Obs., Sardum, († 1647), opus suum vernaculum *Historia Serafica* (alias *Paradiso Serafico*) editum Mediolani 1645, eodem hoc epitaphio terminasse (pag. 561), sed cum hac variante in linea 9 et 10: « *P. P. novae prolis faeturae laetissimus* ; *lacrymans et exultans* ». Salv. Vitalis ibi *P. P.* non *Papa* interpretatur sed *Patris Pauperum*, ideoque ante epitaphii initium posuit: « *Gregorius IX* ». Salv. Vitalis « adnotat (ait Spader) porro margini, se [etiam epitaphium] accepisse Assisii a nobilibus civibus. At quid, inquies, de varietate [illa hic disputaremus]? Utrumque est figmentum devians a veritate ».

His missis, aliquot saltem auctores celebrioris notae subnectimus qui hoc epitaphium in opera sua qua authenticum assumpserunt. — Ex editione Waddinghiana *Opusculorum S. Francisci* transiit in aliam a P. Iohanne de la Haye, O. M. Obs., curatam (⁴); in plures Vitas Sancti (⁵), in Elenchos Scriptorum Ordinis (⁶), demum in plurima alia opera (⁷), quae hic recensere supervacaneum ducimus.

P. Michael Bihl, O. F. M.

(¹) Vox sane immodestior fuisset pro lapide illo et inscriptione, si hae positae fuissent an. 1228 in S. Georgio; sin autem an. 1234 (vel potius 1235) in nova basilica, Gregorius IX huius constructionem vix sibi soli tribuisset vel vindicasset.

(²) Ap. Bartolomasi, l. c. 80: hic epitaphium respuit, post an. 1818 scribens. Idem locus ap. Sbaralea, *Supplem. ad Script.* 727; I² (1908), 259.

(³) *Archiv. Port.* 115. Ubi legas *faeturae* pro *facturae* etc. *Faetura* caeterum idem est ac *prolis*.

(⁴) *S. Francisci Assis.... Opera;* in fine *Vitae S. Franc.* ibi praemissae, sine pag. numeratione; Parisiis 1641; Lugduni 1653, etc.

(⁵) V. gr. Cand. Chalippe, O. M. Rec., *Vita di S. Francesco, trad. in italiano,* Torino 1781, II, 122; Venezia 1818, II, 269 (de eo dubia movet); Angelico da Vicenza, O. M. Ref., *La vita di S. Francesco,* Venezia 1737, 445 (illud defendit); Lud. Lipsin, O. M. Conv., *Compendiosa historia vitae S. P. Francisci,* Assisii 1756, 123 (ei inhaeret); Nicol. van Amersfort, O. M. Cap., *Chronycken der Minderbroeders Orden,* Brussel 1655, I, 270 (item), etc.

(⁶) Wadding, *Scriptores,* Romae 1650, 112; ibid. 1806, 76; ibid. 1906, 78; Ioh. a S. Antonio, O. M. Disc., *Bibliotheca Universa Franciscana,* Matriti 1732, I, 6.

(⁷) Illud partim commentario instruxit Did. Tafuri de Lequile, O. M. Ref., *Franciscus ter legislator evangelicus,* Romae 1667, I, p. [I-II], in dedicatione operis: item Jacques d'Autun, O. M. Cap., *La vie de S. François d'Assize,* Dijon 1676, II, 168ss.

Guilelmus de Barlo, O. F. M., fuit Magister regens in Universitate Parisiensi circa annum 1267, uti patet ex eiusdem Universitatis Chartulario (1), ex quo scimus ipsum consensisse nominationi Odonis Bellevalensis et Guilloti Picardi in procuratores Universitatis, ut apud Clementem IV defenderent Magistrum Gaufredum, condemnatum a Card. Simone Turonensi, qui fuit postea Martinus IV. Pro orthographia eius nominis standum est Documento Chartularii, quod sic sonat: « Nomina vero doctorum theologice facultatis qui premissis consenserunt sunt hec: frater *Guillermus de Barlo,* Ordinis fratrum Minorum etc. (2) ».

Barlo denique sine dubio locus originis nostri Guilelmi videtur. Quia autem in elenchis civitatum et locorum gallicorum, belgicorum italorumque tale nomen deest, patria dicti Magistri probabilius est vel Hollandia, ubi in provincia Limburgo datur pagus Baarlo et in Gelria alter Barlo, vel Guestfalia, ubi iam a. 1256 occurrunt duae villae « videlicet Sclade et Barlo in parochia Hech (3) », et alter pagus Barlo in parochia Bocholt (4). His consideratis, Fr. Guilelmus de Barlo probabilissime Provinciae Coloniensis Ordinis Minorum fuit.

Utrum Guilelmus fuerit discipulus S. Bonaventurae, non omnino constat, quamvis multum probabile videatur. Ab anno enim 1248 usque ad 1257 Parisiis docuit Doctor Seraphicus. Iuxta autem statuta Universitatis a. 1215 « nullus Parisius legat citra 35um aetatis suae annum, et nisi studuerit per 8 annos ad minus, et libros fideliter et in scholis audierit; et 5 annos audiat theologiam, antequam privatas lectiones legat publice (5) ». Guilelmus itaque certo ante a. 1254 studium suum incepisse dicendus est, ideoque sub S. Bonaventura docente, nisi admitti oporteat eum prius alibi studiis incubuisse aut clero saeculari adscriptum fuisse antequam Ordinem intrasset. De hoc autem nihil scimus. An. 1267 Guilelmum inter auditores S. Bonaventurae fuisse, qui Parisiis tunc *Collationes de X Praeceptis* habuit (6), nemo negabit. Opinamur insuper ei in officio Magistri regentis successisse Ioannem Pecham, qui tempore secundi regiminis S. Thomae, videl. 1269-71, Minorum studia Parisiis regebat (7). De cetero vita Guilelmi nos latet.

Idem fere de eius operibus dicendum est. *Commentaria* eius *in Sent.*, quae ut baccalaureus necnon *Quodlibeta* quae ut Magister componere debuit, forsitan abscondita sunt inter multa anonyma MSS. Secundum *Inventarium Conventus* [O. Min.] *S. Fortunati,* saec. XIII, Tuderti habebantur *Quaestiones disputatae fratris Guillelmi Baglionensis* (8). Consi-

(1) I (1889), 469.
(2) L. c. Ideoque non « G. de Barlot », uti scripsit E. Longpré in *Misc. Ehrle,* I, 164.
(3) Hodie Heeg, unde oriundus fuit famosus Alexander Hegius humanista. A. Tibus, *Gründungsgeschichte der Stifter, Pfarrkirchen, Klöster und Kapellen im Bereiche des alten Bisthums Münster,* I, Münster 1885, 892.
(4) Tibus, l. c. 1040. (5) *Chart. Univ. Paris,* I, 79.
(6) P. Glorieux in AFH XIX, 166.
(7) Little in AFH XIX, 853.
(8) Tuderti, Bibl. Munic., Cod. *185,* fol. 19r. Cf. Longpré, l. c.

derando nomina propria per manus copistarum saepe saepius transformata ita ut recognosci vix queant, uti Pecham in Piccianor, « G. de Caioco » in « de Raisco » et in « de Rayotis », sciendo insuper in Ordine nullum alium Magistrum Guilelmum saec. XIII, praeter nostrum et G. de Falcario notum esse, vix dubitari potest, quin hic agatur de Guilelmo de Barlo. Opus autem eius adhuc latet et, eheu, latebit forsitan adhuc.

P. Willibrordus Lampen, O. F. M.

Breviarium O. F. M. saeculi XIII exeuntis. — Habetur Florentiae in bibliotheca Laurentiana. Est Cod. membr. Strozzi, n. *12*, constans foliis scriptis 560 (15×25 cm.) non numeratis. Scriptura nitida, binis columnis, exhibet Kalendarium et in duas partes divisum breviarium portatile, non chorale, Ordinis Minorum, quod in catalogo [1] adscribitur saec. XIII. Fol. 4r intersititio habetur: « *N° 824. Breviarium Romanum cum variis rubricis in carta pecora di Luigi del Sen.re Carlo di Tommaso Strozzi 1679* ».

Primae parti de tempore praemittitur Kalendarium quod tradit non solum provenientiam suam, sed etiam relationem quam Fratres Minores primi saeculi habebant cum monachis Vallumbrosanis. Invenitur enim litteris rubricatis, festum feriatum indicantibus: IV idus Iulii *S. Iohannes Gualbertus primus fundator ordinis vallombros.*, festumque eius secundarium VI idus Octob. *Transolatio* (sic) *S. Iohannis Gualberti dup.* Non ergo videtur dubium, Kalendarium scriptum seu saltem mutuatum fuisse a quodam Vallombrosano et quidem in monasterio S. Miniatis Florentiae, quia eodem charactere festivo legitur VIII kal. Novemb. *S. Miniatis cum sociis suis*. Breviarium autem destinatum fuisse Fratribus Minoribus patet imprimis ex eodem Kalendario, ubi reperiuntur « *IV non. Octob. S. Francisci conf. qui fuit institutor et rector ordinum* (sic) *fratrum Minorum* ». — « *Idib. Iun. S. Antonii conf. de ordine fratrum Minorum* ». — « *Prid. id. Aug. S. Clare* ». Ex elogio Fundatori O. F. M. dedicato opinamur deduci hoc non a Fratre Minore compositum esse, sed ab alio pro Franciscanis scriptum fuisse. Si enim a quodam Fratre nostro scriptum fuisset, certo adiunxisset nomini Francisci epitheton « Pater », aut scripsisset litteris rubris totum elogium, nisi admittendum foret, quemdam Fratrem Minorem copiasse ad litteram Kalendarium ecclesiae S. Miniatis.

Quoad tempus compositionis liquet Kalendarium scriptum esse post an. 1255, quo S. Clara canonizata fuit. Manu posteriore, charactere valde parvo et nigro, scribitur « *XIII kal. Sept. S. Ludovici ordinis Minorum fratrum, dup. maius* ». Qui canonizatus est die 7 apr. 1317 [2]. Ex quo tamen non certo concluditur Kalendarium ante hunc annum absolutum fuisse, quia scribae saepius obliviscebantur novos Sanctos addere Kalen-

(1) A. M. Bandinius, *Bibliotheca Leopoldina Laurentiana*, II, Florentiae 1792. 312, ubi indicatur ut « *Ordo Breviarii Fratrum Minorum secundum consuetudinem Romanae Curiae* ».

(2) *Bull. Franc.* V, 111-4.

dario iuxta exemplar nimis fideliter exscripto. Manet tamen valde probabile eum qui festum S. Clarae in Kalendario posuit, non cognovisse adhuc festum S. Ludovici Tolosani. Alia additio, manu posteriore facta, est festum « *S. Rochi conf.* », XVII kal. Sept., omissa qualitate Tertiarii, et, charactere nigro, VII Idib. Decemb. « *Conceptio beate Marie* ». De cetero pro re nostra nil mentione dignum nisi: « *XII kal. Aug. Hic debet fieri officium pro benefactoribus et defunctis fratribus* » (1). Vidimus solummodo festum Epiphaniae etiam « *festum stellae* » dici in rubrica VIII id. Ian. « *a festo stellae numerando perfice lunam* » et addi ad festum Visitationis B. M. V. « *et dicitur Salutatio* ». Ad XIII kal. Aug. invenitur rubrica tunc temporis magni momenti: « *Ante XIIII Kal. Aug. usque Nonas Sept. non minuas sanguinem* ». Uti festa ferianda apparent etiam III kal. Nov. *S. Germani ep.* (2) et VII id. Nov. *Passio S. Herculani, episcopi et confessoris* (sic) (3).

Breviarium revera fuisse ad usum Fratrum Minorum inducimus etiam ex proprio de tempore, ubi sabbato ante Dom. I post Pentecosten legitur: « *Et fit commemoratio de Apostolis et de S. Francisco et de pace* » (4). Fol. 8c « *in festo beati Francisci* » habentur tantum hymni ad vesp. *Proles de caelo,* ad noct. *In caelesti collegio* et in 2 vesp. *Decus morum,* iuxta recensionem antiquam, a nostra moderna paulo differentem. « *In natali sancti Antonii* » (fol. 14b) item habentur nonnisi tres hymni *En gratulemur, Laus Regi* et *Iesu, lux vera mentium.* Cetera, ut videtur, de communi sumebantur. — Nolumus tandem omnino reprobare sententiam illorum, qui opinarentur hoc breviarium forsitan a quodam Vallumbrosano scriptum fuisse, plura e breviario Ord. Minorum assumente sive in usum sui monasterii sive in usum suum privatum.

Pars altera breviarii, a priore nonnisi folio albo separata, a posteriore manu scripta incipit officio *Sacerdos in aeternum* (5), « *in festo* », ut dicitur ibi, « *sacratissimi Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi* ». Post quae sequitur officium « *in Conceptione beate Marie virginis* ». Inc. Ant. *Spetiosa facta es.* Expl. *sis nostrorum advocatrix* (sic) *ante nostrum iudicem.* Deinde sequitur officium « in festo semper benedictae Trinitatis et Unitatis divinae », quod incipit *Gloria tibi, Trinitas,* ideoque differens ab illo nostri Fr. Ioannis Pecham, cuius initium est *Sedenti super solio* (6).

P. Willibrordus Lampen, O. F. M.

---

(1) Hoc Constitutiones Narbonenses (1260) Fratrum Minorum praescripserant; cf. Fr. Ehrle, ap. ALKG VI, 138; S. Bonav. *Opera,* VIII, 464b.

(2) S. Germanus, episc. Capuae, de quo S. Greg. M., *Dialog.* II, c. 35 et IV, c. 40 (P. L. 66, 198 et P. L. 77, 397),

(3) S. Herculanus, episc. Perusiae, iussu Totilae Gothorum regis decollatus, de quo S. Greg. M., *Dialog.* III, c. 13 (P. L. 77, 241).

(4) De hac anno 1263 memorata cf. AFH IV, 70, § 8.

(5) Est officium commune Romanum.

(6) Editur ap. *Analecta hymnica,* V, Leipzig 1889, 19 ff.; L, 1907, 592-7. Ipsi hoc denuo edidimus ap. *France Francisc.* XI, 1928, 211ss.

Le Bx. Jean Duns Scot à Cambridge vers 1297-1300. — La biographie du docteur Subtil s'enrichit constamment de nouveaux éléments historiques. La pièce *J. 488 nº 595* des Archives Nationales de Paris a récemment établi que le 25 juin 1302 le docteur Marial refusa de signer l'appel de Philippe le Bel au Concile contre Boniface VIII (1). Le même document a clos définitivement, en faveur de l'Ecosse (2), la controverse séculaire sur la nationalité de Scot.

Aujourd'hui c'est le MS. *66* du Merton College, à Oxford, qui nous apprend à son tour que notre écossais enseigna à Cambridge, la rivale d'Oxford. Le MS. en question contient le I et le IV livre des Sentences du cours d'Oxford. Bien que le MS. date de la première moitié du XIVe siècle, il a conservé un texte notablement fautif, au point qu'un Franciscain encore inconnu, mais contemporain de Jean Reading et familier avec les manuscrits de l'*Opus Oxoniense*, a tenu de le corriger. Pour ce travail, il en appelle parfois à l'original même de Scot, mais plus souvent à l'exemplaire d'un certain *Alanus*. L'intéressant détail biographique est conservé à la fin de la table des questions du quatrième livre au folio 120v, dans le colophon suivant:

Hec de ordinatione venerabilis fratris J. Duns de Ordine fratrum Minorum, qui floruit Cant[abrigie], Oxon[ie] et Parisius et obiit in Colon[ia].

Certes, l'abbréviation *Cant'* est paléographiquement susceptible de la double interprétation *Cantabrigie* ou *Cantuarie*, l'une et l'autre est courante dans les MSS. anglais. Mais, dès qu'on se remet dans le milieu anglais d'alors, on conçoit sans peine aucune, que tous les théologiens et historiens savaient que l'abbréviation devait, en l'occurence, s'interpréter par *Cantabrigie* seulement. Les rotuli du temps d'Edouard I offrent des exemples tant qu'on veut de l'abbréviation *Cant'* pour Cambridge (3).

En effet, pas un théologien anglais n'ignorait que Cambridge et Oxford seules se partageaient la jeunesse universitaire en Angleterre, au temps du docteur Subtil (4). A Cambridge et à Oxford la Province franciscaine d'Angleterre concentrait, près des deux universités anglaises, l'élite de sa jeunesse studieuse, depuis le provincialat de Guillaume de Nottingham (1241-54) (5). Dans ces deux *Studia generalia* seulement des maîtres franciscains, assistés de leurs bacheliers, formaient le corps professoral supérieur de la Province (6).

(1) *La France Franciscaine*, XI, (1928), 150: « *Frater Iohannes Scotus. Frater Thomas eius socius* ». Duns y tient la 10e place et son socius la 11e. — Voir aussi supra, 418s. (2) L. c. 155.

(3) *Rotuli Hundredorum temp. Hen. III* [1216-72] *et Edw. I* [1272-1307] *in turr. Lond. et in curia receptae scaccarii Westm. asservati...* London 1818; p. ex. à la pag. 356.

(4) Rashdall, *The Universities of Europe in the Middle Ages*, Oxford 1895. Vol. II, part. II, p. 545ss.; Denifle, O. P., *Die Entstehung der Universitäten des Mittelalters bis 1400*, Berlin 1885, 367ss.

(5) Eccleston, *Anal. Franc.* I, 238, 239: ed. Little, 63, 70.

(6) Même le P. H. Denifle reconnaît que les Franciscains s'établirent sérieusement à Cambridge dès le milieu du XIIIe siècle: « Ueber die Francis-

Aussi notre anonyme Franciscain d'Oxford, lorsqu'il nous énumère les villes où Jean Duns Scot « fleurit », nomme-t-il Cambridge, Oxford, Paris et Cologne, autant d'Etudes franciscaines où les maîtres, principaux lecteurs, assistés d'autres secondaires, leurs bacheliers, formaient la jeunesse de l'Ordre. — On verra mieux plus loin, lorsqu'on fixera la date du séjour de Scot, que l'anonyme entend parler d'un *Studium* général de l'Ordre.

Le renseignement que notre jeune écossais se consacra à l'enseignement au *Studium* de Cambridge ne trouve certes pas un contradicteur en Gonsalve de Balboa. Le Général proposant son bachelier pour le magistère, en 1304, insinue trop manifestement que son disciple se distingua bien ailleurs encore qu'à Paris (1). La lettre du 18 novembre 1304 n'exclut donc nullement Cambridge du *curriculum vitae* de Scot; elle reconnaît que les plus belles espérances des maîtres et supérieurs ont été réalisées non seulement par ses qualités, mais plus encore par les succès recueillis partout. De fait Gonsalve en appelle à la renommée de son bachelier comme à son expérience propre: « *De cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenioque subtilissimo, aliisque insignibus conditionibus suis partim experientia, partim fama (quae ubique divulgata est) informatus sum ad plenum* (2) ».

Sans doute, Gonsalve ne dit pas que partout on connut Scot personnellement; toutefois il est certain que Gonsalve l'ex-régent de Paris se déclare parfaitement informé par une réputation, « *quae ubique divulgata est* ». Par le passé, on eût pu croire que les échos de cette renommée ne partirent que d'Oxford et de Paris; notre anonyme nous apprend que Cambridge, Oxford (3) et Paris en avaient été les centres. — Le Général et l'anonyme se complètent, se confirment et s'accordent donc pour nous renseigner. Les historiens se réjouiront du nouveau détail qu'apporte le MS. d'Oxford.

Il reste maintenant à établir l'époque de l'enseignement de Scot au *Studium* de Cambridge. — On peut, tout d'abord, admettre que l'anonyme suit l'ordre chronologique dans l'énumeration des Etudes, où le docteur Marial « *floruit* ». — Il est préalablement à remarquer, que la Chronique d'Eccleston dressa, dès avant 1260, la liste des maî-

caner-Professoren existiert ein grosses Verzeichniss, das bis in die Mitte des 13 Jahrhunderts zurückreicht »; *Die Entstehung*, 375. — Fr. Thomas d'York n'est pas la moindre gloire des origines de ce *Studium;* sa seule Somme métaphysique le prouve; voir E. Longpré, AFH XIX, 875-930.

(1) A. Callebaut, *La maîtrise du B. Jean Duns Scot en 1305*, AFH XXI, 209.

(2) L. c.

(3) On voit bien de 1275 à 1313 les Franciscains Guill. d'Everal, Ralph de Wodehaye et Robert de Fulham enseigner dans la célèbre abbaye de Canterbury; mais il n'y a là qu'un cas particulier, qui ne peut s'appliquer à notre bachelier. Aussi Ch. Cotton, *The Grey Friars of Canterbury 1224-1538*, Manchester 1924, n'a-t-il pas rencontré de traces d'un *Studium* franciscain à Cantorbéry; voir l. c. 34ss.; A. G. Little, *The Grey Friars in Oxford*, Oxford 1891, 66; mieux Little, AFH XIX, 820-1.

tres régents franciscains de Cambridge et d'Oxford (1), que d'autres continuèrent après lui (2); mais le docteur Subtil n'y comparait pas. De ce fait il faudrait conclure que notre écossais ne régenta ni dans l'une, ni dans l'autre des deux universités (3). Pourra-t-on. malgré ce silence significatif, prouver que les chroniqueurs négligèrent d'insérer dans ces listes le célèbre maître de l'université de Paris? A l'histoire de dire son dernier mot. A moins qu'elle nous réserve quelque surprise, il n'y a qu'à compter Scot parmi les bacheliers de Cambridge et Oxford. C'est d'ailleurs le parti que suggéra prudemment la circonspection au prof. Mr. A. G. Little. L'éminent historien des lecteurs franciscains d'Oxford rangea notre écossais parmi les « *alii legunt ut bachelarii* (4) », comme les désigne Eccleston (5).

Pour resserer davantage le moment de l'enseignement du bachelier de Cambridge nous nous référons à notre article: *Le B. Jean Duns Scot étudiant à Paris vers 1293-96* (6). On y a vu que les réglements parisiens exigeaient préalablement des bacheliers neuf années d'études théologiques passées à Paris. On concédait toutefois aux bacheliers des Ordres Mendiants de ne réserver à l'Université de Paris que les quatre premières, pourvu qu'ils consacrassent les cinq années suivantes à l'enseignement dans les Etudes de leurs Ordres.

Le Codex *F 69* du Chapitre de Worcester, en nous donnant l'année du baccalauréat de Scot à Paris, en 1302 (7), fixe le *terminus ante quem* des cinq années, qu'il lui était loisible de passer dans l'enseignement de l'Ordre, hors de Paris. Nous savons ainsi que l'enseignement de Scot à Cambridge et à Oxford est à placer entre le premier séjour de Paris, en 1293-96, et son baccalauréat parisien de 1302. — L'hypothèse émise plus haut, que l'anonyme donnait une allure chronologique à l' énumération des *Studia* de Cambridge, d'Oxford, de Paris et de Cologne ne s'est donc ni ébranlée, ni démontrée téméraire au contact des faits historiques. Au contraire, elle a pris consistence avec et par eux. De part et d'autre, ils se sont attirés comme des aimants. On pourrait comparer le renseignement historique du MS. d'Oxford à un débris de mosaïque retrouvé. Le détail biographique s'est réanimé dès qu'il se replace dans son cadre historique et chronologique. Comme au sujet d'une mosaïque, toute délabrée qu'elle soit, ses principales lignes et ses caractéristiques se sont tôt faits reconnaître dans un de ses anciens débris, et comme celui-ci, ainsi authentiqué, reprendra sans peine sa place dans l'œuvre entière: ainsi en est-il du nouvel élément biographique de Scot. Cet élément s'emboîte naturellement dans le *curriculum vitae* du maître Subtil et se fusionne avec les autres détails de la carrière du docteur Subtil et de son milieu historique, en perfectionnant l'ensemble homogène et en établissant ainsi sa propre authenticité.

(1) *An. Fr.* I, 238-9; ed. Little, 60-7, 70-1.

(2) *An. Fr.* I, 270-3; Little, 67-70, 71-4.

(3) A. G. Little, *The franciscan School at Oxford in the thirteenth Century*, AFH XIX, 869-74. (4) L. c. 864. (5) *An. Fr.* I, 238; Little, 63.

(6) AFH XVII, 2-12. (7) L. c. 7.

A Cambridge. le Trinity College de l'Université, comme s'il vivait encore ses vieilles traditions du XIV siècle, s'est donné le plaisir de reproduire Scot dans les belles verrières de sa magnifique chapelle. — Dès 1318 le roi Edouard II glorifia la seconde université de son royaume, de ce qu'elle avait déjà « *ut fecunda mater* » produit d'éminents théologiens (1). Son bachelier Scot n'est certes pas la moindre des gloires de Cambridge. Les régents franciscains Jean Linpenho, Richard de Templo ou Galfrid Heyroun, qui y guidèrent les premiers pas de l'enseignement du futur maître de Paris vers 1297-1300 (2), peuvent en revendiquer quelque chose, avec les chanceliers Thomas de Kynyngham, Etienne de Hepworth et Etienne de Haselingfield qui présidèrent alors (3) aux destinées de l'Université de Cambridge.

P. André Callebaut, O. F. M.

De martyrio P. Damasi Kun, O. F. M., in Walachia (1737). — Austriae Provincia S. Bernardini Senensis, praeter Ven. P. Liberatum Weiss, de quo fusius iam egimus (4), multos alios filios, qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt, enumerare potest, quorum unus est P. Damasus Kun. Cum eius martyrium ab omnibus historiographis non-austriacis, imprimis vero ab omnibus fere Ordinis Minorum Martyrologiis, excepto P. Ausserer (5), ignoretur, breviter eius passionem adumbrare volumus secundum historiographos contemporaneos, quorum principalis est cl. P. Placidus Herzog (6).

Natus est P. Damasus Kun Nicolsburgi in Moravia (Nikolsburg in Mähren) prope fines Austriae Inferioris non longe a conventu Feldesbergensi Provinciae S. Bernardini. Annos natus 19 Ordinem S. P. N. Francisci ingressus, habitum franciscanum die 30 maii anni 1714 Graecii (Graz) recepit (7). De vita eius regulari, de studiis quibus incubuit ac officiis quibus in diversis locis functus est, nil speciali mentione

(1) Denifle, l. c. 373 note 640.

(2) Nous signalons ces trois régents parcequ'ils précèdent Adam de Hoveden déjà régent à Oxford lorsqu'on y trouve Scot, en 1300. Puisqu'il alla ensuite régenter à Cambridge et qu'il devint chambellan de Fr. Guillaume de Gainsborough, nommé évêque de Worcester en 1302 (Little, *The Grey Friars in Oxford*, 162; Little, AFH XIX, 861-2), ce n'est que sous ces trois régents que notre bachelier de Cambridge a pu enseigner à cette université. Voir p. 608 note 5.

(3) Th. Fuller, *The history of the university of Cambridge from the conquest to the year 1634*, Cambridge 1840. 78.

(4) AFH XX, 336-55; supra, 331-45.

(5) *Seraphisches Martyrologium*, Salzburg 1860; v. infra, 614, nota 4.

(6) P. Herzog, *Cosmographia Austriaco-Franciscana*, Coloniae-Agrippinae 1740. Idem, *Catalogus Vivorum et Mortuorum Patrum et Fratrum Ord. Min. ... Prov. Austriae ab anno MDCC;* (MS. autographum conservatum Vindobonae in Archivo Provinciali). Qui *Catalogus* post mortem P. Herzog a variis Provinciae Archivistis aliquantulum imperfecte continuatus est. — Alias notitias partim debemus Rev.mo et Ill.mo Domino P. Vincentio Pejov, O. Min. Cap., Vicario Apostolico Sophiae et Philippopolis, cui hic summas gratias agimus.

(7) *Catalogus*, f. 18v.

dignum inveniri potest, nisi quod in « Catalogo Patrum » a P. Herzog « Logicus » appellatur. Quo vero in conventu et per quot annos munus Lectoris exercuerit, penitus ignoramus. Probabiliter vero P. Damasus infra annos 1726-1730 cum aliis eiusdem Provinciae Patribus in Missionem Bulgariae missus est.

Indefesso labore P. Petri Zlojutrić, Ex-Ministri Provincialis Bosniae et tunc temporis Episcopi Sophiensis atque P. Petri Soljak tunc Ministri Bosniae in missione Bulgariae commotus Urbanus VIII die 2 iunii 1624 decretum promulgaverat, quo antiqua Bulgariae Custodia iterum erecta est (1). Qualem effectum haec Missio habuerit « *Statuta sive Constitutiones Custodiae Bulgariae* » (2), prima Synodus dioecesana Bulgariae diebus 18 ad 20 augusti 1641 Chiprovatzii celebrata (3) atque erectio dioeceseos Sophiensis in archidioecesim novaeque dioeceseos suffraganeae Nicopolitanae sive Marcionopolitanae in Moldavia (1643) clare demonstrant (4). Continui et indefessi Patrum Provinciae Bosnae-Argentinae laboris gratia, haec Custodia iam anno 1676 ad dignitatem Provinciae elevari potuit (5). Sed paulo post Turcae, qui tuncusque interrupte tantummodo Bulgariam invaserant, nunc maiore et quidem vehementi impetu pacem conturbaverunt, ut P. Antonius Stephani, Episcopus Nicopolitanus S. Congregationi Propagandae Fidei retulit (6). In oppido Chiprovatz ecclesia et conventus Fratrum a Turcis destructa fuere. Archiepiscopus Stephanus Cenezervić (1677-1691) ultimus fuit, qui in conventu Chiprovatzensi residentiam habuit; successor autem eius P. Paulus Josić toto tempore episcopatus sui in Walachia morabatur. Provincia vero Bulgariae simul cum Provincia Bosniae paulo post a Turcis suppressa est eo modo, ut anno 1724 vix e 28 Patribus constaret (7). Cum ex tunc conditiones missionis Bulgariae tristissimae evaserint, Curia Romana, mortuo Archiepiscopo P. Paulo Josić (1719), loco eius solummodo Vicarium Apostolicum pro Bulgaria nominavit (8).

Pace Passarovizii die 21 iulii 1718 facta, Austria Banatum, Walachiae partem et Serbiam septentrionalem receperat (9). Quae regiones ut pacificae conservarentur atque contra impetus Turcarum defenderentur, magno praesidio imprimis Germanico et Austriaco firmatae sunt. Simul

(1) Marcellino da Civezza, *Storia universale delle missioni francescane*, VII. 3 (Firenze 1894), 651 et 669s. Cf. *Schematismus almae Provinciae S. Ioannis a Capistrano cum Bulgaro-Valachia Ord. Min. S. Francisci Regularis Observantiae pro anno Dom. 1856*, Budae 1856.

(2) Editae ab E. Fermendžin, *Acta Bulgariae ecclesiastica ab anno 1565 usque ad 1779*, Zagabriae 1887, 50ss.

(3) *Acta Bulgariae*, 113-32; Civezza, *Storia*, VII, 3, 692s.

(4) *Acta Bulgariae*, 138-49. E. Fermendžin, *Acta Bosnae ecclesiastica ab anno 925 usque ad annum 1752*, Zagabriae 1892, 454; Civezza, *Storia*, VII, 3, 580ss.

(5) Civezza, *Storia*, VII, 3, 651; *Schematismus* cit.; Holzapfel, *Handbuch*, 385; *Manuale*, 315.

(6) Dat. Vindobonae 30 jan. 1689; cf. Civezza, *Storia*, VII, 3. 716s.

(7) *Documentum ex Archivo Fratr. Min. Conventus Devensis in Transsylvania*, cit. ap. Civezza, *Storia*, VII, 3, 724. (8) *Acta Bulgariae*, 341s.

(9) Herzog, *Cosmographia*, II, 174.

cum militibus etiam sacerdotes illuc venerunt, ut fideles in fide confirmarent et infideles ad veram adducerent. Inter quos multi fuerunt ex Ordine Franciscano partim ex Provincia Bavarica (1), partim vero ex Provincia Austriae S. Bernardini, ut P. Sigismundus Brixner (2), P. Epiphanius Gutnigg (3) et alii, qui in Custodia Transsylvaniae strenue laboraverunt.

Quibus cum Patribus etiam P. Damasus Kun Bulgariae Missionem aggressus est. De cuius missione autem, proh dolor, nihil omnino traditum invenimus. Saltem eius martyrium, et hoc quidem breviter absque singulis circumstantiis a Chronistis describitur. Integritatis causa totum P. Herzog testimonium ponimus simul cum notitia P. Greiderer, quam ipse ex opere P. Herzog sumpsit:

Herzog (4): « V. P. Damasus Kun, animarum lucrandarum causa qua Missionarius in Bulgariam ordinatus, violenta Schismaticorum praedonum manu miserrime in ecclesia, ut refertur, trucidatur Bratichzenii anno 1737 ».

Greiderer (5): « Adest alius Provinciae Austriacae verosimiliter Martyrum choro inserendus, in hoc saeculo e vivorum calculo amotus, videlicet P. Damasus Kun. Hic animarum lucrandarum ardore accensus in Bulgariam abiit et ibidem Bratichzenii an. 1737 in ecclesia, uti refertur, violenta Schismaticorum praedonum manu miserrime trucidatus fuit ».

Idem cl. P. Herzog alio loco paulo antiquiore tantummodo notaverat: « P. Damasus Kun a Nicholspurg in Moravia, in Walachia anno 1737 a praedonibus schismaticis occisus » (6).

In operibus P. Eusebii Fermendžin nulla fit mentio specialis de P. Damaso Kun. Nominatur tantum clericus quidam Fr. Seraphinus e Comitibus de Kun, quem Minister Provinciae Bosniae commendat Propagandae (15 maii 1630), ut possit alicubi Philosophiam docere (7); idem Fr. Seraphinus 1 octobris 1630 testimonium perhibet, Fratres Minores in Transsylvaniam induci non posse absque magna cautela, quamquam ibi 8 iam Fratres Minores et 2 ex Societate Iesu laborent (8). Certe tamen dictus Fr. Seraphinus de Kun nullam habet relationem cum nostro P. Damaso. — At alia notitia in alio P. Eusebii opere invenitur, qui, tractando de incursione a Turcis annis 1737-1738 facta, qua durante ecclesia Patrum Franciscanorum Bratichzenii destructa atque a Patribus derelicta est, dicit: « Patres alii capti, alii a Turcis trucidati, alii hinc inde miserere dispersi fuerunt » (9). Certum omnino esse putamus, inter dictos Patres a Turcis trucidatos nostrum P. Damasum Kun fuisse.

P. Antonius Maria a Vicetia autem breviter de P. Damaso Kun agit, scribens sub anno 1737: « Bratichzenii in Bulgaria P. Damasus

(1) B. Lins, *Geschichte der bayrischen Franziskanerprovinz*, München 1926, 294-6. (2) Herzog, *Cosmographia*, I, 164. 459; V. Greiderer, *Germania Franciscana*, Oeniponte 1777, I, 487, 493. (3) Herzog, I, 164; Greiderer I, 493.
(4) *Cosmographia*, I, 130. (5) L. c. I, 480; cf. etiam ibid. p. 493.
(6) *Catalogus*, cit. f. 18v. (7) *Acta Bosnae*, 396. (8) Ibid. 402.
(9) *Acta Bulgariae*, 368.

Kun, ex Reform. Provincia Austriae, a schismaticis in templo trucidatur »([1]). In versione vero italica huius opusculi P. Antonii, corrigi debet nomen Patris Kun; dicitur enim: « *A Bratichzenio in Bulgaria il P. Domenico* (!) *Kun, della Riformata Provincia d'Austria, viene trucidato in chiesa dagli scismatici* »([2]).

Quia ergo nemo antiquorum Chronistarum neque diem martyrii, neque verum loci nomen indigenum refert, arbitrariam credimus opinionem P. Petri-Pauli Ausserer, qui Martyrem nostrum sub die 1 iulii commemorat atque pro Bratichzenio « Braditsch in Serbien » scribit ([3]).

Proculdubio locus « Bratichzenium » non erat in Serbia, sed secundum dictum P. Placidi Herzog in Walachia. De facto locum Bratichzenium cum civitate « *Bradicegni* » non solum optime identificare possumus, sed identificare debemus. In Indice personarum et locorum operis P. Eusebii Fermendžin invenis: « Bradicegni, Alba civitas ». Sed cave, ne hanc civitatem Albam confundas cum civitate Alba Iulia, quae est Carolina sive Karlsburg ([4]) sive Gyula-Fehérvár et quae cum civitate Fogaras notissimam illam dioecesim nomine Iuliam constituit. Haec est Alba Iulia, de qua P. Gabriel Mančić, O. F. M., iam anno 1660 scripsit ([5]): « In Alba Iulia, fuor di città vi è chiesa abrugiata e dentro hanno l'istessi P.P. la residenza, dove stanno sotto il nome come sopra, e così dall'uno e dall'altro luogo questi P.P. vanno per le ville ([6]), dove sono nobili cattolici, amministrando li ss. sacramenti, e detti P.P. tanto Gesuiti quanto Francescani sono Missionari. In questa provincia sono assai cattolici buoni e nobili »([7]).

Carolus VI Imperator in decreto suo imperiali diei 1 octobris 1727, quo Bulgaris, qui in territorium sui imperii confugerant, certa privilegia praebuit, permittens « communitati bulgarae Bradiczensi seu Albanensi » proprium habere sigillum ([8]). Haec civitas, in qua Fratres Minores curam ecclesiae habuerunt, a Bulgaris *Bradičen* vocatur; sita est in provincia civili Gorju Walachiae ad pedes Alpium Transsylvanensium et ad ripas Jiubú fluminis.

De cetero autem nihil amplius de martyrio P. Damasi Kun hucusque invenire potuimus; sed speramus fore, ut plures notitiae imprimis de singulis circumstantiis inveniri adhuc queant.

Fr. Caius Othmer, O. F. M.

([1]) *Tabula chronologica Strictioris Observantiae*, ap. *Anal. Franc.* I, 365.

([2]) A. M. da Vicenza, *Tavola cronologica della più stretta osservanza del P. N. S. Francesco, recata in volgare per un suo confratello*, Brescia 1886, pag. 28.

([3]) *Seraphisches Martyrologium*, Salzburg 1889, 593. Est nova editio operis allegati supra, 611, nota 5.

([4]) *Acta Bulgariae*, 387. ([5]) Apud *Acta Bulgariae*, 271.

([6]) Haec indicia P. Mančić et quidem haec sola ad civitatem Bradicegni (Alba) omnino applicari possunt, sequentia vero minime conditionibus huius civitatis correspondent.

([7]) Haec ultimae tantum animadversiones referri possunt ad civitatem « Alba Iulia » sive Gyula-Fehérvár. ([8]) *Acta Bulgariae*, 337.

Instrumentum fundationis conventus Colliscorbini in Aprutiis. — Inter MSS. universitatis vel municipii Colliscorbini [1] in Aprutiis et proprie in Provincia olim Aprutina, nunc Piscariae, dioec. Pinnensis, fasciculum 10 pagg. inveni in duas partes divisum, quarum prima inscribitur: « *Copia della fondazione del convento di San Padrignano in Collecorvino* », altera: « *Baratto o permuta del convento* ». — Prima vero pars est mutila, deficiens et in variis punctis absolute originali contraria, sicut paucis ab hinc mensibus attente examinare potui, collationem instituens copiam inter et originale membranaceum, quod — solertia cuiusdam confratris mei, cui gratias ago — prae manibus habui, cuiusque textum infra edo.

Waddingi continuator refert [2]: « In provincia S. Bernardini conventus... Colliscorvini fundatus (est) pro octo sodalibus in parochiali ecclesia S. Paterniani oppidanorum impensis. Fundationis causam dedit Franciscus a Pinna laicus Franciscanus, qui eo frequenter adveniens, vitae sanctitate et miraculorum gloria, cunctos oppidanos in sui admiratione attraxerat ». Hoc notatur ad an. 1603, n. XIV.

Instrumentum fundationis.

« In Dei nomine Amen. Anno a Virginis sanctissimae partu 1603 X indictionis, die vero VIII mensis martii, in terra Colliscorbini et proprie in sachristia [3] ecclesiae S. Andreae iuxta suos notorios confines, regnante serenissimo et catholico d. n. d. Philippo III ab Austria [4], rege Castellae, Aragonum, utriusque Syciliae, Ierusalem, ... in hoc citerioris Syciliae regno anno V feliciter. Amen.

Nos Ioannes Iacobus de Melchioribus, terrae Colliscorbini regius iudex ad contractus, Lucas Antonius Recchia de terra Catheneani [5], publicus ubilibet per Syciliae regnum citra Farum regia auctoritate notarius et testes subscripti, vid. donnus [6] Ioannes Philippi, Martinus Draghus, Franciscus Bernardinus Pantaleonus, et Nardus Antonius Dominici, terrae Colliscorbini et litterati, omnes ad hoc vocati specialiterque rogati, praesenti scripto publico notum facimus, quod praedictis die et loco, in nomine quo supra iudicis regii, notarii et testium personaliter constituti rev. Syr [7] Stephanus Ciullus, archipresbiter et subscripti rev. canonici collegiatae ecclesiae S. Andreae Colliscorbini, vid. Ioannes Bapt. Ciavarinus, Ioannes Dominicus Ioannis Baptistae, Carolus Mariottus. Iacobus Pinta, Nicolaus Virgilii, Bernardinus Albertini et Ioannes Franciscus Fusarolus in unum coadunati ad sonum campanellae, ubi congregari solent, pro subscriptis et aliis negotiis pertractandis, agentes pro seipsis et aliis successoribus in perpetuum e x u n a: renuntiantes

---

(1) Modernis « Collecorvino ». (2) *Annales*. XXIV, Anconae 1860, 83.

(3) Semel lectorem monemus, nos titulos aliosque loquendi modos mere iuridicos breviare ac particulas tales repetitas omittere, quin omissiones singulas puntis significemus.

(4) Philippus III an. 1598 factus est rex Hispaniae et Siciliae, cui regnum Neapolitanum unitum erat 1503-1707. (5) *Catignano*, in Dioec. Pinnen.

(6) Sic etiam plerique sequentes vocantur.

(7) Hic titulus, alias *ser* = dominus etiam singulis canonicis tribuitur.

eorum privilegio fori et consentientes in iudicem, notarium et testes, tamquam in suos: et Ioannes Iacobus Donati, camerarius, Mariottus Ciullus et Marinus Ciullus ad praesens maxarii [1] terrae Colliscorbini, agentes... nomine praedictae terrae, mediante potestate ipsis tradita quibuscumque peragendis supra constructione monasterii in ecclesia S. Paterniani [2] extra muros Colliscorbini, consilio inito sub die 28 elapsi februarii 1603 ex parte altera. Praefati vero camerarius et maxarii pro seipsis et successoribus et pro parte totius universitatis praedictae asseruerunt sponte coram nobis archipresbitero et canonicis, quod cum mensibus elapsis decrevissent erigere in praedicta ecclesia monasterium sive conventum Religionis Fratrum Minorum de Observantia ad gloriam et honorem Altissimi Dei, augmentumque sacri cultus divini in praedicta terra et ut ibidem crescat devotio, quam ipsi asserentes et totus populus habuerunt et habent erga Seraphicum P. S. Franciscum, tractaverunt et tractare fecerunt in Alma Urbe impetrationem Papalis assensus [3] super constructione conventus praedicti.

Et quoniam est necesse donare locum, ubi monasterium contici intenditur, cum obligatione conficiendi ipsum capax duodecim monachorum ad minus, desiderantes camerarius et maxarii totaque universitas confectionem monasterii quam citius ad effectum ducere, moti devotione et rationibus praemissis: cumque locus et situs ecclesiae S. Paterniani spectet ad rev. archipresbiterum et canonicos Capitulumque dictae collegiatae ecclesiae S. Andreae, hinc est quod pluries rogaverunt, prout et rogant dictum Capitulum... ut ipsis asserentibus, praefatae universitati concedere velint situm ad effectum construendi monasterium, offerentes se et dictam universitatem obtinere... assensum Superiorum ad hoc potestatem habentium, sumptibus universitatis, et interim promittere indemnitatem Capitulo in ampla forma iuris valida, de omni damno quod forsan eveniret Capitulo causa concessionis loci praedicti.

Qua quidem assertione facta per camerarium et maxarios, rev. archipresbiter et canonici attendentes prium affectum universitatis praedictae, et ut augeatur administratio et exercitium cultus divini, utque crescat populi devotio erga Deum et Sanctos eius... archipresbiter et canonici sponte coram nobis... Capitulari nomine, bona et spontanea voluntate ... forma et causa, quibus melius possunt (salvo Superiorum assensu ab ipsa universitate impetrando...) ex nunc libere donaverunt et per calamum, titulo donationis et concessionis irrevocabiliter inter vivos

(1) Id est: massarii; intellige praefectos aerarii.

(2) Colliscorbinus sic dictus a suo fundatore Corbino alias Corvino, Longobardo, potenti viro. Saeculo IX monachis O. S. B. Casauriae donatus est, qui ibi duas ecclesias S. Serotini (postea S. Andreae ap.) et S. Paterniani construxerunt. Haec parochia facta est et an. 1140, iuxta bullam Innocentii II, sub iurisdictione episcopi administrabatur ab archipresbytero. An. 1523 parochia translata est in ecclesiam S. Andreae, in Collegiatam erectam. Cuius archipresbyter et canonici an. 1603 ecclesiam S. Paterniani civibus cesserunt cum adiacente agro, in quo postea conventus Fratrum Minorum structus est. Cf. Luigi Di Vestea, *Penne Sacra*, Teramo 1923, 75.

(3) Clementis VIII, 1592-1605.

concesserunt ac assignaverunt... universitati Colliscorbini, et propterea camerario et maxariis praesentibus, acceptantibus et stipulantibus pro seipsis et successoribus in perpetuum, locum et situm ecclesiae S. Paterniani, iuxta suos notorios fines, cum omnibus eius pertinentiis ac integro statu: ad possidendnm et de eo disponendum tamquam de re propria, et ad donandum locum Religioni Fratrum Minorum de Observantia sub regula S. Francisci, ibique construendum monasterium et conventum. ... Cedentes propterea ipsi archipresbiter et canonici camerario et maxariis... recipientibus omne ius omnemque actionem dicto Capitulo competens ... quocumque modo ... salvo semper assensu suorum Superiorum. Ponentes exinde et immittentes camerarium et maxarios et successores in officio, in ecclesiae praedictae dominium et velut in rem propriam. Et constituerunt sese archipresbiter et canonici locum et situm cum iuribus et pertinentiis, per simplex constitutum ex nunc in antea ac nomine universitatis Colliscorbini tenere et possidere, donec universitas ipsique camerarius et maxarii... corporalem tenutam et possessionem de loco praedicto acceperint: volentes expresse quod dictum constitutum et investitura per calamum vim habeant corporalis traditionis ... et quod valeant absque alia investitura ... lege, consuetudine qualibet in contrarium non obstantibus, quia sic inter partes ipsas coram nobis actum extitit et expresse conventum.

Et versa vice dicti camerarius et maxarii nomine universitatis sponte ... et gratuita voluntate et omni alio meliori modo, ... promittunt Capitulo infra annum ab hodie numerandum, obtinere supra concessionem ... assensum a Sanctissimo Pontifice seu ab aliis ad hoc potestatem habentibus, propriis sumptibus universitatis. Quem quidem locum ecclesiae S. Paterniani, ipsis donatum et concessum, redonabunt camerarius et maxarii nomine universitatis Religioni S. Francisci de Observantia, et in eo fabricabunt monasterium capax duodecim monacorum ad minus. Et interim servabunt canonicos et Capitulum indemnes ab omni molestia eisdem forsan inferenda pro donatione praedicta, ita quod ipsi canonici et Capitulum nullum in futurum patiantur damnum aut interesse, occasione praedicta. Per omnia et alia subscripta in praesenti instrumento contenta partes ipsae sponte ad invicem iurarunt et sese solemniter obligarunt tenere rata et efficaciter observare, et non opponere aliquid in contrarium aliqua ratione ...

In quibus omnibus et singulis per ambas partes ... inviolabiliter observandis, sponte archipresbiter et canonici ex una, et dicti camerarius et maxarii ex altera, obligaverunt seipsos successoresque, bonaque Capituli et universitatis omnia, sub poena et ad poenam nummi aurei viginti quinque, pro reali observantia omnium praedictorum, (assensu et beneplacito semper, ut supra, reservatis), medietate poenae, si eam committi contigerit, regiae curiae applicanda vel alii cuicumque curiae ecclesiasticae vel saeculari, ubi exinde reclamatio facta fuerit, et reliqua poenae medietate parti laesae: et praedicta integre persolvenda; me praesente notario tamquam persona publica ...

stipulantibus quod poena toties committetur ... quoties fuerit conventum; qua poena commissa vel non exacta, aut forte gratiose remissa, praesens instrumentum in sui semper robore perseveret cum pacto refectionis omnium damnorum, quae fierent propterea, de quibus stari debeat simplici verbo partis lesae, et praedicta observanda cum iuramento tenere, nulla alia probatione quaesita: cum potestate capiendi auctoritate propria et sine declaratione iudicis tantum de dictis bonis, ut supra gerendis, hinc inde obligatis, quod sufficiat parti lesae praedicta observandi ... Quae quidem bona partes ipsae interim constituerunt una pro alia possidere; volentes quod dictam praecariam liceat parti lesae ... sola voluntate revocare, etiamsi bona ipsa taliter obligata ad quoscumque possessores pervenerint, quibuscumque contrariis non obstantibus, quia sic inter partes ipsas actum extitit et expresse conventum.

Et renuntiant ambae partes supra praemissis, ex certa eorum scientia voluntarie, una videlicet alteri, executionis non factae dictae donationis ... licentiae constitutionis iurium rei dicto modo non gestae, non sic vel aliter celebrati contractus ... et omni alii iuris ... auxilio ... tam civili tam criminali edito vel edendo a lege vel ab homine quomodolibet competenti et competituro ... Et nihilominus pro praemissorum omnium firmiori observantia partes ipsae sponte iurarunt, tactis videlicet pectoribus praedicti archipresbiter et canonici more sacerdotali, et praedicti camerarius et maxarii tactis litteris, in manibus mei praedicti notarii.

Unde ad futuram rei memoriam ... factum est ... hoc praesens publicum instrumentum per manus mei praedicti notarii, signo meo solito signatum et praedictorum iudicis regii ac testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi et publicavi ego praedictus Lucas Antonius Recchia, regius ut supra notarius, qui praemissis rogatus interfui ipsaque meo solito signo signavi. Deo semper laus, honor et gloria.

Ego Taddeus Scorta de civitate Pennae, regius ad contractus iudex, vigore potestatis mihi per Regiam Curiam attributae, loco supradicti Ioannis Iacobi de Melchioribus, iudicis praememorati, me subscripsi die XIII mensis decembris 1620. Ego Syr Ioannes Philippi supra dictis interfui et me subscripsi ». [Adest signum notarii].

Assignatio et permutatio ecclesiae et areae conventus an. 1609 facta.

« In Dei nomine Amen. Die penultimo mensis maii VII indictionis. 1609, in terra Colliscorbini et proprie in sacristia intus ecclesiam S. Andreae dictae terrae iuxta suos fines, regnante etc., praesenti scripto publico declaramus, ... quod die et loco praedictis in nostra quorum supra iudicis, notarii et testium praesentia personaliter constituti rev. Ser (1) Iacobus Pinta, ad praesens archipresbyter S. Paterniani et collegiatae ecclesiae S. Andreae, necnon Ioannes Bapt. Ciavarinus, Ioannes Dominicus Ioannis Baptistae, Carolus Mariottus, Cola Virgilii, Bernardinus Albertinus, Ioannes Franciscus Fusarola et Ioannes de Filippo, canonici dictae ecclesiae S. Andreae congregati ... more solito, agentes

(1) Iste titulus datur hic et infra singulis canonicis.

et intervenientes ad infrascripta omnia et singula pro seipsis et dicta collegiata ecclesia S. Andreae ... ex una parte: et Ioannes Baptista Ciullus, ad praesens camerarius dictae terrae, necnon Dominicus Giorgetti maxarius tam suo proprio nomine quam et nomine et parte Bernardini Ciulli, similiter maxarii absentis, ... in forma iuris valida intervenientes ad infrascripta pro se et universitate Colliscorbini ... ex altera parte, habentes potestatem et facultatem eis datam ad infrascripta perficienda, in publico consilio universitatis praedictae, quae sunt tenoris sequentis:

Die 30 maii 1609, in Collecorvino, omissa propositione, sequitur conclusio: fuit viva voce conclusum, *che del tutto, cioè per fare detto baratto e permutazione con li Canonici, e per mandare a Roma per l'assenso Papale, e per prendere i danari, si dà autorità ampla alli camerlengo e massari, che facciano loro con il miglior modo sarà possibile, contentandosi tutti, che la libra della cera dimandata dai canonici pel riconoscimento del luogo, gli si dia, e che il camerlengo e massari presenti ponga ed abbia autorità ponere nell' Istromento questo peso come si è detto*, et sic esse; qua conclusione per dictum publicum concilium facta, et per nos in hoc publico instrumento inserta. Qui quidem praesentes pro ... honore universitatis et populi Colliscorbini pro adimplendo et finiendo fabricam iam inceptam conventus S. Paterniani, Ordinis Patrum de Zoccolis [1], ex certa eorum scientia, sponte ad infrascriptam permutationem et cambium devenerunt cum subscriptis pactis et obligationibus in maximam et evidentem utilitatem conventus S. Paterniani et rev. archipresbiteri et canonicorum et eorum collegiatae ecclesiae S. Andreae. Ideo volentes permutationem ad effectum ducere, dicti rev. ... [2] canonici sponte ... titulo permutationis et cambii perpetui dederunt et per calamum mei praedicti notarii assignaverunt Ioanni Baptistae Ciulli camerario et Dominico maxario praesentibus in omnia locum sive situm in ecclesia S. Paterniani, capacitatis ut dixerunt mediae salmae, et mediae coppae territorii cum dimidio vineae in ea plantatae cum pedibus tribus olivarum iuxta stradam a latere, et ab alio bona Ioannis Dominici Ciulli, ac alios fines, appretiatum ... per Mathaeum Guanciale et Intinum Simonetti expertos et communiter electos pro pretio ducatorum 30 de Regno, ad rationem etc. cum suis iuribus et integro statu etc. ad habendum etc. et quidquid etc. Itaque ex nunc in antea transeat in plenum dominium dictae universitatis, camerarii et maxariorum ...

Et viceversa, camerarius [et] maxarius ... cum dicta facultate a publico concilio habita ut supra, locum et in cambio dicti loci seu siti eis dati et permutati sponte ... per calamum mei notarii assignaverunt praedictis archipresbitero et canonicis praesentibus ... quoddam olivetum capacitatis cumulorum trium et coppae unius cum pedibus olivarum 35, situm in territorio Colliscorbini et in contrada di Ragnano iuxta a capite et ab uno latere stradam publicam, et ab alio bonum heredum Mernerii (?) de Farindola, a pede bona Ciccotti de Berardo, et alios fines,

(1) Nomen vulgare Observantibus olim datum a *zoccoli* = soleae ligneae.
(2) Eorum nomina repetuntur ut supra, omissis tamen cognominibus.

nemini venditum, sed francum cum omnibus suis iuribus et integro statu ad habendum etc. et quidquid etc., appretiatum per Mathaeum et Intinum expertos pro ducatis 47 de Regno. Et quamvis dictum olivetum sit maioris pretii, tamen pro utilitate evidenti archipresbiteri et canonicorum, eisdem donaverunt titulo donationis inter vivos, quam nullus revocare possit. Itaque ex nunc in antea transeat in plenum dominium dictorum ... cedentes etc., cum hac tamen declaratione et pactis, quod universitas ipsa, et pro ea camerarius et maxarius ... teneantur in perpetuum anno quolibet solvere et pagare rev. archipresbitero et canonicis in festivitate S. Paterniani, et pro eis procuratori rev. ecclesiae S. Andreae, libram unam cerae albae pro iure et reconoscimento ecclesiae S. Paterniani, cum pacto, quod permutatio intelligetur tota capacitas dicti siti et loci ut supra permutati, reservantes eidem archipresbitero omnia beneficia ecclesiae S. Paterniani, cum actione etiam eundi ad capiendam processionem omni tempore archipresbiteratus, ac etiam reservato iure eisdem archipresbitero et canonicis eundi ad canendam missam in dicta ecclesia quolibet anno in primo die mensis maii, in festivitate S. Paterniani, in dominica Palmarum, in festivitate S. Marci et in aliis functionibus et processionibus occurrentibus et necessariis, prout archipresbitero et canonicis melius visum fuerit, cum pacto, quod teneantur infra terminum quatuor mensium obtinere a Sua Sanctitate sumptibus universitatis ... assensum pro confirmatione omnium; et deficientibus in non obtinendo dictum assensum sine evidente eorum culpa et defectu, quod omne damnum et interesse eveniendum teneantur camerarius et maxarius solvere et pagare; hoc etiam pacto, quod teneantur camerarius et maxarius omnia et singula renovari facere a Patribus dicti conventus, qui pro tempore erunt, qui sic etc.

Promittentes partes ipsae ad invicem... praedicta omnia bona permutata defendere et contestare, et de evictione teneri generaliter et specialiter ab omnibus, cum refectione expensarum. Et promiserunt praesertim camerarius et maxarius ad maiorem cautelam dictum olivetum semper defendere [eodem modo] ... Et promiserunt partes permutationem et omnia in ea contenta semper habere rata, pro quibus omnibus obligaverunt seipsas personaliter, heredes, successores et bona eorum et dictae universitatis, omnia sub poena dupli, cum pacto de capiendo precarias constitutiones ... et singulariter dicti archipresbiter et canonici, tacto pectore more Religiosorum iuraverunt.

Fidem facio ego infrascriptus notarius praesentem copiam permutationis ... exemplatam a suo proprio originali prothocollo, cum quo facta diligenti collatione, ab omnibus iudice et testibus in numero opportuno. et in fidem etc. — Ego notarius Ioannes Carolus Musconus, Carpinetanus [1], uti publica persona rogatus praesentem scripsi, et pro robore meum signum apposui solitum et consuetum. Laus Deo Patri, honor et gloria ». [Adest sigillum notarii].

Anxani. **P. Hyacinthus D'Agostino,** O. F. M.

[1] *Carpineto la Nora,* in Dioec. Pinnen.

TABULA MATERIARUM

I. — DISCUSSIONES.

II. — DOCUMENTA.

III. — CODICOGRAPHIA.

IV. — BIBLIOGRAPHIA.

V. — MISCELLANEA.

VI. — CHRONICA.

Cronaca Italiana del Centenario di S. Francesco.

Chronica Minoritica, 1922-27.

INDEX AUCTORUM ANNI 1928

Sac. ANTONIO DEL SOLE Direttore responsabile.

Tipografia del Collegio di S. Bonaventura. — QUARACCHI.


3 0000 115 807 723



